

n. 320. circa di borronenti, n.
yiqonun alla Lq. R. y par 6 d'addo
6, 1078 mg & A1

27 ^{to} - 3 15


124

0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23

1
2-48

1:50 10 *Stiph*

Pc-9269



TITI
 LVCRETII CARI
 DE RERVM NATVRA
 LIBRI SEX.

A DIONYSIO LAMBINO
 Monstrolienſi litterarum Græcarum in urbe Lutetia
 doctore Regio, locis innumerabilibus ex auctori-
 tate quinque codicum manuſcriptorum
 emendati, atque in antiquum ac
 nativum ſtatum ſerè reſtituti,
 & præterea brevis, &
 perquam vilibus
 commentariis
 iuſtrati.

PARISIIS,
 Et Lugduni habentur.

In Gulielmi Rouillij,
 Et Philippi G. Rouillij Nep.
 œdibus, via Iacobæa ſub Concordia.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Esta expurgado conforme al expurgatorio de 1637 - Gaspari Hueti



LEGIS PRIVATAE A REGE
sancitæ sententia.

Sancitum est Karoli x. Galliarum Regis Christianissimi, atque augustissimi priuata lege, ne quis typographus imprimere, neu quis bibliopola diuendere hos sex T. Lucretij Cari de rerum natura libros à D. Lambino Monstroliensis emendatos, commentariisque admodum vtilibus illustratos ante sexennium audeat, à die huius primæ editionis numerandû, absque Philippi Galteri Rouillij typographi ac bibliopolæ Parisiensis consensu. Qui secus faxit, pœnis ex sanctione legis, quam litteræ vberiores & longiores ab eius maiestate Luretix a. d. octauum Kal. Iunias anno cix
xix LXXII. impetratæ continent, multabitur.

DIONYSIUS LAMBINVS

KAROLO VALESIO NONO
REGI CHRISTIANISSIMO,
ATQVE AVGVSTISSIMO.



IN QVOD est in his paucis scriptorum veterum, tanquam ex naufragio reliquiis, litterarum genus, Karole Rex Christianissime, vnde multæ, magnæque vtilitates ad nos permanarint, poemata sunt. Poëtæ enim, qui iidem philosophi fuerunt, primos illos homines rudeis, impolitos, feros erudierunt, expoliuerunt, à feritate ad hunc humanum, & ciuilem victum, cultumque traduxerunt. Iidem & melius, quàm plerique minuti philosophi, virtutis pulchritudinem descripserunt, eiusque amore nos inflammarunt: & grauius à vitiorum turpitudine nos absterruerunt: iidem non, vt historici, ex veris rerum gestarum narrationibus, singulariumque personarum dictis, factis, euentis: sed philosophorum more, rebus verisimilibus excogitatis, personis fictis, casibus cuique personæ consentaneis ad extremum subiunctis, nos & præceptis vtilissimis instituerunt, & moribus optimis imbuerunt. Cum autem poëtarum non sit vnum genus: alij enim sunt epici, alij tragici, alij comici, alij lyrici ac melici, alij dithyrambici, alij iamborum, & elegorum, & epigrammatum scriptores, & si qui sunt alij: omnium & verustissimi, & laudatissimi sunt epici. Philosophi enim, & theologi illi antiqui res tum diuinas, tum humanas eas, quibus hominum vita excolta, & ad humanitatem conformata est, heroo potissimum carminis genere persecuti posteris tradiderunt: quo in numero sunt apud Græcos Orpheus, Musæus, Homerus, (nam superiorum nomina, non solum scripta temporis diuturnitas obliuione sempiterna obruit, penitusque deleuit) Hesiodus, Tyrtæus, Phocylides, Xenophanes, Pythagoras, Empedocles, Parmenides, alique complures: apud Latinos Ennius, Furius, Lucretius, Varius, Virgilius. Epicos subsecuti sunt tragici, qui clarorum virorum, publicarumque personarum actiones, atque euentus numeris & modis imitantur: quo in genere sunt Æschylus, Sophocles, Euripides, Pacuuius, Accius:

comici, qui obscurorum, & priuatorum hominum vitam, facta, casus exprimunt: quales sunt Eupolis, Cratinus, Aristophanes, Menander, Epicharmus, Cecilius, Plautus, Terentius: Dithyrambici, qui in Bacchi numine prædicando, laudibusque effe-
rendo, atque in eius rebus gestis, ac victoriis canendis toti ferè sunt occupati: quorum omnium primum Glaucum quendam fuisse ab Herodoto traditum est: iamborum scriptores, qui in eos, à quibus læsi sunt, acerbius inuehuntur: vt Archilochus, Hipponax, & interdum Catullus, & Horatius: elegorum opifices, quo in numero sunt Callimachus, Mimnermus, Phileta, Tibullus, Propertius, Ouidius: Horum igitur omnium cum epici, meo quidem iudicio, plurimum profint, longèque ceteris auctoritate antecellant, hi studiosè nobis sunt legèdi. In epicis porrò nō eos tantum numerandos esse duco, qui res fortiter, & præclarè gestas, bellaque cecinerunt, vt Homerus, Apollonius, Ennius, Varius, Virgilius, Lucanus: aut qui de agricultura scripserunt, vt Hesiodus: aut qui de piscibus, & venatione, vt Oppianus: verum etiam, multoque adeo magis eos, qui rerum causas occultas, atque à natura inuolutas longis versibus explicarunt, vt Empedocles, & Lucretius: & qui de affectibus animi comprimendis, de virtutibus expetendis, de vitiis fugiendis heroico carmine præcepta reliquerunt, vt Pythagoras, vt Phocylides, vt Horatius. Nam cum è rerum naturalium cognitione, morumque ac virtutum explicatione homines efficiantur nescio quo modo maiores, atque elatiores: & cum ex vtraque re animi magnitudo contra fortunæ impetus, rerumque humanarum imbecillitatem, fortitudo contra mortis timorem, temperantia contra libidinem, constantia contra superstitionem comparetur: poëtis autem hoc maximè propositum esse debeat, vt lectorem reddant meliorem: secundo loco, vt delectent: absurdum sit profectò eum, qui talia argumenta heroico carmine pro rerum dignitate tractarit, indignum poëtæ nomine iudicari: bellorum, aut rerum rusticarum, & similiarum scriptorem solum in poëtarum numero, ceterisque collocari. Magnopere etiam ab iis dissentio, (quanuis graues sint auctores) qui Empedoclem, & ceteros huius generis scriptores è poëtarum choro sustulerunt, nihilque neque poëtæ proprium, neque cum Homero commune, præter numeros, habere pronunciarunt. iis libentius assentior, qui illum & philosophum præstantem, & optimum poëtam fuisse censuerunt. Non enim poësim imitatione sola, sed numeris,

& figuris, & virtutibus poëtis metiedam puto: neque poëtam imitatore quendam statuo tantum, sed ingenio excellentem vitum, & mente concitatum, & pæne dicam diuinum: verbis non semper vtentem vsitatis, & popularibus, & de medio sumtis: sed interdum, & quidem sapius, nouatis, priscis, longè arcessitis: res magnas, res admirabileis, res abstrusas, ac reconditas in lucem proferentem. Denique ei, cui sit ingenium, cui mens diuinior, atque os Magna sonaturum do nominis huius honorè, vt iubet Flaccus. Verum, dicit aliquis, hoc in Homero maximè laudabile est, quod non solum virtute præstantium, fortiumque virorum actiones honestas, & cum virtute coniunctas, sed etiam improborum, ignauorum, amantium, libidinosorum, iratorum, inuidientium, metuentium dicta, factaque optimè exprimit, atque ob oculos proponit: quod quando neque Empedocles, neque Lucretius facere curarunt, poëtarum nomen non merentur. Immo verò hoc ipsum est, quod in Homero reprehendunt cum alij multi, tum philosophorum princeps Plato: eumque hoc nomine, neque in ciuitatem bene moratam, bonisque legibus temperatam recipit: & ex sua non vi expellit ille quidem, aut ignominiosè exturbat, sed certè verecundè deducit, atque honorificè dimittit. Quare non continuo si Empedocles, & Lucretius personarum sic affectarum orationem, atque actionem non imitantur, poëtarum nomen eis adimere nos oportet. At Lucretius animorum immortalitatem oppugnat, decorum prouidentiam negat, religiones omnes tollit, summum bonum in voluptate ponit. Sed hæc Epicuri, quem sequitur Lucretius, non Lucretij culpa est. Poëma quidem ipsum propter sententias à religione nostra alienas, nihilominus poëma est. tantumne? immo verò poëma venustum, poëma præclarum, poëma omnibus ingenij luminibus distinctum, insignitum, atque illustratum. Hæc autem Epicuri rationes insanas, ac furiosas, vt & illas absurdas de atomorum concursione fortuita, de mundis innumerabilibus, & ceteras, neque difficile nobis est refutare, neque verò necesse est: quippe cum ab ipsa veritatis voce vel tacentibus omnibus facillimè refellantur. At debuit ingenij sui vim ad modestiorem, probatiorèque disciplinam, atque ad grauius argumentum conferre. Debit, quis negat? Sed dolere, & queri hoc licet: corrigere non licet. At Epicurus & Lucretius impij fuerunt. Quid tum postea? num iccirco nos quoque, qui eos legimus, impij sumus? Primum quàm multa sunt

in hoc poemate cum aliorum philosophorum sententiis, ac decretis consentanea? quàm multa probabilia? quàm multa denique præclara, ac propè diuina? Hæc sumamus, hæc arripiamus, hæc approbemus. Illa quæ sunt commentitia, quæ absurda, quæ cum religione Christiana pugnantia, reiiciamus, aspernemur, improbemus. Deinde adone faciles, & creduli sumus, ut, quæ sunt à quibuslibet scriptoribus memoriæ prodita, litterisque mandata, ea vel tanquam ex Apollinis oraculo edita, vera esse iudicemus, vel tanquam ab Archimede descripta pro certis habeamus? Quòd si multa quotidie fabulosa, incredibilia, falsa denique legimus, vel ut animos relaxemus, vel ut in iis, quæ sine controuersia vera sunt, libentius acquiescamus, constantiusque maneamus: quid est, quòd Lucretium elegantissimum, cultissimumque poetam aspernemur? Atqui non ita fuerunt nec ineptè religiosi, nec superbè fastidiosi, veteres illi Christiani, sanctissimi viri, Iustinus martyr, Gregorius Nazianzenus, Basilius Magnus, Ioan. Chryostomus, Clemens Alexandrinus, Athenagoras, Eusebius, Cyprianus, Tertullianus, Arnobius, Firmianus, Augustinus, Hieronymus, ut scriptorem, nisi Christianum, & omni ex parte grauem, castum, ac verum neminem lectione dignum iudicarent. Quin & Empedoclem, & Democritum, & Epicurum, & Lucretium, & ceteros philosophos ac poetas (ut oratores & historicos taceam) tum Græcos, tum Latinos, quamuis profanos, quamuis mendacis, quamuis impios, studiosè legebant. Neque id temerè, aut frustra. Nam quemadmodum apes ex singulis floribus, quod est ad mel conficiendum utilissimum, atque aptissimum limare, ac depasci consueuerunt: quod est inutile, non attingunt, aut certè non degustant: ita sanctissimi illi, & Christianissimi homines ex poetis Græcis ac Latinis, ex scriptoribus profanis, atque à pietate Christiana remotissimis, quæ ad religionem nostram propagandam, atque ornandam valere existimarent, ea diligenter & accuratè carpebant, ac feligebant: quæ repugnare sentirent, ea aut præteribant, aut respuebant. Quo maiore odio digni, grauiusque vituperandi sunt peruersi quidam homines, qui non ita pridem, hac nostra ætate, qua ætate omnes honestæ disciplinæ, omnes bonæ litteræ multa antea sæcula oppressæ, ac sepultæ, aliquândo tandem & Dei opt. max. benignitate, & Regis Francisci I. aui tui litterarum parentis consilio, studio, atque opera restitutæ, atque instauratæ oculos sustulerunt, è tenebris emisserunt, florere de-

rique cœperunt: eius ipsius, à quo tantum beneficium accepimus, filio Errico I I. patri tuo persuadere conati sunt, ut ex rota Gallia litteras omnes exterminaret, funditusque deleteret. Quod quemadmodum ab optimo principe non potuerunt obtinere, ita neque abs te eius filio ingentis spei, & diuinæ indolis adolescente vnquam obtinebunt. Nanque ut clarissimi quidam viri se tum paratissimos litterarum defensores apud patrem tuum præbuerunt: ita & posthac apud te, si opus erit, vel iidem illi earum patrocinium constantissimè suscipient, vel alij illorum exemplum secuti, acerrimos se earundem patronos profitebuntur. Sed (ut eò, vnde degressus sum, reuertar) si scriptores omnibus, qui religioni Christianæ aduersantur, reiiciendos, ac damnandos esse arbitramur: ne Plato quidem nobis erit attingendus: apud quem omnia ferè in vtrunque partem disputantur: qui vxores, & liberos vult esse communis: hoc est, si verba ipsa spectemus, qui certorum, & stabiliū matrimoniorum vsum tollit: cuius dialogorum bona pars flagitiosis puerorum amoribus referta est. Ne Aristoteles quidem lectione dignus erit: qui mundum, ut nunquam ortum esse, ita nunquam interitum putat: qui denique de animorum immortalitate videtur & à magistro suo Platone, & à nobis valde dissidere, plurimumque discrepare. Stoici diligentissimi virtutis custodes, acerrimi que vitiōrum, & voluptatis hostes nobis erunt mortis instar fugiendi. Deum enim rerum omnium, opificem, secundarum causarum vinculis deuinciunt: fati, & necessitatis legibus constringunt: omni denique agendi libertate à fato separata spoliāt. quod & à Dei natura est alienissimum, & à nostra religione remotissimum. Verum philosophos omittamus. Homerus ipse, qui propter excellentiam commune poetarum nomen fecit suum, si in scriptore nihil, nisi sincerum, castum, religiosum, pium probabimus, sæpe nobis erit de manibus ponendus, atque abiiciendus. Quàm multa enim sunt apud eum de Diis absurda, eorumque maiestate indigna? quàm multa fœda, obscœna, flagitiosa, turpia? (quanquam magna quædam, & recondita mysteria in huiusmodi fabulis inuoluta delitescere non me fugit: quæ non est huius loci aperire, aut explicare) sed tamen cui sunt illa inaudita? Iupiter ipse Deorum, atque hominum rex, sexcentis adulteriis, stuprisque nobilitatus? Ganymedes ab eodem propter formam raptus? Mars à Vulcano in adulterio deprehensus? Mercurius Marti complexum Veneris inuidens, sibi que ta-

sem amoris euentum exoptans? Iuno muliebri illo dolore ex Iouis incōtinentia suscepto excruciatā? Venus in proelio à Diomedē sauciata? Thetis & Aurora Iouem pro filiis ne in acie cadant, deprecantes? Iam Heroibus, & fortissimis totius Græciæ, atque Asiæ viris quam personam imponit? quos mores attribuit? quam orationem affingit? iurgant inter se, conuiciantur, maledicunt, libidine inflammantur, ira incenduntur, ægritudine contabescunt, plorant, lamentantur. Achilles Apollini minatur: cum Xantho fluuio decertare paratus est: inuenibus Troianis captiuis crudelissimè interfectis Patroclō parentat. Eundem mortuum tantum vitæ desiderium afficit: tantum mortis odium percipit, vt dicat malle se ab inferis excitatum homini non admodum copioso mercenariam operam præstare, quàm mortuis omnibus imperare. noti quidem sunt omnibus Homericis versus, sed eos tamen proferre nihil vetat.

Βουλοίμην κ' ἐπαύρουρος εἶναι θευέμεν ἄλλω
 Ἄνδρ' ἰπὸ ἀκλήρω, ὅ μὴ βίωτος πολὺς εἴη,
 Ἡ πᾶσι νεύεσσι καταφθιμύροισιν ἀνάσσειν.

Vlysses non viri fortis, non prudentis, non sapientis, sed veruti, sed malitiosi, sed fallacis, sed mendacis exemplar nobis ab illo proponitur. Idem apud Alcinoū ait nihil sibi videri melius, nihil præstabilius, nihil optabilius, quàm

Conuiuius lætos plenis accumbere mensis,
 Cum Cerevem expediunt, & lauta obsonia comiti
 Hinc illinc pueri apponunt, & vina ministrant,
 Et reboant citharis laqueata, auratâque tectâ.

Vulgatissimi sunt versus planè cum Aristippi, & Cyrenaicorum sententia congruenteis.

Οὐδὲν ἐγωγέπι φημί τέλος χαλεπέτερον εἶναι,
 Ἡ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχη κατὰ δῆμον ἅπαντα,
 Δαιτύμονες δ' ἀναδάμαλ' ἀκουάζωνται αἰοιδῶ
 Ἡ μῆμοι ἐξείης, ὡδὲ δὲ πλήρωσι τράπεζαι
 Σίτου καὶ κρείων, μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύστων
 Οἰνοχόος φορέσει, καὶ ἐγγεῖν δὲπάσει.
 Τοῦτό μοι ἠδιστον ἐνὶ φρεσὶν εἰδέλαι εἶναι.

Sed de Homero verecundius, parciusque nobis erat dicendum. Veniamus ad tragicos, qui omnium manibus teruntur, qui assiduè leguntur, qui ediscuntur. Primum ipsa tragœdiarum argumenta partim tota sunt atrocia, & scelerata, & impia: partim flagitiosa, & incesta: partim incredibilia, atque absurda: exempli gratia:

gratia: liberi à matribus trucidati: matres à liberis interfectæ: viri ab vxoribus adiuuante adultero de medio sublato: indomitæ, atque effrenatæ mulierum libidines: filiorum cum matribus concubitus: noueræ priuignorum amore flagrantes: fratres mutuis vulneribus animam vnà cum sanguine profundentes: patres per speciem & causam religionis filias immolantes: fortissimi viri alij acceptæ iniuriæ dolore ad insaniam redacti: alij ne ad bellum proficiscantur, furorem simulantes: sexcenta his similia. Deinde sententiæ talibus argumentis consentaneæ:

Oderint dum metuant: &
 Natis sepulcrum ipse est parens: &
 Nam si violandum est ius, regnandi gratia
 Violandum est: aliis rebus pietatem colas: &
 Iuravit lingua, mentem iniuratum gero. &

Τοῦ μὲν δικαίου πλὴν δόκησιν ἀρνῦσο,
 Τὰ δ' ἔργα τοῦ πᾶν δρωόντος ἔνθα κερδανεῖς: id est
 Opinionem iusti hominis tibi para:

Sed quæstiosa quæ sient, facito omnia. &
 Τὸ κέρδος ἠδὲ καὶ τὸ ψευδὲν ἐν: id est
 Dulce est lucrum, partum licet ex mendacio. &

Πλλᾶσι μορφᾶς οἱ θεοὶ σοφισμάτων
 Σφάλλουσιν ἡμᾶς κρείττονες πεφυκότες: id est
 Multis labefactant nos superi artium modis:
 Præstantiores quippe longè viribus. &

Ω ζεῦ: τί λέξω, πόττερα σ' ἀνθρώποις ὄρα;

Ἡ δόξαν ἄλλως πλὴν δὲ κεκτῆσθαι μά τιμ,

Δοκοῦντας δαιμόνων εἶναι γένος,

Τύχῳ δὲ πάντα τὰν βροτοῖς ὀπίσκοπεν; id est

O Iupiter, tene aspicere humanum genus
 Dicam? an, deorum nulla cum natura sit
 Nos falsa opinione labi, & omnia
 Mortalium negocia fortuna regi? &

Εὐφρανε σ' αὐτὸν: πίνε, τὸν κατ' ἡμέραν βίον

Λογίζου σὸν, τὰ δ' ἄλλα τῆς τύχης. id est

Animum tuum oblecta: bibe: presentem diem

Tuum esse: cetera omnia fortunæ puta.

Quid comici? nōne hi quoque si summo cum eis iure agere, atque ad viuum omnia refecare volumus, è bibliothecis omnibus erunt exigendi? Nihil dicam de Aristophane. notum os veteris comœdiæ. nota verborum illius non libertas, aut licentia,

fed turpitudò, atque impudètia. Plautini item sales nemini sunt inauditi. mitto quàm sint improbi, quàm scurriles, quàm obscæni. Ne Terètius quidem, quem omnes eruditi comicorum omnium pudentissimum, & verecundissimū fatentur esse, omni ex parte sermonibus prætextatis, atque impudicis vacat: quod genus,

Lepus tute es; & pulpamentum quæris.

Ego istum eunuchum vel sobrius.

Iam illud ab irato sene impie dictum,

Deos nescio.

Ne multa, totum argumentum comicum ex senibus avaris, stultis, deliris: ex adolescentibus amatoribus, intemperantibus, scortatoribus, profusis, ac perditis: ex virginibus aut vi, aut pretio corruptis: ex meretricibus procacibus, ac rapacibus: ex seruis fallacibus, ac furacibus: ex lenonibus impiis, ac periuris: ex parasitis edacibus: ex militibus gloriofis constat. Quòd si nò poëtas modò, sed oratores, & historicos, & ceteros scriptores omnes, ad religionis perpendiculum, normamque exigemus, permulta in eis absurda, improba, turpia, nefaria, impia reperiemus. Ad Lucretium igitur nostrum reuertor poëtam egregium, ac præstantem, scriptorè que omnium Latinorum politissimum, vetustissimum, elegantissimum: ex quo Virgilius & Horatius non solùm dimidiatos, sed integros saepe verius mutuari solent. Hic ubi de rerum primordiis, seu corpusculis indiuiduis, de eorum motu, & figuris, de inani, de imaginibus, siue simulacris, quæ è summo rerum corpore mittuntur, de animorum natura, de ortu obitùque siderum, de solis & lunæ defectu, de fulminis natura, de arcu cælesti, de auernis, de causis morborū, & multis aliis rebus disputat: subtilis, argutus, enucleatus, limatus est: in librorum procemiis, in nonnullis similitudinibus, in exemplis, in disputationibus de morte contemnenda, de amore fugiendo, de somno, & insomniis, grauis, copiosus, amplus, magnificus, elatus, ornatus est. Quem si quis casus ad grauiorem, & probabiliorè aliquam disciplinam, puta Platoniam, aut Peripateticam, aut Stoicam detulisset: Dij immortales, quantum ex eo fructum, quantum vtilitatem caperemus? quantum sui admirationem hominibus excitaret? quanta sui studia cõmoueret? Nam si tã infelici argumento sibi proposito, ac suscepto, poëma tamen edidit tam præclarum, tam illustre, tam luculentum: quid eum censemus fuisse facturum, si vel rerum Platoniarum magnitudinem, ac maiestatem, vel Aristotelis acumen, atque vbertatem, vel

Zenonis grauitatem, ac seueritatem versibus materiæ consentaneis expressisset: quantum nomen, quantum laudem, quantum gloriam consecutus esset? Quamobrè sic agamus potius, id quod adest, laudemus, eoque fruamur: eo, quod abest, æquo animo, patienterque careamus: hoc est, huius poëmatis elegantiam, venustatem, pulchritudinem amemus, atque amplectamur: argumenti melioris sortem in eo desideremus. Quid enim? eos poëtas, ex quibus solam curarum nostrarum obliuionem, solamque oblectationem quærimus, cupidissimè legere solemus: poëtam non modò nostros animos delectantem, verùm etiam obscurissimas de rerum natura quæstiones pulcherrimis versibus explicantem negligemus? Homerum propterea quòd in quibusdam fabularum partim turpium, partim absurdarum inuolucris omnium rerum naturalium, atque humanarum cognitionem inclusam continere existimatur, non solùm legimus, verùm etiam ediscimus: Lucretium sine fabularum, taliumque nugarum integumentis de principiis & causis rerum, de mundo, de mundi partibus, de vita beata, de rebus cælestibus ac terrenis, non verè illum quidem, neque piè, sed tamè simpliciter, & aperte, & vt Epicureum, ingeniosè, & acutè, & eruditè, & purissimo sermone loquentem non audiemus? Non enim si multis locis à Platone dissidet: non si multa cum religione nostra pugnantia dicit, iccirco ea etiam, quæ cum illorum, & Christianorum sententia congruunt, spernere debemus. Quàm præclare de cõcercendis cupiditatibus, de sedandis animorum motibus, de mentis tranquillitate comparanda disputat? Quàm subtiliter, & argutè eos, qui nihil percipi, nihilque sciri posse affirmant: qui sensus omnes fallaces esse dicunt, coarguit, ac refellit? quàm copiosè sensus defendit? quàm probabiliter, & pæne dicam, verè ostendit sensuum fide labefactata, atque euerfa, actiones omnes humanas eodem motu cõquassatas concidere & corruere? Quot, & quam firmis argumentis demonstrat, sensuum veritate sublata rationem quoque ipsam, atque adè vitam, ac salutem funditus interire? quàm pulchræ sunt apud eum descriptiones? quàm venusta (vt Græci appellant) episodica? quàm bellæ de coloribus, de speculis, de magnete, de auernis disputationes? quàm graues ad continenter, iustè, moderatè, innocenter viuendum cohortationes? Quòd si quis plus æquo seuerus totam huius poëmatis sententiam, ac materiam vituperabit, atque aspernabitur solo fortassis Epicuri, quem Lucretius exprimere conatus est, nomi-

ne offensus : quid de eius sermone statuemus? quo quid purius, quid incorruptius, quid nitidius, quid elegantius dici, aut excogitari potest? Equidem hoc tibi, Karole, non dubitanter affirmabo, nullum in tota lingua Latina scriptorem Lucretio Latinè melius esse locutum: non M. Tullij, non C. Cæsaris orationem esse puriorem. Itaque si ita commodum est, totam sanè Lucretij, hoc est Leucippi, Democriti, Empedoclis, Aristippi, quos secutus est Lucretius, philosophiam improbemus: at incredibilem verborum nitorem: at singularem sermonis elegantiam: at incorruptam Latinè loquendi facilitatem admiremur, amplectamur, æmulemur. Atque utinam, Karole, utrumque simul, & pietatem, & linguæ Græcæ, ac Latinæ cognitionem ex vniis atque eisdem auctoribus comparare possemus. esset præclarum sacris libris esse contetos, profanos non desiderare. Nunc autem cum litteras quidem Græcas ex Homero, & ceteris epicis: ex Sophocle, & ceteris tragicis: ex Aristophane, qui solus ex tot comicis ad nos peruénit incolumis: ex Platone, & Xenophonte, & Aristotele, & Plutarcho: ex Herodoto, & Thucydide, & Polybio, & Dionysio Halicarnasseo: ex Lysia, & Demosthene, & Æschine, & aliis rhetoribus: Latinas autem ex Plauto, Terentio, Lucretio, Varrone, Cæsare, M. Tullio, Catullo, Virgilio, Horatio, Tibullo, Propertio, Plinio, & similibus, qui vel falsam religionem, vel meram impietatem quibusdam locis spirant, ac redolent, discere necesse habeamus: quid vetat, quo minus hos scriptores ita tractemus, itaque legamus, ut eorum sermonis quidem diuitias, lepores, ornamenta ab ipsis compilemus: talibusque furtis ac spoliis antiquorum illorum Christianorum exemplo ecclesiam Dei opt. max. locupletemus, amplificemus, exornemus: religionem autem nostram, quam ex litteris sacris, tanquam ex liquidissimo, & sincerissimo fonte hausimus, incorruptam, inuiolatam, atque integram cõseruemus? Nam neque olim cum me litteris Latinis docendis præfecisti, eo consilio Lucretium meis auditoribus explicandum suscepi, ut philosophiam Epicuræ iam explosam, atque damnatam reuocarem, ac restituerem: neque nunc, postquam eundem me linguam Græcam docere iussisti, magno meo labore, multisque vigiliis, hunc eundem poetam mendis innumerabilibus maxima ex parte perpurgatum, & breuibus commentariis illustratum, ea mente edendum curavi, ut homines vel à pietate Christiana auocarem, vel noua religione inficerem. non ita infanio: (nam philosophiam quidem sequor, & probo tum

eam, quæ à Platone, ac Xenophonte, tum eam, quæ ab Aristotele manauit: religionem autem nullam aliam neque colo, neque amplector, nisi quam à Domino nostro Iesu Christo Dei immortalis filio, generis humani seruatore, ac liberatore edoctus sum:) sed primum ut linguam Latinam hoc ipso inopem, atque egentem, quod Lucretius mendosus, laceratus, ac deformatus obsolescebat, bonis eam suis, & opibus auitis auerem, ditarem, atque ornarem: deinde ut de omnibus omnium gentium hominibus, quos Latini sermonis mundities delectat, optimo huius linguæ auctore tot mendis ferè perpurgato, bene mererer: postremò ut omnes bonarum litterarum studiosi tibi, Rex potèntissime, qui patris & aui tui vestigia persequens, ingenuarum artium, bonarumque litterarum doctores, ac magistros Lutetiæ Parisiorum amplis præmiis affectos retines, alis, ac tueris, gratiam habeant, quod ij, quos in vrbe totius Galliæ maximæ, ac celeberrima liberalibus artibus, ac disciplinis, litterisque Hebraicis, Græcis, ac Latinis docendis præposuisti, non solum iuuentutem ex omnibus Europæ partibus in hanc urbem, tanquam ad vberimum omnium disciplinarum mercatum, conuenientem viua voce erudiant, verum etiam scriptoribus antiquis iniuria temporum deprauatis in integrum restituendis, omnium mortalium à litteris non abhorrentium studia iuuare, ac subleuare conentur. Enimuerò, Karole, nihil habet tua maiestas maius, quantumuis licet alij artem militarem extollant, quam quod bonas litteras, ingenuasque disciplinas diligis, tueris, ac propagas. Ars enim militaris sine litterarum, & doctrinæ adiumento non solum Regibus ac ciuitatibus liberis parum prodest, verum etiam totas sæpe respublicas, totaque regna labefactat, ac funditus euertit: litteræ contra, & cognitio rerum ex libris petita, sæpe sine armorum & rei militaris accessione maximas ciuitates incolumis, potentissimæque regna salua tuetur, & cõseruat. Iam verò quod nos maleuoli quidam homines insimulant, quasi omnia reip. mala, quæ his perditissimis temporibus vidimus, à litteris, & litteratis orta sint, ut tibi persuadeant litteras ex tota Gallia esse eiiciendas, funditumque extinguendas, si remp. ab his malis conquiescere, aut respirare cupis: sic contra tibi persuadeto Karole, veriùsque hoc esse credito, quam *Pythia quæ tripode ex Phœbi, lauroque profatur*, ut ait Lucretius, eos omnes, qui huiusmodi sermonibus litteras in crimen, & inuidiam vocant, vel auaros, vel ambitiosos, vel facinorosos & sceleratos, & similibus vitis co-

pertos, & contáminatos esse: atque iccirco litteras odisse. Nam cum suis flagitiis, & vitiis latebras ac tenebras quærant: litteras autem clarissimi luminis instar esse intelligant: nihil suis tetrís vlceribus, grauissimisque animorum morbis tam aduersum, quàm litteras esse arbitrantur. Itaque viri boni, integri, abstinentes, temperantes, innocentes, & litteras plurimi faciunt, & litterarum studiosos colunt, in pretio, atque in honore habent: eosque si reuiuare non possunt, at verbis amplissimis, & oratione perquam honorifica prosequuntur. Sed de his nimis fortasse multa, præsertim ad te. Hos igitur T. Lucretij Cari de natura rerú libros sex, Karole Rex inuicte, omnium, qui vnquã post artem typographicam inuentam emendatissimos tibi dono, ac dedico. Neque verò in hoc stellionatus crimen, aut inconstantia vituperationem fuscipio, quòd, quæ aliis iam antè despõderim, ac donarim, tibi denuò donem. Singulos enim libros singulis viris tui regni & mihi amicissimis, & doctissimis eo animo donavi, vt esset amicitia nostra monumentum sempiternum. Tibi autem nunc eosdem vniuersos illorum rogatu tibi dono: quin illi ipsi, qui tuo in regno nati sunt, qui que te dominum ac Regem suum agnoscut, seipos vnà cum his libris tuos esse profitentur, tibi que tradunt, & commendant, vt & ipsi, & libri tuo fidelissimo præsidio freti, ab omni iniuria externa sint tutiores, ac munitiores. Nam singuli singulis donati, ac traditi, atque ita disiuacti, ac diuulsi, contra iniuriam hominum virtuti inimicorum atque infestorum, his præsertim temporibus cum litteræ inuidia, odioque immeritò laborant, fortasse essent imbecilliores. Nunc autem coniuncti, & vniuersi tibi, & tuæ certissimæ fidei commédati, tuaque validissima & potentissima dextera rectori ac defensori nullos quantumuis acris & violentos maleuolorum hominum impetus pertimescent. Ita igitur viuas, & valeas, & regnes, Karole, vt litterarum, ac litteratorum, virtutè que præstantium virorum columen, & præsidium, & per fugiũ multas ætates esse possis. Lutetia, anno ab humano genere seruato CIO IO LXXII. Kalendis Nouemb.

DIONYSIVS LAMBIVS

Monstrolienfis Errico Memmio Parisiensi supplicum
 libellorum in Regia magistro S. D.



*V*amobrem hunc primum T. Lucretij Cari de natura rerum librum tibi donarim, Errice Memmi, cause multæ concurrerunt. mouit me primum magnus inter nos vsus, & summa necessitudo satis longo cõuictu, neque parua aut breui consuetudine, constituta, ab illo iam tempore, cum ego, tu, & frater tuus Io. Iacobus Memmius, Io. Maludanus, homo doctissimus, idemque vir optimus, studiorum vestrorum socius & quasi moderator (ex cuius morte nec opinata, atque immatura, mihi nuper ab Aurato nostro nunciata, incredibilem hausi dolorem) Tolosæ vnà commoramur. Qua in vrbe tamen si omne ferè nostrum studium in iure civili ponebamus: horas tamen aliquot pomeridianas, & vespertinas, & subsæciuas ad Græcos & Latinos quosdam scriptores legendos conferebamus. atque ex Græcis quidem Homerum, Euripidem, Theocritum, Xenophontem, Plutarcum: ex Latinis autem M. Tullium, M. Varronem, C. Cæsarem, T. Liuium, Virgilium, Horatium remissionis animorũ gratia legebamus. Sic igitur me afficit suauissima illius temporis recordatio, vt neque mihi vnquam beatius vixisse videar, & si re præteream, atque adeò si non in principe loco ponam, flagitium me admissurum putem. Multum secundo loco apud me valuit tui, & C. Memmi Gemelli, cui vni suos libros omnes Lucretius inscripsit, & dedicauit, nominis communitas, eaque, quam Græci appellant, εὐνοία. Nam cum ego vniuersos quidem libros Regi Karolo nono consecratos: singulos autem singulis hominibus nostratibus & mihi carissimis, & doctrinã præstantibus donatos in lucem prodire voluissem: existimaui, quemadmodum Lucretius Memmio omnes dicaisset, ita me tibi, itaquam eius gentili vnum saltem librum, eumque primum, dicare debere. Accessit & quæ mihi ad hoc faciendum acerimos stimulos admouit, tua omnium Græcorum, & Latinorum librorum, non modò è typis expressorum, verum etiam manuscriptorum, quos vndique magno pretio conquisisti, & collegisti, instructissima bibliotheca: ex qua depromptum vnum T. Lucretij Cari exemplar peruetustum cum mihi commodatò dedisses: tantum mihi ad huius ornatissimi, politissimique scriptoris partim iniuria temporum, partim culpa hominum vel indoctorum, vel ineptè religiosorum deprauati emendationem adiumentum attulisti, vt non minimam partem locorum in eo restitutorum cum præsens ætas, tum omnis posteritas tuo libro sit debitura. Atque hoc pluris est ea, quam habes, optimorum librorum suppellex, quòd

eam libentissime, ac liberalissime iis omnibus impertiris, quos exploratum habes, solere, unde profecerint, ingenue profiteri, neque eum, quem foris perceperint fructum, sibi vendicare. Itaque mihi, quem optime nosti, & quem scis noiam omnium M. Tullij scriptorum editionem omnibus suis numeris, & partibus perfectam atque expletam meditari, iam pridem tria vetustissima, atque emendatissima omnium M. Tullij operum exemplaria vltro detulisti, currentemque (vt aiunt) incitasti. Neque verò id solum fecisti, sed etiam, (qua in re industriam ac diligentiam tuam incredibili litterarum amore coniunctam admiror) scripturas omnes inter se dissimileis, atque à vulgata lectione discrepantibus ad oram vnius exempli typis excusi, partim tua, partim tui librarij manu ascriptas mihi commodasti, vt minore meo labore ex talibus scripturis quasi sub vno aspectu positis, Adriano Turnebo interea, & Io. Aurato collegis meis, quorum iudicium est, vt scis, in hisce litteris subtilissimum, adhibitis, & consultis, eam potissimum sequerer, ac probarem, quæ & M. Tullio esset dignissima, & eius sententiæ maximè consentanea, & omnium virorum doctorum consensu, nemineque repugnante, optima ac verissima. Namque omnino mihi deliberatum est à vulgata & recepta scriptura ne latum quidem vnguam discedere, nihilque in tanto, talique scriptore immutare, nisi quod ita perspicue & sine controversia corruptum sit, ac deprauatum, cuiusque restitutio ita sit auctoritate librorum veterum comprobata, & (quod caput est) veritate ac ratione fundata, vt omnes mortales neque indoctissimi, neque maximè hebetes sic esse legendum, quemadmodum restituendum curauero, fateantur. Verùm de M. Tullio & alijs, & suo loco. Nunc T. Lucretij Cari de natura rerum à me summa (quod te non fugit) diligentia, maximoque labore ad veteres membranas emendati, atque ex carie, situ, & squallore in suam pristinam formam, natiuumque habitum ac nitorem propemodum vendicati libri primum, tibi tuo merito libentissime dono. Vale. Lutetiæ anno à genere humano seruato CIO IO LXIII. Kalendis Sextilibus.

Idem erudito Lectori.



VI R mea semper hæc sententia, lector erudite, eos qui scriptores veteres vel difficileis, atque obscuros explanant, atque illustrant, vel iniuria temporum deprauatos, codicum manuscriptorum auctoritate freti in antiquum statum, pristinumque ac natiuum splendorem restituant, de bonis literis, honestisque disciplinis melius mereri, quàm qui aut poemata, aut orationes, aut libros artem aliquam iam antè à veteribus traditam, atque explicatam complectentibus scribunt & componunt. Nam si se ad poemata scribenda conferent: profectò Virgilio, Catullo, Horatio, Tibullo, & ceteris, quos sibi ad imitandum proposuerint, non erunt superiores. Si orationes, & epistolas conscribere conabuntur: à M. Tullij facundia, atque eloquentia longo scilicet aberunt interuallo. Si verò artis grammaticæ, aut rhetoricæ, aut dialecticæ præceptiones litteris persequi studebunt: veteribus illis, qui eadem præcepta tradiderunt, sine dubio multo erunt inferiores. Itaque cum horum ferè omnium arrogantiam mirari soleo, tum eorum maximè stultitiam, ac pæne dicam, insaniam satis miserari, ac deplorare non possum, qui hodie grammaticas artes, rhetoricas, dialecticas magno supercilio adolescentibus venditant, atque ostentant. Nam vel ea ipsa dicunt, quæ sunt iam à veteribus occupata: vel alia. Si eadem: vel id apertè, & sine dissimulatione faciunt: & tum, præterquam quòd impudentes, atque iniusti sunt, etiam actum agunt, inanemque operam sumunt: vel obscure, ac dissimulanter, quibusdamque rebus immutatis: & tum nihil à furibus differunt, qui rerum furtiuarum notis commutatis, furta sua se occultare posse confidunt. Si alia omnia afferunt, nugas afferunt: & ita non ignorantiam solum, verùm etiam temeritatem, ac vanitatem suam patefaciunt, indicant, ac produnt. Cum enim afferre meliora non possint, reliquum est, vt suis sectatoribus deteriora, atque improbanda pro optimis, & probatissimis obtendant. Ita si ita sentiunt, quemadmodum præ se ferunt: cum ipsi magno in errore versantur, tum alios in eundem errorem secum trahunt: sin quæ recta sunt, intelligunt, sed aliter tamen vel quæstus spe ducti, vel inani gloria perusti faciunt: capitale fraudem admittunt. Neque verò me fugit nonnullos & nostra, & patrum nostrorum ætate claros viros extitisse, qui & poemata


ra, & orationes, & arteis magna cum sua laude conscripserunt. Sed & rarum est hoc hominum genus, & nescio quo modo plerunque fit, vt, qui ad scribendum sunt ineptissimi, ij incredibili scribendi dulcedine, ac voluptate, quasi prurigine, & scabie quadam affecti ducantur: qui contrà ad id ipsum cum ingenio, & natura facti, tum arte & studio egregiè instructi sunt: ij aut à scribendi voluntate & consilio refugiant: aut, si quid soli & apud se scribant, de eo in vulgus edendo, tanquam sibi & Musis canentes, non valde laborent. Ego autem quid in scribendo possum, aliis iudicandum relinquo, si modò è scriptis meis non ita multis, quæ diuulgata sunt, iudicium fieri poterit. Sed certè in hoc genere partim explicandorum, ac declarandorum, partim restituendorum atque emendandorum poëtarum veterum elaborauit. Qua in re quam laudem meruerim, nescio: quin ne quaesui quidem. Semper enim in ipsa virtute, & rectè factis satis laudis inesse iudicauit, etiam si multitudo non laudaret. Verumtamen mihi conscius sum me omnibus bonarum litterarum studiosis prodesse, & consulere voluisse. Si non fuit par voluntati facultas, non arrogantia, aut confidentia, sed tarditatis aut infirmitatis crimen suscipere debebo. Sed ad Lucretium tandem, cuius gratia hic sermo à me institutus est, venio. Hunc igitur poëtam, lector humanissime, liquidò tibi confirmare, verèque apud te gloriari possum, mea opera planè alium ab eo, qui abs te antea visus sit, in manus tuas peruenire. Ostingentis enim locis (neque hoc *κατὰ βιβλίους*, sed Latino more dico) restitutum esse, tibi legendo cognoscere, atque experiri licebit. Vfus autem sum in eo restituendo, Romæ quidem tribus libris manuscriptis: vno Vrticano: altero qui fuit Gulielmi Faëрни: tertio quem Scipio Tethius Neapolitanus mihi commodatò dedit: Lutetia verò duobus: vno Memmiano, altero Bertiniano, qui ex cœnobio D. Bertini, (Est autem hoc cœnobium in oppido D. Odomari non longè à Morinis) olim ad P. Gallandium ipsius rogatu Lutetiam missus est, deinde Adriano Turnebo à P. Gallandio eius copia facta est. Atque ego (ne mentiar) Bertinianum codicem, quem in meis scholiis sæpe commemoro, non vidi, sed librum Adriani Turnebi è formis plumbeis expressum, cum illo exemplari manu scripto diligentissimè, & accuratissimè vsque ad librum sextum duntaxat comparatum habui, quandiu volui: eumque, quia Bertiniani codicis scripturas omnes dissimileis, & differenteis à vulgatis summa fide imitatas continebat, Ber-

tinianum nominauit. Ne vulgatos quidem libros aspernatus sum. Quin omnes, quos potui, vndique conquisui, & corrogauit, Parisienses, Lugdunenses, eosque binos, Venetos item binos, vnos antiquiores, alteros recentiores, Florentinos, Vicetinos, Basilienses. Præterea grammaticos omnes veteres, & linguæ Latinæ veluti magistros, quos superioris ætatis oratorum, ac poëtarum versus protulisse meminisse, studiosè relegi: in his Varronem, Pompeium Festum, Macrobius, Nonium Marcellum, Sospitrum Charisium, Seruium, Priscianum, & simileis, vt si qui versus Lucretiani integri, aut certè quàm minimùm corrupti ab eis proferrentur, ego eorum testimonium secutus, Lucretij vulnera sanarem. Scholia præterea, seu breuis commentarios addidi, quibus partim immutatorum à me locorum rationem reddidi, partim obscuriores quasdam voces declarauit, partim quædam ad philosophiam, aut historiam pertinentia, difficiliora, atque impeditiora, ex Platone, Aristotele, Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Plutarcho, Diodoro Siculo, Strabone, Arriano, Laërtio, C. Cæsare, T. Liuius, Q. Curtio, Plinio, & aliis expediui, atque illustraui. Postremò quoniam sæpe meis viribus, meoque ingenio diffusus, vbicumque mihi, vt hærerem, accidit, ad viros doctos mihi notos ac familiareis, tum alios multos, tum verò Gallia nostræ, atque ad eò totius Europæ principes, collegas meos Adrianum Turnebum, & Ioannem Auratum retuli: eorum sententias, & quasi responsa summa fide ipsis auctoribus reddidi: neque me puduit, vnde profecissem, ingenuè profiteri: quin contrà turpissimum mihi futurum duxi, id quod ab aliis acceptum probauissem, mihi impudenter ascribere, atque arrogare. Hæc te lector scire volui. Atque ea ipsa nimis fortasse multa tibi videbuntur, iam dudum Lucretium legere properanti. Sed te per humanitatem tuam, per fidem tuam, per pietatem tuam, per eam denique, quam mihi debes, si quam debes, gratiam, obsecro, & obtestor, ne prius Lucretium legere incipias, quàm librarij, operarumque errata ita correxeris, quæ admodum esse corrigenda ad calcem libri admonui. Quod si qua alia inter legendum animaduertes, quæ nos fugerint, ac latuerint: fac memineris nos homines esse, discasque rebus humanis concedere oportere. Vale.

IO. AVRATVS, IN LVCRETIVM

à Dionyf. Lambino restitutum.

Immortalia si mortalibus ex elementis
Non est, vt possint vlla ratione creari:
Mentis opusque tuæ sunt carmina docte Lucreti,
Quæ tu de rerum natura pangere pergis:
Miror te mortalem animi studuisse probare
Mentem, talia quæ scripta immortalia condat.
Nam si quas maculas iniuria temporis (vt fit)
Chartis fortè tuis alleuerat, ilicet, illas,
Vt quondam Cicero, sic nuper mente sagaci
Detergens Lambinus, in antiquumque nitorem
Carmina restituens, docuit viuacius esse
Mente nihil, scriptis dare quæ sit idonea vitam.
Denique quæ possit non immortalis haberi
Vis animi, quæ immortalē dat carmine famam
Atque sibi, atque aliis: tibi vt olim clara propago
Memmi, cuius adhuc per carmina vatis amici
Gloria viua viget, magè quàm per clara trophæa,
Aut tabulas pictas, aut erepta vrbibus æra.
Nunc certè tanto post tempore Memmius alter,
Qui sua gentili cognomina comprobat arte,
Ipse colens musas, illasque colentibus æquus,
Nominis immortalē decus sibi sentit oriri,
Atque alij pariter, quibus, ô Lambine, labores
Ipse tuos in restituendo vate vetusto
Consumptos immortalī cum laude dicasti,
Aeternum æterni monimentum & pignus amoris:
Atque animi simul æterni, senioque carentis
Argumentum ingens contra facunda poëta
Dicta magis, quàm plena rata ratione, fidèque.
Sed nos ingenij miremur acumina, linguæ
Flumina miremur: pietas sua fœdera seruet.



T. LVCRETII CARI
DE RERVM NATVRA,

LIBER PRIMVS.

A Dionysio Lambino commentariis illustratus.



*Eneadum genitrix, hominum, di-
uumque voluptas,
Alma Venus, celi subter labetia signa
Quæ mare nauigerum, quæ terras
frugiferentis
Concelebras: per te quoniam genus
omne animantum
Concipitur, visitq; exortu lumina solis:
Te, dea, te fugiunt venti, te nubila celi,
Aduentumque tuum: tibi suauis Dadala tellus
Summittit flores, tibi rident æquora ponti,
Placatumque nitet diffuso lumine calum.
Nam simul ac species patefacta est verna diei:
Et referata viget genitabilis aura Fauoni:
Aëria primum volucres te, diua, tuumque
Significant initum perculse corda tua vi.
Inde fera pecudes persultant pabula læta:
Et rapidos tranant amneis: ita capta lepore,
Illecebrisque tuis omnis natura animantum
Te sequitur cupidè, quod quanque inducere pergis.
Denique per maria, ac monteis, fluuiosque rapaceis,
Frondiserisque domos auium, camposque viventeis,
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis, vt cupidè generatim sæcla propagent.*

A

AENEADVM] Aeneadarum, id est Romanorum, qui ab Aeneapro-
 gnati sunt. profert hunc primum versum Prisc. lib. 7. GENETRIX]
 Aeneæ matrem esse Venerem his versibus testatur Homerus ἰλ. ε. Αἰνείας δ'
 ἰδὸς μεγαλήτορος Ἀρχέσιω Εὐχεται ἐν μεγάροισιν: μήτηρ δ' οἱ ἔσ' Ἀφροδίτη: Et Sopho-
 cles in Laocoonte. Νῦν δ' ἐν πόλεισιν Αἰνείας ὁ τῆς θεοῦ: & Virgil. lib. 1. Aeneid.
 Sic Venus: at Veneris contra sic filius orsus. idem lib. 7. Talia connubia, & taleis
 celebrent Hymenæos Egregium Veneris genus, & Rex ipse Latinus. & T. Livius
 lib. 1. annal. Aeneam filium Anchisæ & Veneris, &c. Quemadmodum autem
 à Romanis Mars eò quòd Romuli pater haberetur, Romani generis au-
 ctor dicebatur: ita Venus Romanorum genetrix appellabatur propterea
 quòd Aeneæ mater existimabatur. Iccircò Romulus cum annum describe-
 ret, eumque ex decem mensibus constitueret, primum à Marte patre Mar-
 tium, secundum à Venere, tanquam matre, aut certè progenitrice Aprilem
 nominavit. Atque ob eandem causam Romani in sacris Martem patrem,
 Venerem geneticem appellabāt, vt scribit Macrobius lib. 1. ca. 12. Saturn. Eo-
 demque loco Aprilem dictum esse tradit, quasi Aphilem ἀπὸ τῆς Ἀφροδίτης.
 genetrix autem excudendum curavi, non genitrix, tum quia ita scriptū reperi
 in duobus libris manuscriptis, tum quòd sciam ita locutos esse veteres, nō
 genitrix, tamen genitor dicerent, non genitor. DIVVM QVE VOLV-
 PTA S] Nam poëta etiam Deos faciunt rebus Veneris delectari: quod
 est indignum eorum maiestate: sed illi humana ad Deos transferunt, di-
 vina malle ad nos, inquit M. Tull. ALMA VENVS] Festus: alma, sancta,
 siue pulchra, siue alens, ab alendo scilicet. Hoc principium secundi versus, &
 principium item primi mutuatus est in illo disticho Ausonius. Orta sa-
 lo, suscepta solo, patre edita celo, Aeneadum genetrix, hic habito alma Venus.
 CAELI SVBTER LAB. SIG. &c.] ordo est, quæ concelebras mare,
 quæ concelebras terras subter signa cæli labentia, id est quæ mouentur
 vna cum cælo. Vnde æthera signiferum appellat lib. 5. Parribus erumpens
 primis se sustulit æther Signifer. CONCELEBRAS] hunc & superiorem
 versum profert Nonius Marcellus: interpretaturque concelebras, commo-
 ues. ego concelebrare malim interpretari, celebres, & cultas reddere, vel
 colere, & frequentare. sic lib. 2. Et varia volucres, latantia quæ loca aqua-
 rum Concelebrant. Mecum facit ea ratio, quæ sequitur: quoniam Veneris
 opera, & beneficio omne animantium genus oritur. PER TE QVO-
 NIAM GENVS, &c.] sic Ouid. 4. Fast. Quid genus omne creat volucrum,
 nisi blanda voluptas? VISITQVE EXORT. IVM. SOL.] exori-
 tur, prodit in lucem, hac lucis vsura frui incipit. sæpe hæc duo nomina sic
 coniunguntur, vt infra eod. lib. Nec foret omnino cælum, neque lumina solis.
 lib. 2. hæc æra rarum Sufficiunt nobis & splendida lumina solis. ibid. Nam cum
 cæcigeni, solis qui lumina nunquam Aspexere, &c. & lib. 5. Matutina rubent ra-
 diati lumina solis. Vsurpavit & Virgilius lib. 6. Aeneid. Ecce autem primi sub
 lumina solis, & ortus. idem lib. 8. Surgit & ætheris spectans orientia solis Lumi-
 na, &c. Hom. ὁδ. λ. φδὸς δὲ λειοῦ. & item sæpe. TE, DEA, TE.] διακοπή,
 vt apud Virgil. Georg. 4. Duc, age, duc ad nos. ibidem, Scis Proteu, scis ipse.
 TE FVGIVNT VENTI, &c.] quia tu tuo aduentu cælum, terras, &

An. ad imag. Didur.
 falsitatis vater temeritate carmine vni
 humanisq; Deum assimilant vni.

maria serenas. ADVENTVM QVE TVVM:] sic restitui ex auctoritate
 quinque librorum manuscriptorum: quibuscum consentiunt nonnul-
 li typis excusi. repetendum autem est ἀπὸ κοινοῦ verbum fugiunt, quod an-
 tecedat. Iam verò per aduentum Veneris, mensis Aprilis initium signifi-
 cat. DAEDALA TELLS] Festus, Dædalum à varietate verū, artificiorū
 que dictū esse apud Lucretium terram, apud Ennium Mineruā, apud Virgiliū Circeā,
 facile est intelligere, cum Græcè δαδάλειον significet variare. Hactenus Festus.
 Idem Lucretius hoc eodem lib. aut redductum dædala Tellus Vnde alii? idem
 in lib. 4. Mobilis articulatur verborum dædala lingua. idem lib. 5. naturæque dæ-
 dala rerum. ibid. Carmina, picturas, & dædala signa polivæ. Virg. lib. 4. Georg.
 Et munire fauos, & dædala fingere tellæ. Hom. ἰλ. σ. αὐτὰρ ἐν αὐτῷ Ποιεῖ δαίδωνα
 πολλὰ ἰδύουσι ποταμίθεσσιν. ib. Πάππος δὲ δαδάλων. Quòd si quis malit hoc nomen
 à Dædalo præstantissimo fabro ductū esse, nō pugnabo. SVMMITIT.]
 subministrat, & suppeditat: vel sursum mittit, effert, profert. idem eod. lib.
 Latifcos nequeat Tellus summittere flores. RIDENT] sua æquabilitate, & trà-
 quillitate hilaritatem quandam præ se ferunt. Tralatio est à rebus anima-
 tis, & ratione præditis, quæ risu hilaritatem significant: vel iccirco res ina-
 nimæ ridere dicuntur eæ, quæ sunt ornata, magnificæ, bellæ, placidæ, tran-
 quillæ, quòd quemadmodum qui rident, risu, & hilaritate diffunduntur, ita
 & res aspectu pulchræ, & nitentes, & politæ, hilaritate diffundunt specta-
 torem. Horat. oda x i. lib. 4. Ridet argento domus. Hom. ἰλ. τ. Αἴγλη δ' ἐραυδῶ
 ἴνα, γέλασσε δὲ πᾶσα πᾶσι χθόν. Virg. Pollione. Mistæque ridenti colocasia fundet a-
 cantbo. Lucret. lib. 2. Præsertim cum tempestas aridet, & anni Tempora consper-
 gunt viridantis floribus herbas. & lib. 5. Præsertim si tempestus ridebat, & anni
 Tempora pingebant viridantis, &c. & lib. 4. Vnguenta & pulchra in pedibus Si-
 cyonia rident. AEQVORA PONTI] tràquillitas, atque æquabilitas mar-
 ris: mare nullis ventis concitatum, & iccirco æquabile & tranquillum.

PLACATVM QVE &c.] & cælum serenum, minimèque turbulentum.
 tralatio est. Placatum autem habent libri manuscripti, & nonnulli typis ex-
 cusi: alij Pacatumque. DIFFVSO LVMINE] dispulsis, & discussis à sole
 tenebris. Idem lib. 3. prin. Sempërque innubilus æther Integrit, & largè diffuso lu-
 mine ridet. NAM SIMVL AC SPECIES, &c.] id est, nā statim vt ver
 aduenit. ET RESERATA VIGET] idem dicit: & simulatque Fauo-
 nius Veris prodromus, apertus, ac patefactus vigere cœpit, qui antea quasi
 obseratus, & clausus videbatur. Obserare, est sera claudere. Catul. ad Ipsith.
 Nequis luminis obseret tabellam: cuius contrarium est referare. Ennius. Nos au-
 si referare. M. Tul. offic. 2. Quamobrem nec ita claudenda res est familiaris, vt
 eam benignitas aperire non possit: nec ita referanda, vt pateat omnibus. GENTA-
 BILIS] sic habent omnes libri typis excusi præter Venetos antiquos, &
 Vicetinos. Manuscripti autem, cum quibus impressi ij quos dixi, consen-
 tiunt, genitalis: qua voce sæpius idem Lucretius vtitur, vt hoc eodem libro.
 Que nos materiem, & genitalia corpora rebus, &c. & lib. 2. Corpora iactari vnus
 genitalia rei. ibid. in extremo Muli æque post mundi tempus genitale, diemque. &
 lib. 4. Nec diuina satum genitalem numina cuiquam Absterrent. & lib. 5. genita-
 lis origo. Et item Virgil. lib. 2. Georg. genitalia semina poscunt. & lib. 3. obtu-

for vsus Sit genitali aruo. genitale autem est quod ad gignendum valet, quòdve gignendi vim habet. Credibile est porò idem valere genitabile, & genitale: quemadmodum penetrabile & penetrabile, vtrumque pro eadem re est in vsu, vt innumerabile, & innumerabile: naturalis & naturabilis. M. Tull. in Lælio. Ita pulcherrima illa, & maximè naturabili carent amicitia. ita enim legitur in vet. cod. Existimant tamen quidam docti viri hoc loco legendum *genitalis*, non ob id solùm, quòd ita habeant aliquot libri manu scripti, verùm etiam quòd vox *genitabilis* non videatur Latinis vsitata. Quòd autem ad versum attinet, aiunt choreum esse pro dactylo, seu spondeo: quam licentiam sibi interdum permittunt poëtae. Ego hac de re iudicium meum non interponam. viderint doctiores. Sed vox *genitabilis* tamen reperitur apud Varron. lib. 4. de lingua Latina: vbi tanquam testem producit hunc Lucretij versum, si modò locus mendo vacat, his verbis. *à qua bipartita diuisione Lucretius suorum vnus, & viginti librorum initium fecit hoc: Æthereis & terræ genitabile quæere tempus.* & apud Tull. in Arato. *Sollers natura, & rerum genitabilis ordo.* INITIUM,] id est, ingressum, introitum: à verbo inco, quod valet ingredi, vt inire magistratum, inire viam, & in eunte ætate, in eunte vere. sed non dissimulabo in Gulielmi Faerni, & Scipionis Tethij, & Bertiniano & Memmiano codice scriptũ esse *initium*. qua scriptura tamen reiecta, *initium* retinui, vt habet Vaticanus, & omnes typis excusi. sic Ouid. de Venere. *Iuræque dat calo, & terræ, & natalibus undis: Përque suos initus continet omne genus.* Idem Lucret. lib. 2. *Vt videas initium motus à corde creari.* Idem hoc eod. lib. *Vnde initium primum capiat res quæque creandi.* & lib. 3. *& mobilis illa Vis, initium motus ab se quæ diuidit ollis.* PERCVLSAE CORDA] hellenismus, vt infra eod. lib. *menteis percussa nouellas.* & Virg. lib. 6. *lacerum crudeliter ora, Ora, manisque ambas.* & sexcentis aliis aliorum scriptorum locis. PERSVLANT PAVLA] saltu percursant, & prætereunt, & ita negligunt, scilicet rebus Venereis intentæ. ILLECEBRIS QVE TVIS &c.] Hic versus abest à quattuor cod. manuscriptis: neque eum Nauagerius, neque Pontanus habuerunt: desideratur denique in codicib. Vicetin, & Parisiensib. Marullus vnus, vir doctus ex auctoritate veteris cuiusdam codicis, (quemadmodum mihi religiose asseueravit Donatus Ianottus) nobis eum restituit. Amicus quidam meus ingenio & doctrina præstantissimus putat esse ab ipso Marullo factum, ac pro Lucretiano suppositum, cum putaret ille aliquid deesse, neque desit quicquam. Sic enim hunc locum hoc versu deleto explicat: ita capta lepore quæque pecus *Te sequitur cupide, quo quanque inducere pergis.* ego aliud quod dicam, nihil habeo, nisi quòd mihi videtur versus Lucretio dignissimus. iam hæc duæ voces in extremo versu *natura animantium* sæpe ab eodem item vsurpatæ sunt: vt infra hoc libro. *Nec porò secreta cibo natura animantium Propagare genus possit,* &c. ibid in extremo. *Nam veluti primata cito natura animantium Diffluit,* &c. QVO QVAMQVE] duo libri scripti, & nonnulli impressi, quocumque: vtraque scriptura probabilis est. FLVVIOSQVE RAPACEIS.] sic Virg. Georg. 2. *fluuiisque innare rapaceis.* ERONDIFERASQVE DOMOS AVIVM] nidus. INCVTIENS

B L. P. A. M.] vt incutere merum, bellum, ictum: sic & amorem dicunt poëtae. est enim amoris plaga grauis. quòd autem huic participio addidit *ἐπίδεται* blandum, significauit in amore dolorem inesse cum voluptate coniunctum. notum amorem seu Cupidinem *ἡρώπιον* à Platone dici. quod attribuit & Veneri Catullus carm. ad Manlium. *non est dea nescia nostri, Quæ dulcem curis miscet amaritiem.* sed idem tamen etiam ipsi Cupidini, carm. de Pelei & Thet. nupt. *Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces.* Vt est Lucretius eodem genere loquendi eod. lib. inf. *Et simul incussit suauem mi in pectore amorem.* EFFICIS VT CVPIDE] sunt enim in singulis animantibus innatæ miræ coniunctionis, & procreationis libidines. Quidam docti legendum putant *cupida* vt cohæreat cum voce pecudes. GENERATIM] per sua quæque genera. SAECLA PROPAGENT.] sua genera amplificent & multiplicent. in hoc eodem verbo producit primam syllabam infra eod. lib. *Propagare genus possit, vitæque tueri.* Et sanè Lucretius præpositionem *pro*, in plerisque compositis nunc producere, nunc corripere solet.

*Quæ quoniam rerum naturam sola gubernas:
Nec sine te quicquam dias in luminis oras
Exoritur, neque fit latum, nec amabile quicquam:
Te sociam studeo scribendis versibus esse:
Quos ego de rerum natura pangere conor
Memmiadæ nostro: quem tu, dea, tempore in omni
Omnibus ornatum voluisti excellere rebus.
Quo magis æternum da dictis diua leporem:
Effice, vt intere à fera mænera militiai
Per maria, ac terras omneis sopita quiescant.
Nam tu sola potes tranquilla pace iuuare
Mortaleis: quoniam belli fera mænera Mauors
Armipotens regit: in gremium qui sæpe tuum se
Reiicit æterno deuinctus volnere amoris:
Atque ita suspiciens tereti ceruice reposta
Pascit amore auidos inhians in te, dea, visus:
Eg, tuo pendet resupini spiritus ore.
Hunc tu, diua, tuo recubantem corpore sancto
Circumsusa super, suauis ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romanis incluta pacem.
Nam neque nos agere hoc, patriæ tempore iniquo*

Possumus æquo animo: nec Memmi clara propago
Talibus in rebus communi deesse saluti.

QUAE QUONIAM RERVM] quia ab illo loco, per te quoniam genus omne animantum, &c. longum est hyperbatum, multaque interiecta sunt, iterat copulationem illam quoniam, hoc modo. Quoniam igitur sola rerum naturam gubernas, &c. Te sociam cupio, &c. DIA S] aërias, seu ætherias, seu diurnas. Diurnas (inquit Festus) quod sub celo est: ex quo sub duo fieri dicimus, quod sub celo sit, & non sub tecto, interdum diurnas idem, quod diuinum. Virg. XI. AEn. dia Camilla. Horat. Sat. 2. lib. 1. Diæ Virtute esto, inquit sententia dia Catonis. Idem Lucret. lib. 2. Ipsæque deducit dux vitæ diæ voluptas. IN LUMINIS ORAS] in lucem: in regiones luminis. vñtatum genus Lucretio. inf. eodem lib. Dum tempestates adsunt, & vñda tellus Tuid res teneras effert in luminis oras. & 2. Quem pueri tollunt visentes luminis oras. ibidem, indignos esse putandos, Vitum progeniem qui in oras luminis edant. libro 5. cum primum in luminis oras Nixibus ex aluo matris natura profudit. & sæpe alibi. Idque imitatus est Virgilius Georgic. 2. Sponte sua quæ se tollunt in luminis oras, & libro 7. AEn. sub luminis edidit oras. sed videtur vterque ab Ennio sumisse. sic enim ille. At si se, sum quæ dederat in luminis oras. sum autem apud Ennium, valet eum, seu ipsum. Idem. O Romule, Romule dic, o, Qualem te patria custodem diu genuerunt? Tu produxisti nos intra luminis oras. NEQUE FIT LAETVM, &c.] sic Callimachus. Τις δὲ χόεις, ἢ δὲ τερπνὴ ἀπὸ χόους; Αφροδίτης; Τηθαίην, ὅτε μοι ἠκέρει τὰδ' αὖ μέλει: id est, Quid lepida? quid iucundum sine Cypride pulchra? Vita vale, curæ mi esse vbi desierit. ex quo Græci ἀφροδίτην, & ἀφροδίτην appellant, quod Latini inuenustum, id est illepidum, atque inornatum. M. Tull. epistolarum lib. 7. ad Volum. sed quoniam tanta fex est in vrbe, vt nihil sit tam ἀφροδίτην, quod non alicui venustum videatur, pugna, si me amas, &c. quo loco legitur in libris vulgatis ἀφροδίτην mendosè. TE SOCIAM STVDEO, &c.] Quæritur à doctissimis viris quid sit, quamobrè, cum Lucretius Epicuri ratione, & sententiam hoc poemate exprimere instituat: Epicurus autè dicat deos neque benemeritis capi, neque gratia flecti, neque irasci, neque res mortalium curare, hoc loco tamen Venerem Lucretius imploret, eam sibi in suo poemate scribendo sociam adiungere cupiat: precetur denique, vt illa interea dum ipse rerum naturam explicat, terras & maria tranquillet, bella componat, & pacem constituat. Extat hac de re eruditissima P. Victorij Florentini ad Io. Casam Florentinum epistola: in qua huic quæstioni ita putat responderi posse, si dicamus Epicurum, tamen si voluerit Deos nihil neque habere negocij, neque aliis exhibere, ἔρχεται tamen, id est preces non sustulisse, & vota mortalium de suis rebus à diis immortalibus audiri putauisse, aut certè Deos immortalis propter eorum præstantem & excellentem naturam, ab hominibus venerandos & colendos esse censuisse. Vtitur autem scriptoris locupletis Plutarchi testimonio: cuius hæc verba sunt in libro aduersus Coloten Epicureum. πῶς οὐδ' ἀπολείπουσι φύσιν, ἢ ἄσχυρὸν, καὶ ζῶον; ὡς ἐσχυρὸν, ἢ στυγερόν, ὡς περὶ ἀνθρώπων ἴδιον, ἢ ἄλογον. ἢ τῶ φάντα, ἢ περὶ ποιεῖται, ἢ ὀνομα-

ζῶον, ἢ τὰς ἀρχαῖς καὶ τοῖς δόγμασιν ἀπειθεῖν: id est quomodo igitur naturam & animum, & animal relinquunt? vt iusiurandum, vt preces, vt sacrificium, vt venerationem & adorationem, verbo, & aientes, & simulantes, & nominantes ea, quæ principiis, & decretis euertunt. eodem pertinet id, quod scribit M. Tull. lib. 1. de Nat. Deor. Si nihil aliud quæreremus, nisi vt Deos piè coleremus, & vt superstitione liberareremur, satis erat dictum. nam & præstant Deorum natura hominum pietate coleretur, cum & æterna esset, & beatissima. habet enim venerationem iustam quicquid excellit, &c. ibid. His terroribus ab Epicuro soluti, & in libertatem vindicati, nec metuimus eos, quos intelligimus nec sibi fingere ullam molestiam, nec alteri quærere: & piè, sanctèque colimus naturam excellentem, atque præstantem. Ego vt P. Victorio assentior, ita hoc etiam dici posse puto, Lucretium in proemio sui poematis non vt philosophum, sed vt merum poemam, à Deo opem, & pacem petere: & tamen in eo, quod à Venere potissimum auxilium petat, non longè ab Epicuri sententia discedere, qui summum bonum in voluptate, atque in non dolendo constituar, vt omittam quod homo Romanus neque indecorè, neque ineptè Venerem Romanorum matrem implorauit. PANGERE] translatum. nam propriè agricolæ plantas pangere, id est infigere dicuntur. Mar. Tullius ad Tiron. an pangis aliquid Sophoclem? sic idem Lucret. lib. 4. in proemio. Deinde quoddam obscura de re tam lucida pango Carmina. MEMMIADAE] Memmio Gemello: qui prætor fuit in Bithynia, & postea exulauit Athenis, vt perspicere licet ex M. Tullij ad eum epistolis lib. 13. Memmiadæ autem pro Memmio, vt Scipiadæ, apud Horat. saty. 1. lib. 2. Virtus Scipiadæ, & mitis sapientia Læli. & apud Virg. lib. 6. AEn. duo salmina belli Scipiadæ. & apud eund. Lucret. Quod superest, vacuas aureis mibi Memmiada, & te, &c. LEPOREM] tu lepôris dea, æternum & diuinum meis versibus pôrem asperge. nam sine te essent illepidi, atque inuenusti. FERA] tralatio est. nam ferum est, quod non est humanitate politum atque excultum. fera igitur militiæ munera intellige, quæ feris potius, quàm hominibus conueniant: quæ feros, atque immanis animos deceant. vsus est & quarto abhinc versu eadem translatione. MOENERA] secutus sum libros manuscriptos, qui ita habent. mœnera autem antiquo more dictum est pro murorum. MILITIA] militiæ: diæresis. Iam diphthongus æ, olim scribebatur per ai, ne cui mirum sit, ex æ fieri καὶ διαίρεσιν αἰ, vt viai, naturaï, materiaï, Iphianassaï, Geryonaï, & similia innumerabilia apud Lucretium, & item apud M. Tull. in Arato. Vos quoque signa videtis aquaï dulcis alumna. & sæpe aliàs: denique apud omnes veteres. NAM TV SOLA] atologia. QUONIAM] ἀπολογία ἀπολογία, quia (inquit) Mars belli moderator, & dominus est, qui tibi, vt amans, seruit. MAVORS] Mars, seu Mauors, quia magna veritat, appellatus. M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. ARMIPOTENS] Virg. lib. 9. AEn. Hic Mars armipotens animum, viresque Latinis Addidit. REICIT] sic habent ferè omnes libri vulgati. quidam scripti tamen Refficit. quam scripturam si quis probabit, legendum erit, in gremio qui sæpe tuo se Refficit: id est, recreat: quæ scriptura quibusdam doctis

placet. DEVINCTVS] sic habent tres libri manu scripti, quibus Romæ
 vsus sum, & item alij, Bertin. & Memm. sic Furius Bibaculus. *Ille graui su-
 bito deuinctus volvere habenas Misit equi.* & Virgil. lib. 8. AEn. *Tum pater æ-
 terno fatur deuinctus amore.* Notum est autem ex Homeri *δδωα, βιβ.ο.* Ve-
 nerem Martis amicam esse, eamque cum illo in adulterio deprehensam
 fuisse, cum eos ambos tenuissimis, & subtilissimis vinculis irretitos, atque
 implicatos Vulcanus Diis spectandos præbuisset. quæ fabula significat
 primarum qualitatuum calidi frigidi, sicci humidi temperationem. Mars
 enim sicus est & calidus: Venus humida & frigida. VOLNERE AMO-
 RIS] Virg. lib. 4. AEn. *tacitum viuit sub pedore vulnus.* Theocrit. *ῥῶρα πῆ-
 χθισον ἔχων ἄπο τῆρ δῖον ἔλκος Κὺ ποιδος ἐν υαλάσ.* volnere autem & volnus, &
 volgus, & volt, & similia excudenda curavi, quia sciam ita veteres esse lo-
 cutos. SVSPICIENS] sursum aspiciens. Sic autem habent libri aliquot
 vulgati, & tres manu scripti: duo item scripti, & quidam vulgati, suspirans,
 quam scripturam equidem non damno. TERETI] teres appellant La-
 tini longum cum rotunditate, & læuore: id fortasse quod Græci *ῥαδρόν.*
 Horat. ode 4. lib. 2. *Brachia, & vultum, teretesque suras Integer laudo,* &c. Virg.
 AEn. 6. *illam tereti ceruice reflexam.* REPOSTA] reposita. sic alibi po-
 sta, composita, disposita, & Virg. lib. 1. AEn. *manet alta mente repostum.* &
 Georg. 3. *non illis epula nocuere repostæ.* PASCITAM. AVID.] id est dele-
 ctat amore suos auidos oculos. idē Lucr. lib. 2. *Nēue bonos rerum simili consti-
 re colores Semine constituas, oculos qui pascere possunt.* & Terent. in Phorm. *re-
 stabat aliud nihil nisi oculos pascere.* & Virg. AEn. 1. *Sic ait: atque animum pi-
 ctura pascit inani.* Etiam Aristot. quodam loco scribit iucundissimum esse
 amanti rei, quæ amatur, aspectum. INHIANS IN TE] translatio est
 ab animantibus esurientibus, & auidē, atque ore aperto cibum appetenti-
 bus. Virg. lib. 7. AEn. *& prospectat euntem Attonitis inhians animis.* Plaut. Au-
 lular. *Credo illum audisse me habere thesaurum domi. id inhiat.* EQVE TVO
 PENDET RES. SPIR.] vel significat os ori, & labra labris affixa, qua-
 le est illud Tibulli, *Et dare anhelanti spumantibus humida labris Oscula.* & Lu-
 cret. lib. 4. *Quæ complexa viri corpus cum corpore iungit, Et tenet assuctis hūme-
 ctans oscula labris:* vel certē Martis amantis spiritum ex Veneris amicæ as-
 pectu pendere, atque aptum esse. cui sententiæ consentanea esset lectio.
Atque ita suspirans tereti ceruice reposta. HUNC TV DIVA, &c.] hunc tu
 Diua recubantem tuo corpore complexa. INCLVTA] sic habent libri
 scripti. *inclutus* autem (inquit Festus) *clarus, nobilis.* iam y & u idem sonant.
 AGERE HOC] naturam rerum explicare. hoc ipsum quod suscepimus,
 attentē, & sine cura agere: in hoc studium incumbere. de hoc loquendi
 genere nos plura diximus in commentar. Horatianis. sic lib. 4. *Nos ageve
 hoc autem, & naturam quæere rerum.* TEMPORE INIQVO] tempore
 aduerso. tempore iniquo, & quo animo, antithesis. TALIBVS IN RE-
 BVS] in rebus turbulentis: tempore belli.

*Quod superest, vacuas aureis mihi Memmiada, & te
 Semotum à curis adhibe veram ad rationem,*

Ne mea

*Ne mea dona tibi studio disposita fideli,
 Intellecta prius quàm sint, contemta relinquant.
 Nam tibi de summa caliratione, Deumque
 Differere incipiam: & rerum primordia pandam:
 Unde omneis natura creet res, auget, alâtque:
 Quòve eadem rursus natura peremta resoluat:
 Quæ nos materiem, & genitalia corpora rebus
 Reddunda in ratione vocare: & semina rerum
 Appellare suemus: & hæc eadem vsurpare
 Corpora prima, quòd ex illis sunt omnia primis.
 Omnis enim per se diuina natura necesse est
 Immortali æuo summa cum pace fruatur,
 Semota à nostris rebus, seiunctaque longè.
 Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
 Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
 Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.*

QVOD SVPEREST] attentionem sibi comparat. VACVAS] ocio-
 fas, atque attentas. MEMMIADA, ET TE] sic restitui coniectura du-
 ctus, cum hic locus in codice Bentiniano totus in litura demersus esset.

TIBI DISPOSTA] tibi disposita, & in ordinem digesta. DE SVM-
 MA CAELI RATIONE DEVMQVE] sic habent quattuor libri ma-
 nuscripti, & Aldini vtrique, & Vicetini, & Florentini. alij regione. ego ra-
 tione magis probo. sæpe enim ita loquitur, vt paulo infra. *Quapropter bene-
 cum superis de rebus habenda Nobis est ratio,* &c. & lib. 2. *Hoc tamen ex ipsis cali-
 rationibus ausim Confirmare tibi,* &c. M. Tul. lib. 3. de Finib. *Nec verò potest quis-
 quam de bonis, & malis verè iudicare, nisi omni cognita ratione natura, & vita,
 etiam Deorum,* &c. PANDAM] aperiam. Virg. lib. 3. Aeneid. *Anchisem fa-
 cio certum, remque ordine pando.* VNDE] ex quibus rebus, seu principiis.

QVOVE] vel in quas res. EADEM] mutat genus: eadem enim, id est
 eandem res peremtas natura resoluat: vel hoc modo: quòve eadem natura
 resoluat res peremtas: nam vt rouis modo *peremta* est accusandi casus.

GENITALIA] vim gignendi habentia: ad gignendum valentia: hac vo-
 ce vtitur sexcentis locis. OMNIS ENIM] Occupatio est. non temerè
 dixi (inquit Lucretius) ex corporibus primis omnia constare, & omnia in
 eadem resolui, naturamque omnia ex illis creare, & in eadem perimere.
 Nam si quis putet Deorum opera, & cõsilio res naturaleis creatas esse, ve-
 hementer errat. impia sententia. Iterantur hi sex versus lib. 2. absuntque
 ab hoc loco, in exemplis Venetis recentioribus, & Florentinis, & codici-

B

bus nonnullis scriptis. PRIVATA DOLORE] doloris expers. IPSA SVIS POLLENS OPIB, &c.] *ἢ τὰς οὐκ ἐπιθυμῶν: seipsa contenta. NEC BENE PROMERITIS, &c.]* nec capitur bene meritis, nec ira commouetur. promeritis vna vox est, non duæ, à verbo promereor. Plutarchus comment. *ἢ πρὸς τὴν ἰδέαν, &c. verba ipsa Epicuri profert ad hunc locum pertinentia. Εὐ νόσους δεύων, ἢ πόνους ἀπὸ βλάβου ἐπιπέσει πρὸς πᾶσι παρὰ θεῶν: πετύχασαι. τὸ γὰρ μακρότερον, ἢ ἄπο θάρσους ἢ τὰ ὄργων, ἢ τὰ χόλεος αὐτὸς χέεται,* id est, in morbis grauibus, & laboribus immoderatis speras aliquid boni à Diis? insanus es, nam quod beatum, & immortale est, neque ira commouetur, neque gratia flectitur. sic M. Tullius lib. 1. de nat. Deorum. *Quod aeternum, beatumque sit, id nec habere ipsum negocij quicquam, nec exhibere alteri. Itaque neque ira, neque gratia teneri, quod, quæ talia essent, imbecilla essent omnia.* CAPITVR] corrumpitur, vel flectitur, vel, vt Nonius Marcellus interpretatur, propitiatur. TANGITVR] commouetur, afficitur, vt idem Nonius. sic Virg. *Æneid. 9. nec solos tangit Atreidas Iste dolor.* & lib. 12. *miseri te si qua parentis Tangere cura potest. hoc totum autem nec tangitur ira, valet, nec irascitur.* Porro autem hoc etiam erat vnum ex Epicuri decretis, Deos neque irasci cuiquam, neque esse propitios: quod cum alibi declarat M. Tull. tum in oratione in L. Pisonem, vbi Pisonem ipsum sic facit loquentem. *Quid est Casar, quod te supplicationes tantopere delectent? in quibus homines errore ducuntur, quas dij negligunt, qui (vt noster ille diuinus dixit Epicurius) neque propitij cuiquam esse solent, neque irati.* Idem epist. ad Trebat. lib. 7. *Quomodo autem tibi placebit Iouem lapidem iurare, cum scias Iouem iratum esse nemini posse?*

+ *Humana ante oculos fœdè cum vita iacereet. +*
Intervis oppressa graui sub religione:
Quæ caput à cæli regionibus ostendebat,
Horribili super aspectu mortalibus instans:
Primum Graius homo mortaleis tollere contra
Est oculos ausus, primusque obistere contra:
Quem nec fama deum, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compressit cælum, sed eo magis acrem
Virtutem irritat animi, confringere vt arcta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.
Ergo viuuda vis animi peruicit, & extra
Procesit longè flammantia mœnia mundi:
Atque omne immensum peragravit mente, animoque:
Vnde refert nobis victor quid possit oriri,
Quid nequeat, finita potestas denique cuique

Quanam sit ratione, atque altè terminus hævens.
Quare religio pedibus subiecta vicissim
Obteritur, nos exæquat victoria calq.

HVMANA ANTE OCULOS] significat Epicurum animios hominum religione, id est, inani deorum timore, & superstitione liberasse. Nam Epicurus quidem, vt testantur Diog. Laërtius, & M. Tullius scripsit librum de pietate erga Deos: & supra diximus, Epicurum, quanuis negaret, Deos curam habere rerum humanarum, neque preces tamen, neque venerationem, & cultum deorum, tanquam prestantium naturarum sustulisse. quæ sunt profectò valde inter se pugnantia, vt ostendit M. Tullius lib. 1. de nat. Deorum his verbis. *Atqui scripsit librum de pietate erga Deos Epicurus ita vt Coruncanium, aut Scæuulam pontifices maximos te audire dicas, non eum, qui sustulerit omnem religionem: nec manibus, vt Xerxes, sed rationibus Deorum immortalium templa, & aras euerterit. Quid est enim cur Deos ab hominibus colendos dicas, cum Dij non modò homines non colant, sed omnino nihil curent, nihil agant? At est eorum eximia quedam, præstansque natura, vt ea debeat ipsa per se ad se colendam, allicere sapientem. An quicquam eximium potest esse in ea natura, quæ sua voluptate latans nihil nec ætæra sit vnquam, neque agat, neque egerit? Quæ porro pietas ei debetur, à quo nihil acceperis? aut quid omnino, cuius nullum meritum sit, ei deberi potest?* IACERE] humilis, mæsta, & prostrata esset, vel vt Nonius interpretatur, qui hunc versum profert, forderet. GRAIUS HOMO] Epicurus, Atheniensis, Gargetius, Neoclis filius. TOLLERE] at tollere, quanquam Non. Marcellus legit, tendere. VIRTUTEM IRRITATA ANIMI] irritat pro irritauit positum. vt apud Virg. lib. 9. *Sceptra palatini, sedemque petit Euandri.* Notat Priscian. Fumât, cupit, audit & similia habere vltimam syllabam circumflexam, si patiantur syncopam. sic iterum Lucr. lib. 6. *Quas exitus hic animam Disturbat vrbeis.* Itaque postrema syllaba longa est. quem (inquit) neque fama Deorum, neque fulmina, neque cælum minaci murmure compressit, sed eo magis irritauit, atque excitauit eius animi virtutem, vt omnibus difficultatibus sublatis, ac remotis ad explicationem naturæ, cognitionemque rerum inuolutarum atque obscurarum aditum, viamque sibi muniret. CONFRINGERE VT ARCTA, &c.] allegoria est ducta à re militari, & expugnationibus vrbiũ. CUPIRET] cuperet. notant Nonius, & Priscianus: atque hoc verbo in hac inflexione sæpe vtitur Lucret. VIVIDA] acris, potens, animosa. idem infra. *& viuuda tellus. Tundò res teneras effert in luminis oras.* Virg. 5. *Æn. Exigui numero, sed bello viuuda virtus.* idem lib. 10. *non viuuda bello Dextra viris, animisq; feroc. viuatus & viuudus (inquit Festus) à magna vi dicuntur.* ET EXTRA PROC.] & processit extra mœnia mundi, &c. FLAMMANTIA] flammantia propter sydera, & igneis æthereos. ATQVE OMNE IMMENSVM, &c.] aliud esse putat Epicurus id quod appellat omne, id est τὸ πᾶν, aliud mundum. nam mundus est finitus: omne autem est infinitum: mundus omni continetur, immò verò (si diis placet) mundi innumera-

biles eius sententia quotidie & fiunt in omni, & intereunt: at omne & hunc mundum, ceterosque omnes continet, & nunquam neque natum, neque interiturum est. V N D E R E F E R T] profert hunc versum Nonius, & interpretatur refert, ostendit. ego referre hoc loco sic accipiendum puto, ut apud Virg. Æneid. 4. Egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis: ut sit translato à re militari. QUID POSSIT ORIRI, &c.] iterantur hi duo versus & hoc libro infra, & lib. 5. victor Epicurus (inquit Lucretius) refert nobis ex ea veritatis inuestigatione, atque explicatione naturæ, quid possit nasci, quid non possit: qua ratione suus cuique rei finis sit constitutus, & terminus immotus, stabilis, æternus, altissimèque defixus, ac depactus. Legendum autem *quam sit ratione*, ut duobus aliis locis legitur.

ATQVE ALTE TERMINVS HAERENS] hunc locum Virgilius est imitatus, seu potius mutuatus lib. 4. Æneid. Et *si fata Iouis poscunt, hic terminus haeret*. Horatius stabilem rerum terminum appellat carmine saculari. PEDIBVS SVBIECTA Virg. lib. Georg. 2. *Felix, qui potuit rerum cognoscere causas, Atque metus omnes, & inexorabile fatum Subiecit pedibus, strepitumque Achevuntis auerni*. OBTERRITVR] cod. Memm. habet *Exterritur*. ceteri cum vulgatis congruunt. VICTORIA] Epicuri, qui cognitio rerum causis, inanem deorum metum sustulit, pietatem duntaxat securam, & deorum maiestati consentaneam reliquit: vel qui omnes religiones funditus euertit, & ita terroribus animos hominum liberavit. Sed dicamus Epicurum cum in plerisque aliis rebus, tum in hac impium fuisse.

*Illud in his rebus vereor ne fortè rearis
Impia te rationis inire elementa, viamque
Indugredi sceleris, quod contra sepius olim
Religio peperit scelerosa, atque impia facta:
Aulide quo pacto Triniæ virginis aram
Iphianassæ turparunt sanguine fœdè
Ductores Danaum delecti, prima virorum:
Cui simul infula virgineos circumdata comtus
Ex vtraque pari malarum parte profusa est:
Et mæstum simul ante aras adstare parentem
Sensit, & hunc propter ferrum celare ministros:
Aspectuque suo lacrymas effundere ciueis:
Muta metu terram genibus summissa petebat:
Nec miseræ prodesse in tali tempore quibat,
Quòd patrio princeps donarat nomine regem.
Nam sublata virum manibus, tremebundaque ad aras*

*Deducta est, non ut sollenni more sacrorum
Perfecto posset claro comitari Hymenæo:
Sed casta incesse nubendi tempore in ipso
Hostia concideret mactatu mæsta parentis:
Exitus ut classi felix, faustusque daretur.
Tantum religio potuit suadere malorum.*

ILLVD IN HIS REBVS] Occupatio est. IMPIA ELEMENTA] impias institutiones, ac præceptiones. INDUGREDI] indu, & endo præpositiones antiquæ, quæ valent in: ut induperator, indupeditus, indu statu indu mari, indu manus apud hunc eundem, pro imperator, impeditus, in statu, in mari, in manus. Et testamentum endo prociuctu, endoitium, pro in prociuctu, & initium. de quibus lege Festum. sic & apud Lucill. *Quam lepidè lexes composita! ut tessera omnes Indu pavimento, atq; emblemate vermiculato*. sic enim legendus ac scribendus secundus versus, non ut vulgò *Arte pavimento &c.* Idè *lactare indu foro se omnes, decedere nusquam*. SCCLERIS] id est impietatis. nam scelus, facinus est, vel cruentum, ut sicariorum & paricidarum, vel in parentes, patriam, Deos. QVOD CONTRA] sic habent libri quattuor manuscripti, & ita legendum putant viri docti. nam vulgò legitur, quin contra. SCCLEROSA] scelerata, seu sceleris plena. Varro lib. 5. de ling. Latina: *scelerosi hominis*. AVLIDE QVO PACTO] quemadmodum ductores Danaum &c. post vocem *facta*, apponenda duntaxat virgula est, aut comma. nam hic versus, & aliquot, qui deinceps sequuntur, ex superioribus apti sunt. TRINIAI VIRGINIS] triuix virginis, nempe Dianæ. dicta autem Diana triuia est (ut scribit Varro lib. 6. de lingua Latina) vel quòd in triuio ponatur, vel quòd luna putetur esse, quæ in cælo tribus viis mouetur, in latitudinem, longitudinem, altitudinem. vel quòd (ut alij volunt) eadem sit Luna, Diana, Proserpina. Virg. lib. 4. Æneid. *Ter geminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ*. IPHIANASSÆ] Iphianassæ, Iphigeniæ Agamemnonis filix. Cum Græci vento aduerso Aulide detinerentur, neque eis vlla ad Troiam perueniendi facultas daretur, Agamemnon Chalque consulto, eiusque responso audito, quod fuit eiusmodi, iratam Dianam esse placandam, votumque ei persoluendum (vouerant autem Dianæ, quod in suo regno pulcherrimum nasceretur.) Iphigeniam filiam suam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius, immolauit. *Promissum potius non faciendum, quam tam terribile facinus faciendum fuit*, inquit M. Tullius lib. 3. de Offic. sic & Horat. lib. 2. saty. 3. *Tu cum pro virgula statuis dulcem Aulide natam. Ante aras, spargisque mola caput improbe salsa, Incolumi capite es?* hac de re autem lege Sophoclis Electram, & Euripidis Iphigeniam in Aulide. Huc pertinet illud Virg. Æneid. 2. *Sanguine placastis ventos, & virgine casa*. Iphianassæ autem legendum, quod agnoscit Prisc. non Iphianassæo. DELECTI] hic apponenda est distinctionis nota. Theocrit. ei d. 17. Παῖδά οὐ πολλὰν περιελεγεμένην, ὅν ὄρεός τ. non dissimulabo in tri-

bus lib. manu scriptis *dilecti* scriptum esse: quod non improbo. Nam Festus quoque testatur *dilectus militum* dixisse veteres non *delectus*. **PRIMA VIRORVM**] Flos virorum. idem Theocr. *θεός ἄριστος*: vel prima virorum, id est *πρῶτον τῶν ἀνδρῶν*: vt loquuntur Græci. Lucianus *πρῶτον κορόμβων*: & ita Adrianus Turnebus: sed vtraque explicatio videtur mihi eodem recidere. **SIMVL**] simulatque, simulat. **INFVLA**] filamentum laneum, quo sacerdotes fæminæ, & hostiæ velabantur. Virg. Georg. 3. *Lanæa dum nivea circumdatur infula vitta*. **VIRGINEOS CIRCUMDATA COMTVS**] data circum virgineos comtus. *ἀστροφίη*: id est circumdata capiti, & temporibus comtæ virginis, vel comto capiti virginis. **BT MAESTVM SIMVL, &c.**] & simul, id est eodem tempore, vel & simulatque sensit, id est vidit, vel cognouit potius (erat enim velata) matrem parentem Agamemnonem astare, &c. ad hunc locum pertinent illa M. Tull. in orat. perfecto. *Si denique pictor ille vidit cum immolanda Iphigenia tristis Chalcas esset, tristior Ulysses, mæretet Menelaus, obnuoluendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non possit imitari, &c.* **CELARE**] vagina reatum, conditumque habere: vel, si quis malit legi *celerare*, vt scriptum est in nonnullis codicibus, id erit celeriter expedire. codices manuscripti tamen quattuor habent, *celare*. **MVTA METV TER. GENIB. SVMM. PET.**] sic habent omnes libri & manuscripti, & typis excusi: neque video quamobrem quicquam mutare debeamus. sic enim Virgilius est locutus. *Æneid. 9. Molle pecus, mutumque metu. & 12. Stat pecus omne metu mutum. & M. Tul. Frumentaria. Itaque illum in iure metu, conscientiaque peccati mutum, atque exanimatum, ac vix viuum relinquo.* Auancius tamen legendū putabat, *Vulta metu terr. gen. &c.* vt sit hæc huius loci sententia, Iphigenia vulta, id est, vultus submissa, metu, id est propter metum, terram genibus petebat: *vultus submissa autem*, hoc est vultu summisso. neque enim est quod quenkam offendant vocis nouitas. Nam eam etiam vsurpauit lib. 4. *sed quos viriusque figura Effo vides inxtim, miscenteis vulta parentum, &c.* Præterea eadem voce vtuntur Latini in numero multitudinis, pro singulari. M. Tul. epist. lib. 12. *Vultus tuos mihi expressit omneis.* & lib. 2. de Orat. *Vultus omnes aduersarij diligenter perspicendi.* Virg. lib. 4. *Æn. hærent in fixi pectore vultus.* & lib. 1. *notos pueri puer indue vultus.* Iam verò submissio vultu dixit Virg. lib. 12. *Æn. Sic dea summissa cõtra Saturnia vultu: & Catull. summissa poplite Carm. de Pel. & Thet. nupt. Proiciet truncum summissa poplite corpus.* Ego tamen lectionem receptam, & vulgatam retinendam præsertim à veteribus libris confirmatam censeo. Nam & Virg. postremam huius versus partem imitatus est. *Summissa petimus terram, &c.* lib. 3. *Æneid.* **QVOD PATRIO PRINCEPS, &c.**] princeps, id est prima. sic lib. 5. *Qui princeps vitæ rationem inuenit eam, quæ Nunc appellatur sapientia.* Magnum immanitatis, atque atrocitatis in patre argumentum, filiam eam, à qua prima sit pater appellatus, matrare. Sic Æschines in Orat. *καὶ κτησιφῶντος* inuehitur in Demosthenem, quod is die septimo post filia eius, quæ se prima patrem appellarat, morrem, hostias immolasset, his verbis, *ὅτιν πενήσσει, ἢ τὰ νομιζόμενα πείσσει, σεφωσάμενος, ἐπὶ λευκῶν ἐσθῆτι λαβὼν ἐβασίλει, ἢ παρηγόρει τὴν μόνην ὁ δέιλαιος, ἢ πρὸς τὴν αἰ-*

τὴν πατέρα, ὡς οὐκ ἔστιν ἀπολέσει. id est prius quàm filiam luxisset, prius quàm eius funeri iusta soluisset, coronatus, & albatu bouem immolabat, morem maiorum negligebat, leges & instituta ciuitatis violabat, vnica filia miser amissa, quæ ipsum prima patrem appellarat. quem locum commemorat M. Tull. Tuscul. 3. his verbis. *Itaque & Æschines in Demosthenem inuehitur, quod is septimo die post filia mortem hostias immolasset, at quàm rhetoricè? quàm copiosè! quas sententias colligu! quæ verba contorquet! vt licere quidvis rhetori intelligas. eundem profert Plutarchus παρηγορεῖται ὡς Ἀπολλων.* Itaque Iphigenia apud Euripidem his maximè verbis se patrem Agamemnonem flexuram sperat. *Πρώτη σ' ἐβάλεται πατέρα, ἢ σὺ π' αἰδ' ἐμὴ.* id est, *te prima patrem vocavi, tu me filiam.* **SOLLENIS**] id est vsitato, stato, rato & fixo. Solenne vel à solo, quod est τὸ ὑφίσταμενον, id est quod subsistit, vel ab Osa voce *sollo*, quod est totum: ex qua sollers quasi *δλος ἀριστη*, id est totus ars, & virtus, totusque in omni re prudens. rectè autem geminatur I, vt producat prima syllaba.

CLARO COMITARI HYMENABO] id est vel in claro matrimonio collocari, vt lib. 4. *Et multa steriles Hymeneis ante fuerunt Pluribus:* vel nuptiali carmine, eoque claro propter nuptiarum claritatem celebrari: nam comitari hoc loco *πασηπικῶς* accipiendum est: nec mirum cum etiam comitatus fuerit veteribus vsitatum. **CASTA INCESTE**] *ἀσέβεια*, inceste autem, id est impure, propter sanguinem. nam sanguis inquinat, & impurum reddit. **MACTATV**] mactatione, & immolatione à parente facta. mactare propriè valet magis augere, quasi magis auctare, ornare, honorare. M. Tullius ex Nonio. *Ferunt laudibus, mactant honoribus.* Itaque non solum ita loquimur. mactare Diis hostiam, id est, immolare, vt Virg. lib. 3. *Æneid. Cælicolum regi mactabam in litore taurum.* & Lucret. lib. 5. *Et nigras mactant pecudes, & manibus Diuis Inferias mittunt:* sed & mactare Deos pro eo quod est, sacrificiis deos honorare, seu placare. M. Tul. in Vatin. *Cum puerorum extis. Deos mactare soleas.* ex quo mactare malo, & mactare infortunio. Plaut. Bacchid. *& ego te, & ille mactamus infortunio:* cuiusmodi est illud apud Terent. *Heaut. ergo herus damno auctus est.* **EXITVS VT CLAS. S I.**] Hæc Agamemnonis erat *ἄσφατος* propter quâ filiam suam immolaret. itaque sic eum facit priuato homini respondentem Horat. *saty. 3. lib. 3. Vexum ego vt hærenteis aduerso litore naueis Exiperem, prudens placui sanguine Diuos.* Vide Eurip. Iphig. in Aulide. **TANTVM RELIGIO POT.**] acclamatio: vt inf. eodem lib. *Tantum elementa quæcum permutato ordine sclo.* & Virg. lib. 1. *Æneid. Tanta molis erat Romanam condere gentem.*

+ Tutemet à nobis iam quouis tempore vatam
 Terriloquis victus dictis desciscere quæres.
 Quippe etenim quàm multa tibi iam fingere possum.
 Somnia, quæ vitæ rationes vertere possint:
 Fortunâsque tuas omneis turbare timore?
 Et meritò, nam si certam finem esse viderent.

*Aerumnarum homines, aliqua ratione valent
 Religionibus, atque minis obsistere vatum.
 Nunc ratio, nullâ st, restandi nulla facultas:
 Aeternas quoniam pœnas in morte timendum.
 Ignoratur enim quæ sit natura animâ:
 Nata sit, an contra nascentibus insinuetur:
 Et simul intereat nobiscum morte diremta:
 An tenebras Orci visat, vastâsque lacunas:
 An pecudes alias diuinitus insinuet se:
 Ennius ut noster cecinit, qui primus amœno
 Detulit ex Helicone perenni fronde coronam:
 Per genteis Italas hominum quæ clara clueret.
 Et si præterea tamen esse Acherusia templa
 Ennius aeternis exponit versibus, edens,
 Quò neque permanent animæ, neque corpora nostra:
 Sed quædam simulacra modis pallentia miris.
 Unde sibi exortam semper florentis Homeri
 Commemorât speciem, lacrymas & funderè salsas
 Cœpisse, & rerum naturam ex pandere dictis.*

TVTEMET A NOBIS] hunc versum profert Prisci. lib. 12. sententia autem huius loci hæc est. Quid Agamemnonem regem ambitiosum, & stultè religiosum commemoro? tu ipse doctrina politus, atque ab omni superstitione liber, ac solutus iam à nobis desciscere conaberis. TERRILOQVVS] id est quæ loquuntur poëtæ ad homines terrendos: quibus non imbecilli solum animi, verum etiam fortes, & constantes terrentur interdum, vt de Cerbero, de Acherunte, de Tantalo, Sisypho, Tityo, & cæteris. DESCISCERE] duo libri manuscripti habent *disciscere*, nonnulli *desistere*: quibuscum consentiunt quidam vulgati. ceteri *desciscere*. POSSVM] sic habent tres libri manuscripti, & typis excusi Vicetini, & Parisienses. sed hoc præterea varietatis in libris manuscr. reperi, quòd quidam habent *me fugere possum*. quam scripturam nonnulli docti viri probant: aiuntque sic locutos esse veteres. Ego suspicatus aliquando sum legendum *confugere possum*. VERTERE] euertere. Virg. Æneid. 1. *Tyrus olim quæ verteret arcus*. Lucret. lib. 3. *pietatem vertere fundo*. CERTAM FINEM] sic habent libri omnes manuscr. Vaticanus, Memm. Tethianus, Bertin. atque hanc scripturam agnoscit Nonius. Denique apud hunc scriptorem ferè semper hoc nomen in genere fæmin. vsurpatur, vt inf. eod. lib. *Denique iam*

*iam quoniam generatim reddita finis. & lib. 2. certa Finis vtrique tenet summam. & 3. nec quæ sit pœnarum denique finis. & in plerisque aliis locis. sic apud Virg. lib. 7. Quæ finis standi? & apud Horat. od. 17. Epod. Quæ finis, aut quod me manet stipendium? AETERNAS QVON. POEN. IN MOR. TIMENDVM] id est timere oportet. vt apud Græcos *φοβητέον*. sic loquitur inf. eod. lib. *Multa nouis verbis præsertim cum sit agendum*. id est cum multa agere oporteat, & lib. 2. *Addendum parteis alias erit: inde sequitur, &c.* & lib. 3. *Quinque (vt opinor) eam faciendum est sensibus autem.* ibid. *Vsq; adeo prius est in nobis multa ciendum.* & lib. 4. *multâque nobis Clarandum est, planè si res exponere auemus, &c.* NATVRA] *ἁπλοῦς*. NATA SIT, AN CONTRA] vtrum anima nata sit vnâ cū corpore, vt volunt Stoici, an contra ab æterno creata in corpora nascentium insinuetur, atque infundatur, vt sentit Plato, & veteres Academici. ET SIMVL INTEREAT, &c.] & vtrum nobiscū moriatur anima, an ad inferos descēdat, an in alia corpora migret: que postrema opinio fuit Pythagoreorū. dictum autem *insinuet se pecudes*, profinuet, seu insinuet se in pecudes. nam veteres interdū non addebant præpositionem si ea iam esset in verbo composito. vt *adigere arbitrum*, potius quàm *adigere ad arbitrum*, & *adigere iustitiam*, *propugnat nugis* apud Horat. sic idem Lucret. lib. 2. *Hoc etiam magis hæc animū te aduertere par est.* ENNI VS VT NOSTER CECINIT] qui videtur fuisse Pythagoreus. Horat. epist. ad August. *Ennius & sapiens, & fortis, & alter Homerus, Vt Critici dicunt, leuiter curare videtur Quòd promissa cadant, & somnia Pythagorea.* Persius sat. 6. *Cor iubet hoc Enni, postquam desertuit esse Mæonides, quintus pauone ex Pythagorea.* CLVERET] id est nominaretur: & ita Nonius. citat & illum Lucillij versum: *Cuiæ opera Troginū calix per castra cluebat*: Et illud Ennij, *per genteis esse cluebat omnium miserimus*. Valet etiam *cluere* interdum idem quod *videri*, insignem esse, haberi, excellere, esse: vt infra eod. lib. *Nec ratione cluere eadem, qua constat inane.* ibid. *Quæ nondum clucant vllò tentata periclo.* & lib. 2. *Nec minus atque homines inter se nota cluere.* ibid. *primordia rerum, inter se simili quæ sunt perfecta figura, Infinita cluere*: & lib. 3. *Vtilis inuenietur, & opportuna cluebit.* lib. 4. *Cuiuscunque cluet de corpore fusa vagari.* M. Tull. in Bruto duo *Cæpiones multum cluentes consilio, & lingua.* TEMPLA] regiones, loca. Varro lib. 6. de lingua Latina. *Vnus erit, quem tu tolles in cæcula cæli Templa. Templum tribus modis dicitur ab natura, ab auspicio, ab similitudine. Natura in cælo, ab auspiciis in terra, ab similitudine sub terra.* In cælo templum dicitur, vt in Hecuba: *O magna templa cæli tum commixta stellis splendidis.* EDENS] edens per hos duos versus, qui sequuntur, *Quò neque, &c.* vt quidam doctissimi viri putant: alij putant esse Lucretianos. SED QVÆDAM SIM. MOD. PALL.] imitatus est hunc versum Virgilius multis locis, siue sit Ennianus, siue Lucretianus: vt Georg. 2. *& simulacra modis pallentia miris*: & Æn. 1. *Ipsa sed in formis inbumati venit imago, Coniugis ora modis attollens pallida miris.* & 6. *Multa modis simulacra videt volitantia miris*: & 10. *Ora modis Anchisades pallentia miris.* Sed non dissimulabo hunc versum abesse à codice Bertiniano, & Memmiano. VNDE SIBI EXORTAM, &c.] ad huc locum pertinent illa M. Tullij lib. 2. Acad. quæst. *Num censes Ennium, cum**

in hortis ambulasset cum Ser. Galba vicino suo dixisse, visus sum mihi cum Galba ambulare: at cum somniauit, ita narrauit, Visus Homerus adesse poeta. Idem ibid. dormientium visa imbecilliora esse dicebas, quam vigilantium. quo modo? quia cum experrectus esset Ennius, non diceret se vidisse Homerum, sed visum esse. ET FVN-
D E R E] sic codex Bertinianus, & Memmianus. SALSAS] epithetum otiosum, ut quidam putant. qualia sunt illa. *λευκότο γάλακτος*: humida vina, apud Virg. alba niue apud Horat. EXPANDERE] explicare. in nonnullis libris scriptum est, exponere: in aliis expromere. ego hanc lectionem retineo.

Quapropter bene cum superis de rebus habenda. X
Nobis est ratio: solis, lunæque meatus
Qua fiant ratione: & qua vi quæque genantur
In terris, tum cum primis ratione sagaci
Vnde anima, atque animi constet natura, videndum:
Et quæ res nobis vigilantibus obuia mentis
Terrificet morbo affectis, somnôque sepultis.
Cernere uti videamur eos, audiræque coram,
Morte obita quorum tellus amplectitur ossa.
Nec me animi fallit Graiorum obscura reperta
Difficile illustrare Latinis versibus esse:
Multa nouis verbis præsertim cum sit agendum
Propter egestatem linguæ, & rerum nouitatem. //
Sed tua me virtus tamen, & sperata voluptas
Suavis amicitia, quemuis perferre laborem
Suadet: & inducit nocteis vigilare serenas, //
Quarentem dictis quibus, & quo carmine demum
Clara tuæ possim præpandere lumina menti:
Res quibus occultas penitus conuifere possis.

QUAPROPTER BENE CVM SUPERIS] concludit hunc locum hoc modo. Quoniam igitur videmus ignoratione causerum, & rerum à natura inuolatarum, homines miserè conturbati, cum ceteræ res omnes obscure nobis sunt perquirendæ, & cognoscendæ, tum maximè quæ sit animi natura, videndam est. cum hoc loco coniunctio est, cui respondet altera tum quarto abhinc versu. ET QVA VI QVAEQUE GENANTUR] sic legendum, non gerantur, ut vulgus legit: geno enim idem valet quod gigno. Cuius verbi ignoratione complures non apud hunc poetam, solum loci deprauati sunt, ut posterius ostendemus, verum etiam apud

Varronem, & ceteros. Genium appellabant deum (inquit Festus) qui vim obineret rerum genendarum: vbi vulgò legitur & scribitur gerendarum corruptè. Varro lib. 1. de re rust. cap. 31. id ex pabuli segete viride sectum, antequam genat siliquis. Idem cap. 12. Quod est principium genendi. Idem in Andabata. Sed quòd hæc loca aliquid genuit: quem postremum locum testem producit Priscian. lib. 10. cum altero Lucretij ex lib. 3. tanto magis inficiandum, Totum posse extra corpus durare, genique. SAGACI] sagaces propriè canes dicuntur: quia inest in eis vis odorandi eximia. Itaque sagaces appellantur multi, & sollertis acuminis, inquit Festus. idem inf. eod. lib. Est igitur nimirum id, quod ratione sagaci Querimus, &c. ibid. inf. Verum animo satis hæc vestigia parua sagaci Sunt. & lib. 2. Nec minus hæc animum hæc cognoscere posse sagacem. &c. lib. 4. Tu mihi dateneuis aureis, animumque sagacem. SOMNO QVE SEPULTIS] Ex Ennio. Nunc hostes vino domiti, somnôque sepulti. sic & Virg. lib. 2. Æn. Inuadunt urbem somno, vinoque sepultam. idem lib. 9. somno, vinoque sepulti Procubuerunt. Rutuli somno, vinoque sepulti Conticuere. MORTE OBITA QVORVM, &c.] iteratur hic versus lib. 4. mutuatus est hoc principium versus. Virg. lib. 10. Æn. Morte obita quales fama est volitare figuras. TELLS AMPLECTITVR OSSA] vel tanquam mater, vel simpliciter continet Virgil. Æn. 5. Quam quæ Dardanum tellus mihi seruat Aescen: Et patris Auchiæ gremio cõplectitur ossa? NEC ME ANIMI FALLIT] sic legendum, non ut in quibusdam legitur, animus fallit. sic enim loquuntur interdum Latini præsertim poetæ. Falsus animi, eger & saucius animi: & crucior animi, &c. Est autè hoc loco occupatio. MULTA N. V. P. CVM SIT AGENDVM] id est cum multa sint agenda, ut supra admonuimus. agendum enim actionem significat, ut apud Græcos *πρακτικόν*, id est agere oporteat. cum multa nobis verba sint inno-uanda: vel cum multa nobis nouis verbis sint appellanda. PROPTER EGEST. LING.] Sic inf. eod. lib. nec nostra dicere lingua Concedit nobis patrii sermonis egestas. & lib. 3. rationem reddere auentem Abstrahit inuitum patrii sermonis egestas. Sic Cato apud M. Tull. lib. 3. de Finibus de Zenone. Cum videretur in lingua copiosa factis tamen nominibus, ac nouis: quod nobis in hac inopi lingua non conceditur. quanquam tu hanc copiosorem etiam dicere soles. Idem contra lib. 1. Non est hic omnino docendi locus: sed ita sentio, & sæpe disserui, Latinam linguam non modò non inopem, ut vulgò putarent, sed locupletiore etiam esse, quam Græcam. Quando enim, ne nobis dicam, aut oratoribus bonis, aut poetis, postea quidem quam sunt, quem imitarentur, nullus orationis vel copiosæ, vel elegantis ornatus desunt? SPERATA VOLVPTAS] sic habent quinque lib. manu scripti, & excusi Paris. Veneti antiq. Vicetini, Florent. Quam scripturam secutus sum tum adductus tot librorum auctoritate: tum quòd consentaneum est Lucretio Epicuri decreta Latinis literis illustranti amicitia, & ex amicitia nascentis voluptatis causa scribendi laborem perferre. alij codices, si quis forte eos sequi malet, habent, *spectata voluntas*. QVEMVVIS PERFERRE LABOREM] quinque lib. manu scripti, & Vicetini habent efferre: quæ fortasse germana est scriptura. nam & ita veteres loquebantur. vetus poeta apud M. Tull. orat. pro Sextio. Si tu laborem summa cum cu-

ra efferas nullum. PRAEPANDERE LUMINA] *δεδυχέν, præferre fa-*
ces: præferendo faceis lumen aperire. PENITVS] introrsus.

*Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque necessest
Non radij solis, neque lucida tela diei
Discutiant, sed naturæ species, ratioque:
Principium hinc cuius nobis exordia sumet,
Nullam rem è nihilo gigni diuinitus vnquam.
Quippe ita formido mortaleis continet omneis,
Quòd multa in terris fieri, cæloque tuentur:
Quorum operum causas nulla ratione videre
Possunt: ac fieri diuino numine rentur.
Quas ob res, vbi viderimus, nil posse creari
De nihilo: tum, quod sequimur, iam rectius inde
Perspiciemus: & vnde queat res quæque creari:
Et quo quæque modo fiant opera sine diuim.*

HUNC IGITUR TERR.] tres versus qui deinceps consequuntur,
iterantur in princip. lib. 2. & lib. 6. TELA DIEI] idem dicit. nam radij
solis, tela diei sunt, vtpote quibus tanquam telis huc & illuc iactis, ac diffu-
sis totus orbis terrarum illustretur. Iam tela à Græco *τηλίδειν*, quòd è lon-
ginquo loco mittuntur. Sic Ausonius Mosella. *Luciferæque pauent letalia*
tela diei. Notum autem est Apollinem ab Homero & ceteris poëtis Græ-
cis *ἑκβόλον*, & *ἑκβόλεταιν*, id est, longè iaculantem appellari. SPECIES]
ἡ θεωρία, ἡ δέξις: id est contemplatio. Cicero lib. 2. de nat. deorum. *Nulla est*
enim insatiabilior species. RATIO] vel ratio simpliciter, id est λόγος: vel
ratio naturæ, vt suprâ ratiocæli, & ratio deorum. PRINCIP. HINC]
id est cuius contemplationis, & rationis principium, nobis hinc nascetur,
& proficiscetur. hinc autem nempe *Nullam rem è nihilo*, &c. NULLAM
REM È NIHILO GIGNI] omnium, qui vnquam de natura locuti
sunt, fuit hæc opinio communis, nihil ex nihilo fieri: quòd testatur Arist.
1. lib. φυσικ. *τὸ γινόμενον ἐκ μὴ ὄντων γίγνεται ἀδύνατον. καὶ γὰρ ταύτης ὁμογενεῖαι
πάντες δόξουσιν πάντες οἱ κατὰ φύσιν*, id est non potest fieri, vt id quod gignitur, ex iis
quæ non sunt, gignatur. Nam de hac opinione omnes, qui de natura scripse-
runt, consentiunt. ibid. *κοινὴ δόξα τῶν φυσικῶν ἔδειν γίγνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος*. Etiam
Democritus, quem auctorem in primis sequitur Epicurus, (Nam in Phy-
sicis totus est alienus Epicurus, vt scribit M. Tullius lib. de finibus, quippe
qui à Democrito pleraque omnia sumat) Democritus igitur quoque hanc
eandem sententiam probat, *μὴδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γίγνεται, μὴ δὲ εἰς τὸ μὴ ὄν φθεί-
ρεται*: id est nihil ex nihilo fieri, neque in nihilum interire. huc pertinent il-
la M. Tull. lib. 2. de diuinatione. *Non ergo omnium interitus atque obitus natura*

consciet: & erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum subito occidat.
quis hoc physicus dixit vnquam? Ne Aristoteles quidem ab hac communi
omnium opinione longius discessit. Ita enim longam hac de re disputa-
tionem concludit lib. 1. φυσ. ἀπρόσ. nihil ferè ex eo quod non est simpliciter,
seu ex eo quod non est per se, quale est priuatio, quam Græci σέκουον nomi-
nant, fieri: sed contrâ omnia fieri ex materia, quæ est ὄν, id est ens (liceat no-
bis hoc vocabulo vri) ens (inquam) per se: non tamen ex materia fiunt om-
nia ea ratione, qua est aliquid, sed qua ratione nihil est, seu est non ens, &
κατὰ συμβεβηκός, id est ex euentu: hoc dico qua ratione inest in ea priuatio
formæ eius, quam iam iam est indutura: id est qua ratione est informis, &
expers eius formæ, quæ materiam illam informatura est. ex eo autem quod
nihil est simpliciter & per se, veluti ex priuatione nihil fit. ex eo igitur,
quod est ens per se, fit ens: Veruntamen non fit per se, sed ex euentu, id est
quia euënit materia, vt ea forma, quam iam iam cõsecutura est, & ad quam
accommodata est, careat. hæc sunt Aristotelis. DIVINITVS] diuina vo-
luntate, seu diuino numine, vt idem statim loquitur. CONTINET] affi-
cit, seu coërcet, & constrictos tenet. DIVINO NUMINE] diuinitus.
TVM, QVOD SEQVIMVR] sic habent omnes libri & manuscripti,
& typis excusi. quæ lectio si emendata est, hoc significat. vbi viderimus ni-
hil ex nihilo creari posse, tum facilius id perspiciemus, quod sequimur, id
est, quod probamus, & quod nobis proposuimus ad probandum, nempe
& vnde quæque res creari possit, & quomodo sine deorum opera cre-
tur. Videtur mihi tamen reclamantibus libris omnibus legendum esse, tum
quod sequitur, &c.

*Nam si de nihilo fierent: ex omnibu' rebus
Omne genus nasci posset: nil semine egeret.
E mare primum homines, è terra posset oriri
Squammigerum genus, & volucres: erumpere cælo
Armenta, atque alia pecudes: genus omne ferarum
Incerto partu culta, ac deserta teneret.
Nec fructus iidem arboribus constare solerent,
Sed mutarentur: ferre omnes omnia possent.
Quippe vbi non essent genitalia corpora cuique,
Quis posset mater rebus consistere certa?
At nunc seminibus quia certis quæque creantur:
Inde enascitur, atque oras in luminis exit,
Materies vbi inest cuiusque & corpora prima.
Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,
Quòd certis in rebus inest secreta facultas.*

NAM SI DE NIHILO FIERENT: EX OMNIBV' REBVS] Epicuri verba ad hunc locum pertinentia, quæ extant apud Laërtium, hæc sunt. *ἄπο τοῦ μὲν οὐκ ἐστὶν γίνεσθαι ἐκ τοῦ μὴ ὄντος. πάντες δὲ ἐκ πάντων ἐγίνετο' ἀν. ἀπερ- μείτων γὰρ ἐστὶν ἀποδοξάμενον: καὶ εἰ ἐφείθετο δὲ τὸ ἀφανίζόμενον εἰς τὸ μὴ ὄν, πάντα ἀν ἀπολλόλει τὰ ἀεγόμενα, ἐκ ὄντων τῶν εἰς ἃ διελεύετο:* id est primum quidem nihil fieri ex nihilo. alioqui enim omnia ex omnibus orientur, nihil egentia seminibus: & si id quod interit, in nihilum interirer, res omnes occiderent, cum ea in quæ res resolverentur, non essent. **E MARE PRIMVM]** è mare, pro è mari antiquum. Charisius tamen docet nomina neutralia in e non factitia, in ablatiuo quoque eandem litteram seruare. M. Varro lib. 3. de gente Ro. à mare separata oppida. idem lib. 12. antiq. human. ab Erythreo mare oriri. Varro Atacinus. *Cingitur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo.* sic & Horat. saty. 8. lib. 2. *Gausape purpureo mensam pertexisti.* ad hunc locum pertinet iocus ille Plautin. in mil. Glorioso. *maris causa hercle ego hoc vtor oculo minus.* Nam si à mare abstinuissem, tanquam hoc vterer. iocus est ex ambiguo: quod inest in voce amare. dubium est enim vtrum dicat à mare pro à mari, an amare à verbo amandi, qui locus explicatus est à Mureto lib. Variarum lectionum. 3. cap. 17. **S QVAMMIGERVM GENVS]** pisces. vt inf. eod. lib. *Nim quò squammigeri poterunt procedere tandem, Ni spatium dederint latitias?* & lib. 2. *Præterea genus humanum, mutæque natantes. Squammigerum pecudes. Animantium* (inquit M. Tull. lib. 2. de nat. deorum) *aliæ corus rectæ sunt, aliæ villis vestitæ, aliæ spinis hirsutæ: pluma alias, alias squamma videmus obdu-ctas, alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pennarum.* **CONSTARE]** constanter manere. **FERRE OMNES OMN. POSS.]** omnes arbores omnia fructuum genera ferre possent. Virg. hunc locum expressit Georg. 2. *Nec verò terra ferre omnes omnia possunt.* **QVIPPE VBI]** id est nam cum &c. **GENITALIA]** ad gignendum valentia: vim gignendi habentia. **INDE]** ex eo loco, vbi cuiusque materies inest. coniunge hæc duo inde vbi. **HAC RE]** hanc ob rem, seu hanc ob causam. **SECRET A]** distincta & separata.

*Præterea, cur Vererosam, frumenta calore, X
Viteis Autumnno fundi suadente videmus,
Si non, certa suo quia tempore semina rerum
Cum confluerunt, patefit quodcunque creatur,
Dum tempestates adsunt, & viuuda tellus
Tutò res teneras effert in luminis oras?
Quòd si de nihilo fierent, subito exorcerentur X
Incerto spatio, atque alienis partibus anni:
Quippe vbi nulla forent primordia, quæ genitalli
Concilio possent arceri tempore iniquo.*

*X Nec porro augendis rebus, spatio foret vsus
Seminis ad coitum, è nihilo si crescere possent.
Nam fierent iuuenes subito ex infantibus paruis:
Et terræque exorta repente arbusta salirent.
Quorum nil fieri manifestu est: omnia quando
Paulatim crescunt (vt par est) semine certo.
Crescendoque genus seruant, vt noscere possis
Quæque sua de materia grandescere, alique.*

CALORE] æstate. **VITEIS AVTVMNO FVNDSVAD.]** tres codices manuscriptos secutus sum: quibuscum congruunt nonnulli vulgati. nam alij habent *sudante*. Præterea in Florent. legitur. *Vuas, non viteis.* autumnno autem suadente dixit per translationem. **DVM TEMPESTATES ADSVNT]** id est tempora idonea, atque opportuna. nam tempestatis nomen est *μῆτις*. **VIVID A]** vegeta, valida. *viuatum & viuudum* (inquit Festus) à magna vi dicta sunt. supra notatum est. **TENERAS]** epithetum teneras licet coniungere cum voce oras: id est liquidas, molles: licet & cum voce res, vt intelligamus res adhuc recentis, & infirmas, necdum ita corroboratas, vt iniuriam calis ferre possint. infra paucis post versibus.

Æris in teneras possint proferrier auras. **ALIENIS PARTIBVS]** id est intempestiuus: tempore non suo. suum, & alienum inter se opponuntur.

QVÆ GENITALI CONC.] id est quæ prohiberi possent, quominus inter se congregarentur, & conuenirent ad rem aliquam gignendam. Concilium apud bonos scriptores, quarumlibet rerum, ac personarum congregationem, ac cœtum significat: vt hoc loco, concilium genitale est congregatio corporum primorum ad gignendum valens. sic lib. 2. *Muldaque præterea magnum per inane vagantur, Conciliis rerum quæ sunt reiecta.* id est quæ non potuerunt coherere ad res gignendas. ibid. *Quod tamen vt possint, ab cœtu, concilioque. Nil facient præter volgum, turbamque animantum.* & lib. 3. *Quàm mortale quod est, immortalis, atque perenni iunctum in concilio seuas tolerare procellas?* **TEMPORE INIQUO]** propter temporis iniquitatem, seu propterea quòd tempus esset alienum, aduersum, atque inopportunum.

sic supra. *patriam tempore iniquo.* **NEC PORRO AVGENDIS REBVS]** id est nec porro rebus iam natis spatio opus esset ad congregationem corporum primorum, per quæ res illæ iustâ magnitudinem colligerent, atque acquirerent, & (vt infra loquitur) *ætatis florem contingerent.* **SPATIO VSVS]** id est spatio opus. Terent. Heaut. *Mihi sic est vsus: tibi, vt opus est factu, face.* sic idem Lucret. paucis versibus post. *Nulla vi foret vsus enim, quæ partibus eius Discidium parere.* &c. **OMNIA QVANDO, &c.]** id est quoniâ res omnes sensim crescunt certo semine conueniente. quando hoc loco legendum est cum accentu graui in postrema syllaba. Docet enim Festus *Quando* cum graui accentu pronunciat, idem significare quod *quoniam*, & esse coniunctionem: cum acuto accentu verò esse temporis aduerbium.

Huc accedit, ut sine certis imbribus anni
 Latifricos nequeat fetus summittere tellus:
 Nec porro secreta cibo natura animantium
 Propagare genus posset, vitamque tueri. +
 Ut potius multis communia corpora rebus
 Multa putes esse, ut verbis elementa videmus,
 Quam sine principiis ullam rem existere posse. }
 Denique cur homines tantos natura parare
 Non potuit, pedibus qui pontum per vada possent }
 Transire, & magnos manibus diuellerent montes,
 Multaque viuendo vitalia vincere saecula: +
 Si non materies quia rebus reddita certa est
 Gignundis, è qua constat quid possit oriri?
 Niligitur fieri de nilo posse fatendum est:
 Semine quando opus est rebus, quo quaeque creatæ
 Aëris in teneras possint proferrier auras.

SUMMITTERE] subministrare, suppeditare, seu efferre. SECRETA CIBO] sine cibo, scilicet à cibo. PROPAGARE] amplificare, multiplicare. tralatio à viribus. in verbo propagare, primam syllabam produxit, ut lib. 5. Ut propagando possint procudere saecula. ibidem corripuit. Nec potuisse propagando procudere prolem. sic & sup. & saecula propagant. sic & Virg. nomen propago produxit lib. 6. nimium vobis Romana propago Visa potens superi. Propagatur autem genus, maris & feminae coniunctione, & rebus Venericis. Atqui sine Cerere quidem & Libero friget Venus: sine cibo autem non solum Venus in animante languescit, sed ipsum quoque animans interit. PARARE] παρασκευάζειν, efficere. PEDIBVS QUI PONTVM] qualis fingitur Polyphemus à Virgilio. VITALIA SAECLA] saecula hoc loco pro spatiis annorum posuit. Vitale autem idem valet quod vita praeditum, vel ad vitam pertinens, vel cum vita coniunctum. REDDITA] attributa, ut saepe alias. QVANDO] quoniam: ut supra. AERIS INTEN. P. PROF. AVRAS] id est in aërem. sic inf. Ordine mutato, & motu sacere aëris auras.

Postremò, quoniam incultis prestare videmus
 Culta loca, & manibus meliores reddere fetus:
 Esse videlicet in terris primordia rerum:
 Quae nos fecundas vertentes vomere glebas,

Terraique

Terraique solum subigentes cimus ad ortus.
 Quod si nulla forent, nostro sine quaeque labore
 Sponte sua multo fieri meliora videres.
 Huc accedit, ut quaeque in sua corpora rursus
 Dissoluat natura: neque ad nihilum interimat res.
 Nam si quid mortale è cunctis partibus esset:
 Ex oculis res quaeque repente erepta periret.
 Nulla vi foret vsus enim, quae partibus eius
 Discidium parere, & nexus exsoluere posset.
 At nunc, aeterno quia constant semine quaeque:
 Donec vis obiit, quae res diuerberet ictu,
 Aut intus penetret per inania, dissoluatque:
 Nullius exitium patitur natura videri.

MANIBVS] opera hominum, & opere rustico, cultura. ESSE VIDELICET] vel repetendum ἀπὸ τοῦ νόου, fatendum est, vel accipiendum est, videlicet, pro videre licet, seu perspicuum est, quod non est inusitatum, quemadmodum scilicet, pro scire licet, ut alias ostendemus, ibi, Scilicet esse globosa, tamen cum squallida constant. lib. 2. QVAE NOS FAECUNDAS] hic versus, & qui proximè sequitur, iterantur lib. 5. VERTENTES] Virg. Georg. I. quo sidere terram Vertere Maecenas. & lib. 7. Aeneid. terram centum vertebat aratris. TERRAIQUE SOLVM] solum (inquit Festus) terra dicimus tamen solum terra, & solum regni. Ennius. Sed sola terrai postquam per mensa parumper. idem. Tarquinio dedit imperium simul, & sola regni. SVBIGENTES] mollientes, colentes. Vide Festum in voce subactus. Virg. Georg. I. Ante Iovem nulli subigebant arua coloni. M. Tull. in Catone maiore. Quae cum gremio mollito ac subacto sparsum semen excepit, &c. SPONTE SVA] sua vi, per se. HUC ACCEDIT] Posteaquam docuit nihil ex nihilo fieri, nunc (quod est consequens) ostendere incipit res creatas non interire in id quod non sit, id est in nihilum, sed prima corpora, ex quibus res omnes creatæ constant, utpote solidissima, & simplicissima, aeterna remanere. NULLA VI FORET VSVS ENIM] sic habent tres libri manuscripti: alij, vsus ei. DISCIDIVM] sic habent tres libri manuscripti. discidium autem vox Latina est, ne quis fortè de hoc dubitet, à verbo discindo, nata, ut excidium à verbo exciando, non à verbo excido. Virg. lib. 2. Aen. Abnegat excissa vitam producere Troia. idem lib. 7. At licet amborum populos excindere regum. discidium autem idem valet quod discissio, disciunctio, dissolutio. quo nomine vititur sapius. AT NVNC, AETERNO] omnes lib. scripti, & nonnulli excusi habent, Quid nunc aeterno: quae scriptura si recta est, ut mihi quidem sit verisimile, sic interpretanda est, at

D

nunc, sed nunc, nunc autem: ut dicimus, Quod si, pro, si autem. **DONEC VIS OBIIT**] secutus sum quinque librorum manu scriptorum auctoritatem. obiit autem, id est obitiam iit, incurrit, occurrit. Nam vulgati habent *obeat*. **DISSOLVAT QVE**] licet legere *dissoluit*, ut sit trium syllabarum, & ita erit versus spondiacus: licet & per diæresim, dissoluiat: & item alibi. **EXITIVM**] interitum. *Exitum* (inquit Feltus) ponebant anti- qui pro *exitu*: nunc *exitum*, *peßimum exitum* dicimus.

*Præterea, quæcumque vetustate amouet ætas:
Si penitus perimit consumens materiem omnem:
Vnde animale genus generatim in lumina vitæ
Redducit Venus? aut reductum Dædala tellus
Vnde alit, atque auget, generatim pabula præbens?
Vnde mare, ingenui fontes, externæque longè
Flumina suppeditant? vnde æther sidera pascit?
Omnia enim debet, mortali corpore quæ sunt,
Infinita ætas consumse anteacta, diésque.
Quod si in eo spatium, atque anteacta ætas fuere,
E quibus hæc rerum consistit summa resecta:
Immortali sunt natura prædita, certè.
Haud igitur possunt ad nilum quæque reuerti. †*

GENERATIM] per singula genera, ut supra. sic autem habent libri duo manu scripti: in quibus est Bertinianus: reliqui duo *generatum*: quos nõ sequor. **IN LUMINA VITAE**] Virg. lib. 6. *En. Heu quantum inter se bellum, si lumina vitæ Attingerint, quantas acies, stragemque ciebrum?* **REDDVCIT**] geminatur d. metti causa: ut Rettulit, repperit, recidere, reppulit, refferre, redducit, apud hunc, & apud Virg. & apud Horat. & sexcenta similia. **INGENVI FONTES**] secutus sum quattuor libros manu scriptos, quibuscum consentiunt Florentini. ingenuos autem interpretor, non manu, aut opere factos, sed natos. *ingenui* etiam dicuntur, qui liberi sunt genere, & natura, non manumissione, aut vindicta, aut simili iuris ciuilis ratione: vnde illa, ingenuus animus, ingenuus ciuis, ingenuæ artes, ingenuus pudor. ceteri libri habent *ingeniti*, si quis forte magis probabit. **SUPPEDITANT?**] suppetunt? vel parata sunt. absolutè enim accipiendum, ut infra. *Materies ut suppeditet rebus reparandis*. sic M. Tull. Tuscul. quæst. *quocumque loco bona suppeditant, ibi beatè possumus viuere*. **VNDE ÆTHER SIDERA PASCIT?**] Etiam nonnulli alij philosophi existimant solem, & cetera sidera, & stellas humoribus Oceani, & terræ vaporibus alij. sic M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. *Ergo* (inquit) *cum sol igneus sit, Oceanique ala-*

æter humoribus, quia nullus ignis sine pastu. aliquo possit permanere: necesse est aut ei similis sit igni, quem adhibemus ad vsum, atque victum: aut ei, qui corporibus animantium continetur. ibid. *Probabile igitur est, præstantem intelligentiam in sideribus esse, quæ & ætheream mundi partem incolant, & marinis, terrenisque humoribus longo intervallo extenuatis alantur.* Virg. *Aneid. 1. Polus dum sidera pascet.* sed hac de re plura dicentur lib. 5. **CONSUMSE**] id est consumsisse: talia sunt illa, *promisse*, quo vritur Catull. *Euasti, percussi, dimisse, erepsimus*, quibus Horatius: *vixet, direxerit, accessit, extinxerit*, quibus Virgilius & Terent. **FVERE**] si fuerunt ea, à quibus &c. id est si fuerunt principia quædam & semina rerum, ex quibus hæc summa rerum reficitur, & reparatur, & constat: illa certè sunt immortalia, atque æterna.

*Denique res omneis eadem vis, causaque volgè
Conficeret, nisi materies æterna teneret
Inter se nexus minus aut magis indupeditè.
Tactus enim leti satis esset causa profectò:
Quippe ubi nulla forent æterno corpore: eorum
Contextum vis deberet dissolucere quæque.
At nunc, inter se quia nexus principiorum
Dissimiles constant: æternæque materies est:
Incolumi remanent res corpore: dum satis acris
Vis obeat pro textura cuiusque reperta.
† Haud igitur redit ad nihilum res vlla: sed omnes
Discidio redeunt in corpora materiai.*

DENIQUE RES OMNEIS, &c.] huius loci hæc sententia est, ut mihi quidem videtur. Denique nisi & materia æterna esset, & ipsa teneret res magis, aut minus inter se connexas: eadem vis, & causa res omneis genitas consumeret, & deleret: Nam solus tactus res genitas conficere posset. **INTER SE NEXAS MINVS, AVT MAGIS INDVPEditè**] sic hunc versum restitui ex fide optimi codicis: quidam legunt, *Inter se nexu minus aut magis indupeditas*. *indupeditas* autem referunt ad res genitas. non dissimulabo tamen in tribus lib. manuscr. legi, *Inter se nexus minus, aut magis indupedita*, & ita in multis vulgaris. quæ lectio mihi nullo modo probari potest. malim hoc modo legi, *Inter se nexu minus aut magis indupedito*. **TACTVS ENIM, &c.**] hoc dicit: solus tactus, seu contactus satis magna causa esset leti: id est satis potens esset ad res interimendas. duriusculum est hoc loquendi genus: satis esset causa lethi, pro satis esset magna causa lethi. quidam docti ita legendum putant. hoc loco. *Tactus enim lethi omnibus: esset causa profectò*. **QUIPPE VBI NULLA FORENT, &c.**] id est, Nam cum corpora prima æterno corpore nulla essent, qualibet vis, &

quæuis causa eorum texturam, & concilium, & nexus dissoluere posset. Cum in omnibus libris vulgatis, & nonnullis manuscriptis legeretur *quorum*, ego à duobus manuscriptis admonitus, eorum reposui. Iam quòd in codicibus Florentinis legitur *dissoluere quæquam*, vt referatur ad vocem *contextum*, non probo. Namque huius loci hæc mihi videtur esse sententia. Si materies nõ esset æterna, id est si non essent quædam corpuscula prima immortalia, atque ita solida, vt nullo ictu perfringi possint: & si hæc æterna corpora non continerent res genitas magis aut minus inter se implicatas, & connexas, quælibet vis, & quilibet tactus, ac pulsus eas dissoluere, atque interirere posset. nunc autem quia & corpora prima sunt æterna, & res genitæ aliæ aliis magis sunt inter se connexæ, ex tandem manent incolumes, donec vis satis potens ac valida pro cuiusque rei textura in eas incidit, atque incurrit, per nexus principiorum inter se dissimileis, significat res genitas inter se connexas minus, aut magis impeditè: quòd paulo antè dixit. DISCIDIO] per dissolutionem, ac dissolutionem. sic autem habent quattuor libri manuscripti.

*Postremò pereunt imbres, vbi eos pater æther
In gremium matris terræ præcipitavit.
At nitidæ surgunt fruges: ramique virescunt
Arboribus: crescunt ipsæ, fatuque grauantur.
Hinc alitur porrò nostrum genus, atque ferarum:
Hinc lætas vrbeis pueris florere videmus:
Frondiferasque nouis auibus canere vndique siluas.
Hinc fessæ pecudes pingues per pabula læta,
Corpora deponunt: & candens lacteus humor
Vberibus manat distentis: hinc noua proles
Artubus infirmis teneras lasciuia per herbas
Ludit, lacte mero menteis percussa nouellas.
Haud igitur penitus pereunt quæcunque videntur:
Quando alid ex alio reficit natura: nec vllam
Rem gigni patitur, nisi morte adiutam aliena.*

PATER AETHER.] Ennius. *Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Iouem. pater est æther: terra mater. MATRIS TERRÆ]* terra deorum, atque hominum mater est: omnium deorum antiquissima, vt aiunt poëta: de qua leges plura lib. 2. *PRAECIPITAVIT]* præcipiteis egit, ac demisit. *HINC FESSÆ PECUDES PINGVES PER PAB. L.]* sic cod: Faëni, Scipionis Tethii, & Bertinianus. Vaticanus autem *Hinc fessæ pecudes, pingues, &c. PABULA LÆTA]* pabula cum apud hunc

scriptorem sæpe hoc epitheto appellantur, tum apud Virgil. Dixit tamen etiam *pinguia pabula* Virg. Georg. 1. & *pabula terræ* *Pingua concipiunt.* *VBERIBVS MANAT DIST.]* sic Horat. Epod. od. 2. *Distenta siccet vbera.* Virg. Pollione. *Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ Vbera.* idem Melibæo. *Thyrsis oues, Corydon distentas lacte capellas.* *QUANDO ALID.]* id est quoniam aliud ex alio natura reficit, & reparat. sic autem loquebantur veteres, *alis & alid*, pro alius, & aliud. Catull. de comâ Berenices. *Aime bonum oblita es facinus, quo regium adeptæ es Coniugium: quo non fortius ausit alio? alis pro alius dixerunt antiqui, inquit Prisc. lib. 12. & Sospater lib. 2. Veteres non tantum alius dixerunt, sed etiam alis, vt S. Illust. Alis alibi stantes, omnes tamen aduersis vulneribus conciderunt.* Iterum Lucret. infra. *Sic alid ex alio per te tute ipse videre Talibus in rebus poteris.* idem ibid. *Namque alid ex alio clarescet.* & lib. 3. *Sic alid ex alio nunquam desisset orbi.* & lib. 5. *Sic alid ex alio peperit discordia tristis.* *NISI MORTE ADIUTAM ALIENA]* sic Arist. lib. 1. *αἰεὶ γένεσθαι ἢ φθορῆς. ἢ τῶν φθιέσθαι, ἀλλὰ γένεσθαι ἢ τῶν γένεσθαι ἀλλὰ φθορῆς.* sic vulgò dicimus, ortus vnus, alterius est interitus: & vnus interitus, ortus est alterius. hoc eleganter exprimit Lucretius: nulla res nascitur nisi morte aliena adiuta: *morte aliena*, id est alterius rei interitu. *adiutam* autem excudendum curauit, tum quia in vno manuscripto exemplari huius vocis postrema syllaba demersa erat in litura, tum quòd si *adiuta* legeremus, significaretur ipsius naturæ mors: Alienum enim eorum est, quæ ad aliquid referuntur, quæ sententia esset absurda.

*Nunc agesis, quoniam docui nil posse creari
De nihilo, neque item genita ad nihilum reuocari:
Ne quæ fortè tamen cæptes diffidere dicis:
Quòd nequeunt oculis rerum primordia cerni:
Accipe præterea, quæ corpora tute necessest
Confiteare esse in rebus, nec posse videri.
Principiò venti vis verberat incita pontum,
Ingentis que ruit naueis, & nubila differt:
Interdum rapido percurrens turbine campos
Arboribus magnis sternit, montis que supremos
Siluifragis vexat flabrîs: ita perfurit acri
Cum fremitu, seuit que minaci murmure pontus.
Sunt igitur venti nimirum corpora cæcas
Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cæli
Verrunt, ac subito vexantia turbine raptant.*

NUNC AGESIS, QUONIAM] libri Faëni, & Thetij habent *Nunc*

agesis, quando. Nunc incipit ostendere, esse atomos, id est corpora prima, & indiuidua: neque ea iccirco minus esse, quod oculis non cernantur, idque probat multis aliis similibus collectis, quæ nihilo minus corpora sunt, etiã si aspectu non sentiantur. Auctores atomorum sunt Leucippus, & Democritus, ut tradunt Plutarch, Diogenes Laërt. M. Tull. Plutarch. *ἡ δὲ τῶν ἀπειρῶν τῶν φίλων. Ἐπιπέδου δὲ Νεωκλέους Ἀθηναίων καὶ Δημόκριτον φιλοσοφίας ἐφε τὰς ἀρχαίας τῶν ὄντων πάλαι τε λόγῳ θεωρητὰ, ἀμέτοχα κενῶ, ἀχρηστώ, ἀίδεια, ἀφάρτα, &c.* Epicurus Neoclis filius Atheniensis Democritum in philosophia secutus principia rerum dixit esse corpora quædam, quæ ratione cernuntur, inanis seu vacui expertia, nõ generata, æterna, nunquam interitura. Dioge. Laërt. in Democrit. *δοκεῖ δὲ τῶν τὰ θε, ἀρχαίς εἶναι τῶν ὄντων ἀτόμους, καὶ κενῶν τὰ δ' ἄλλα πάντα νενομήσθαι, καὶ δοξάζεσθαι ὡς εἶναι κόσμος, καὶ ἡρόντες, καὶ φησὶς* id est Videntur hæc Democrito: principia rerum esse atomos & inane: reliqua autem omnia lege & opinione valere: tum mundos esse infinitos, ortos, & interituros. M. Tull. lib. 1. de Finib. *Principiõ (inquam) Epicurus in phisicis totus est alienus: Democrito adiicit per pauca mutans, sed ita, ut ea, quæ corrigere vult, mihi quidem deprauare videatur. Ille atomos quas appellat, id est corpora indiuidua, propter soliditatem censet in infinito inani, in quo nec summum, nec medium, nec ultimum, nec extremum sit, ita ferri, ut concursibus inter se coherescant.* Idem in Lucullo. *Cur enim (inquies) cum ex illis indiuiduis, vnde omnia gigni Democritus affirmat, &c. Idem iterum lib. 1. de Finib. Aliena dicit in Phisicis, nec ea ipsa, quæ tibi probarentur, sed si qua in his corrigere voluit, deteriora fecit.* has atomos multis locis idem M. Tull. exagitat, ut lib. 1. de nat. Deorum. *Abuteris ad omnia atomorum regno, & licentia: hinc quodcunque in solum, venit, ut dicitur, effingis, atque efficis. quæ primùm nullæ sunt. nihil enim est, quod vacet corpore. Corporibus autem omnis obsidetur locus. Ita nullum inane, nullum esse indiuiduum potest: ibid. Ista enim flagitia Democriti, sine etiam antè Leucippi, esse corpuscula quædam leuia, alia aspera, rotunda alia, partim angulata, curuata quædam, & quasi adunca: ex his effectum esse calum, atque terras nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito.* Idem lib. 2. de nat. Deorum. *hic ego non mirer esse quenquam, qui sibi persuadeat, corpora quædam solida, atque indiuidua sua ui, & gravitate ferri, mundumque effici ornatisimum, & pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita? Hæc qui existimat fieri potuisse, non intelligo cur non idem putet, si innumerabiles vnus, & viginti formæ litterarum vel aureæ, vel qualeslibet aliquò coniciantur, posse ex his in terram excussis, annales Ennii ut deinceps legi possint, effici: quod nescio an ne in vno quidem versu possit tantum valere fortuna. ibidem paucis post versibus. Quod si mundum efficere potest concursus atomorum: cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest, quæ sunt minus operosa, & multo quidem faciltora? Certè ita temere de mundo effutunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem celi ornatum, qui locus est proximus, suspexisse videantur.* T V T E] hunc locum restem producit Priscianus lib. 12. VIS INCITA] vis incitata, malè quidam supponunt vis insita. nam cum hæc lectio recta sit, & veterū codicum auctoritate confirmata, tum à Lucretio saepe alibi est vsurpata, ut lib. 5. Multa videmus enim caelestibus incita flammis Fulgere. & 6. Fit quoq, ut interdum validi vis incita venti Percindat nubem. Sed non dissimulabo scriptum esse

in codice Faëni, & item in Tethij, verberat incita portus: in Bertiniano *corpus*, ad quem locum emendator quidem ascripserat, *corpus*. R V I T] *ἐπιπέδου* accipiendum est, ut infra. *Quamlibet in partem tridunt res antè, ruuntque* Sic Virg. Georg. 1. *cumulòsque ruit malè pinguis arena.* Idem 2. *& ruit atram Ad calum picea crassus caligine nubem.* N V B I L A D I F F E R T] id est dissipat, & disicit. sic inf. *Et calidos simul à medio differet igneis.* & lib. 2. *Scintillæque agere, & latè differre fauillam.* Virg. Georg. 3. *Scythiaque hiemes, atque arida differt Nubila.* Horat. od. 10. Epod. *Fractòsque remos differat.* Idem ibid. *Pòst insepulta membra different lupi.* I N T E R D V M R A P I D O P E R C. T V R B.] Virg. lib. 1. Georg. *Omnia ventorum concurrere prælia vidi. Quæ grandam latè segetem ab radicibus imis Sublimè expulsam cruerent: ita turbine nigro Ferret hiems, culmumque leuem, stipulàsque volanteis.* M O N T E S Q V E S V P R E M O S] id est montium cacumina. Virg. Georg. 4. *At chorũ equalis Dryadum clamore supremos Implerunt montes.* S A E V I T Q V E M I N A C I M V R M.] Virg. Æneid. 1. *Illi indignantes magno cum murmure montis Circum claustra fremunt.* Idem ibid. *Interea magno misceri murmure calum.* C O R P O R A C A E C A] id est quæ cerni oculis non possunt: quæ sub aspectum non cadunt: *ἀόερα.* inf. eod. lib. *Naturam clandestinam, cacàmque adhibere.* Virg. Georg. 4. *& spicula caca relinquunt.* Idem lib. 1. Æneid. *nimbosus Orion In vada caca tulit.* V E R R V N T.] Virg. Georg. 3. *Ille volat simul arua fuga, simul æquora verrens.*

*Nec ratione fluunt alia, stragemque propagant:
Quam cum mollis aquæ fertur natura repente
Flumine abundanti, quod largis imbribus auget
Montibus ex altis magnus decursus aquai,
Fragmina coniciens siluarum, arbuta que tota:
Nec validi possunt pontes venientis aquai
Vim subitam tolerare, ita magno turbidus imbri
Molibus incurrit validis cum viribus annis.
Dat sonitu magno stragem, voluit que sub vndis
Grandia saxa, ruit quæ quidquid fluctibus obstat.
Sic igitur debent venti quoque flamina ferri:
Quæ, veluti validum flumen cum procubere:
Quamlibet in partem tridunt res antè, ruuntque
Impetibus crebris: interdum vertice torto
Corripiunt, rapidòque rotantia turbine portant.
Quare etiam atque etiam sunt venti corpora caca:
Quando quidem factis, ac motibus, emula magnis*

Annibus inueniuntur, aperto corpore qui sunt.

MOLLIS A QVAE] mollis, id est quæ aliis corporibus cedit. Sic Virg. lib. 9. Æneid. in extr. ac mollibus extulit undis. MAGN. DECURSUS A QVAE] illustris tralatio. Nam decurrere est de superiore loco currere. Virg. lib. 2. Æneid. Laocoon ardens summa decurrit ab arce. Idem Æneid. 4. Ecce fera saxi deiecta vertice capra Decurrere iugis. Idem in Daphnide. Saxosae inter decurrunt flumina valles. sic Horatius dixit, Fluminis ritu delabentis in mare Etruscum. od. 29. lib. 3. Cum hoc loco magis congruit Virgilianus ille lib. II. Æneid. Aut ubi decursu rapido de montibus altis Dant sonitum spumosi amnes, & in aquora currunt. NEC VALIDI POSSUNT.] Confer hæc Lucretiana cum illis Virgilianis Georg. I. Sæpe etiam immensum celo venit agmen aquarum, Et sædam glomerant tempestatem imbribus atris Collecta ex alto nubes: ruit arduus æther, Et pluuia ingenti sata lata, boiunque labores Diluit, &c. Idem lib. 2. Æneid. In segetem veluti cum flamma furentibus Austris incidit, aut rapidus montano flumine torrens Sternit agros, sternit sata lata, boiunque labores.

RUIT QVA QVICVID] Virg. lib. I. Æneid. Quæ data porta ruunt, quicquid autem idem quod quicque, hoc loco, vt sæpe alibi, de quo dicitur a nobis aliàs. TRVDVNT RES ANTE, RVNTQVE] Virg. Æn. 4. Idem omnes simul ardor habet: rapiuntque, ruuntque, & lib. 9. Immanem Teucris molem voluuntque, ruuntque. RAPIDOQVE ROTANTIA TVRBINE] ex libris scriptis alij habent, rapidoque rotanti, alij rapidoque rotanti: quibuscum consentiunt nonnulli excusi. ego autem rotantia reposui, partim veteris lectionis vestigia, partim Latini sermonis vsum, & sententiam Lucretij secutus. subintelligitur enim flamina. QVANDOQVIDEM FACTIS ET MOTIBVS AEM.] sic plerique libri typis excusi, & Bertinianus. alij autem tres manuscripti, habent factis, & moribus: quæ scriptura si placebit, tralatio erit ab hominibus, ad ventos.

Tum porrò varios rerum sentimus odores:

Nec tamen ad nareis, venienteis cernimus vnquam:

Nec calidos æstus tuimur: nec frigora quimus.

Vsurpare oculis: nec voces cernere sumus:

Quæ tamen omnia corporea constare necesse est

Natura: quoniam sensus impellere possunt.

Tangere enim & tangi, nisi corpus, nulla potest res.

Denique fluctifrago suspensæ in littore vestes

Vuescunt: eadem dispansæ in sole ferescunt.

At neque quo pacto persederit humor aquai,

Visu st, nec rursus quo pacto fugerit æstu.

In paruas igitur parteis dispergitur humor:

Quas

Quas oculi nulla possunt ratione videre.

T V I M V R] cernimus. Festus. tuor video: tueor defendo. Sed iam promiscuè altero pro altero vtuntur. V S V R P A R E O C V L I S] cernere: quemadmodum vsurpare sermone dicimus pro commemorare, & referre. Q V A E T A M E N O M N . C O R P .] de odoribus, & vocibus disputaturus est lib. 4. T A N G E R E E N I M E T T A N G I] hoc vñ est ex principiis, & sententiis ratis ac fixis Epicuri: quicquid tangere, & tangi potest, id corpus est. Itaque Lucretius lib. 2. non solum voce, verum etiam animi viribus contendens hoc idem asseuerat, his verbis, Tactus enim, tactus, pro diuim numina sancta, Corporis est sensus. & lib. 3. Quorum nil fieri sine tactu posse videmus: Nec tactum porro sine corpore. Neque verò quisquam philosophus tactum sensum esse maxime corporis proprium negat. Arist. lib. 4. φασ. ἀνεπαρκ. σώματα όλων εἶναι πᾶν ἀπὸ τοῦ. id est putant omnes ferè philosophi corpus esse quicquid tangi potest. Contra idem Epicurus τὸ κινῶν appellat interdum φῶσιν ἀναφῶν, id est naturam tactus expertem. Iam verò quòd tactum maximè animalis esse proprium plerique item philosophi dicunt, hoc non est huius loci. D E N I Q V E F L V C T I F R A G O] sic habent quattuor libri manuscripti, & vtrique Veneti, & Vicetini, & Parisienses, & Florentini, & Lugdun. Nonius Marcellus tamen in voce feresco hunc versum testem producens, legit, Fluctiuago, si locus mendo vacat. V V E S C V N T] id est humescunt: ex quo verbo fit vuidus. Horat. ode 5. lib. I. vuida suspendisse potenti Vestimenta maris Deo. Virg. in Gallo. Vuidus hiberna venit de glande Menalcas. Iterum Horat. od. 5. lib. 4. dicimus integro Sicci manè die, dicimus vuidi, Cum Sol Oceano subest. Varro lib. 4. de ling. Lat. Vuidum est, quod humidum: & ideo vbi id non est, succus abest. B A E D E M D I S P A N S A E I N S O L E S E R .] sic habent libri manuscripti: quibuscum consentiunt Veneti recentiores, Vicetini, & Lugdunenses: At Parisienses, & Aldini antiqui, & Florentini, eadem candenti sole ferescunt. dispansa autem, id est explicata, extenta. S E R E S C V N T] id est siccantur, vt interpretatur Nonius Marc. ex quo verbo ferenitas. P E R S E D E R I T] in vestibus in littore suspensis, seu dispansis, atque explicatis inhaerit. F U G E R I T A E S T V] neque quo pacto humor fugerit æstu, id est calore solis: sic autem reposuimus auctoritate librorum manuscriptorum freti.

Quin etiam multis solis redeuntibus annis
Annulus in digito subtertenuatur habendo:
Stillu idi casus lapidem cauat, vncus aratri
Ferrens occultè decrefcit vomer in aruis:
Stratæque iam volgi pedibus detrita viarum
Saxea conspiciamus: tum portas propter abena
Signa manus dextras ostendunt attenuari
Sæpe glutantum tactu, præterque meantum.
Solutacrum

E

*Hæc igitur minui, cum sint detrivta, videmus:
Sed quæ corpora decedant in tempore quoque:
Invida præclusit speciem natura videndi.*

MULTIS SOLIS REDEVNTIBVS ANNIS] expressit vim Greci nominis *διωτὸς*, quod annum significat, dictum quasi in seipsum rediēs, tanquam circulus quidam. sic Virg. *Æn.* 8. *Ex quo rediens urbem redeuntibus annis Ascanius clari condet cognominis Albam.* Horat. sat. 2. lib. 2. *Siue diem festum rediens aduexerit annus.* SVBTER] qua parte carnem tangit. HABENDO] dum habetur, dum gestatur in digito. sic illud Virg. *Georg.* 3. *vr̄i que vidēdo Fæmina.* STILLICIDI CASVS] Festus. *Stiricidii quasi stillicidium cum stilla concretæ frigore cadunt. Stiria enim principale est, stilla deminutum.* Quod autem ad sententiam attinet, eam lib. 4. vberius tractauit in extr. *Nonne vides etiam guttas in saxa cadentes Humoris, longo in spatio pertundere saxa?* eandem sic Cherilus malus poëta, de quo Horat. epist. ad August. *Gratus Alexandro magno Regi fuit ille Cherilus, incultis qui versibus, & male natis Rettulit acceptos regale numisma Philippos:* hanc igitur eandem sententiam sic Cherilus ille complectitur: Πέσαι κοιλὰν ἐπὶ πάντι ὕδατος ἐνδελχέειν. & Ouidius, quem quidam viri docti alterum Cherilum esse volunt: *Gutta cauat lapidem nō vi, sed sæpe cadendo.* STRATA VIARVM] *strata viarum* sic dictum, vt *suprema montium, clausa domorum, vana rerum, amara curarum,* & similia, quæ notauimus in commentar. Horatianis: Virg. lib. 1. *Æn.* *Miratur portas, strepitumque, & strata viarum.* PORTAS PROPTER] *διὰ πρὸς* propter autem valet propè. MANVS DEXTRAS] quibus pulsantur fores. SÆPE SALVTANTVM TACTV] huius salutandi moris infinita sunt apud Latinos scriptores exēpla: ex quibus licet pauca degustemus. Cic. epist. ad Brutum. *Hæc scripsi in ipsa turba matutina salutationis.* QU. FRATER DE PER. CONSUL. *deductorum officium maius est, quàm saluatorum.* Virg. *Georg.* 2. *Si non ingentem foribus domus alta superbis. Manè salutantum totis vomit adibus vnam: At secura quies, & nescia fallere vita.* Mart. lib. 4. *Prima salutanteis, atq; altera distinet hora, Exercent raucos tertia causidicos.* INVIDA PRÆCLVSIT] sic habent codices scripti Vatic. Bertin. & typis excusi Vicetini, Parisienses, Veneti antiquiores. alij minus rectè *Præcludit.* sententia autem huius loci est. natura inuidit atque ademit videndi facultatem, quæ corpuscula decedant in quoque tempore ex illorum æneorum simulacrorum manibus.

*Postremò, quæcunque dies, naturæque rebus
Paulatim tribuit moderatim crescere cogens,
Nulla potest oculorum acies contenta tueri.
Nec porrò quæcunque æuo, maciæque senescunt:
Nec, mare quæ impendent vesco sale saxa, peresa,*

*Quid quoque amittant in tempore, cernere possis.
Corporibus cæcis igitur natura gerit res.*

MODERATIM] id est modicè, & moderatè, & sensim. ita (inquit) res naturales crescunt, vt quid quotidie accedat, cernere nemo possit. CONTENTA] quemadmodum dicimur *oculorum aciem contendere*, cum quippiam defixis oculis, & acerrimo obtutu aspiciamus: ita *contentam*, id est intētam, & acerrimè defixam oculorum aciem Latine dicimus. Simili modo vsurpantur à Latinis illa, *contendere nervos, vocem, fideis, seu chordas*, pro intendere. Idem Lucret. infra lib. 4. *Et quæ tenua sunt, nisi se contendit aciem, Cernere non potest animus.* ibidem paucis post versib. *contendere se, atque parare.* NEC, MARE QUÆ IMPENDENT] sic habent tres libri manuscripti, quibuscum consentiunt vulgati, Parisienses, vtrique Veneti, Florentini, Vicetini, Lugdunenses. Postremò hanc lectionem agnoscit Pomp. Festus in voce *vescus*. dictum est autem *impendent mare*, pro *impendent mari, seu in mare.* & ita Terent. Phom. *Ita nunc imparatum tanta te impendent mala.* VESCO SALE] *Vescus* (inquit Festus) *fastidiosus.* vt enim pro *pusillo* *viebantur.* Lucretius *vescum* dixit *edacem*, cum ait. *Nec, mare quæ impendent vesco sale saxa peresa.* Hætenus Festus: significat autem ille, *vescum sale*, seu *sale*, à Lucretio dictum, quia *saxa peredat, & minuat, & consumat.* Gell. lib. 16. *Vescum, quod ex ve particula, & esca copulatum est, vtriusque diuersa significationis vim capit. Aliter enim Lucretius vescum sale dixit, ex edendi intentione, aliter Lucilius vescum appellat cum edendi fastidio.* QUID QUOQUE AMITTANT] sic legendum ex auctoritate trium librorum manuscriptorum. sic paulo antè, *sed quæ Corpora decedant in tempore quoque, &c.* NATVRA GERIT RES.] id est res administrat, & moderatur, tanquam imperatrix. sed fortasse legendum *genit*: id est *gignit*: quod verbum Lucretio est vsitatissimum.

*Nec tamen vndique corporea stipata tenentur
Omnia natura: nanque est in rebus inane.
Quod tibi cognosse in multis erit vtile rebus:
Nec sinet errantem dubitare, & quærere semper
De summa rerum, & nostris diffidere dictis.
Quapropter locus est intactus inane, vacansque.
Quod si non esset, nulla ratione moueri
Res possent, nanque, officium quod corporis extat,
Officere, atque obstare, id in omni tempore a: esset
Omnibus, haud igitur quicquam procedere posset,
Principium quoniam cedendi nulla daret res.*

*At nunc per maria, ac terras, sublimaque cæli,
Multa modis multis varia ratione moueri
Cernimus ante oculos: quæ, si non esset inane,
Non tam sollicito motu priuata carerent,
Quam genita omnino nulla ratione fuissent:
Vndique materies quoniam stipata quiesset.*

NEC TAMEN VNDIQVE] nunc posteaquam docuit esse corpora prima, aggreditur ad ostendendum esse inane. Et primùm à motu è loco ad locum, quem Græci *το κενόν* nominant, probabit esse inane. Non tamen (inquit) omnia constipata, & condensata sunt corporibus. QVA PROPTER LOCVS EST INT.] Cum corpus & inane inter se sint contraria, quicquid autem tangit, & tangitur, sit corpus, sequitur, vt inane sit intactum quiddam, id est locus intactus, seu locus sine corpore. Inane autem locus non est simpliciter. nam locus, locati locus est. ergo corpore non vacat. at inane, ex Epicuri, & Democriti sententia ita debet esse corporis expers, vt corpora prima, seu primordia rerum nihil in se habent inanis, aut vacui, hoc est sunt solidissima. Itaque Aristot. lib. 4. *φυσ. ἀνερός*. inane ait esse locum, in quo nullum est corpus: & eodem lib. *τὸ κενόν*, id est inane, dicit esse *τοῦ σώματος διάστημα*, id est corporis spatium: & Lucretius li. 4. *Plagarum quia sunt expertia, sicut inane est: Quod manet intactum, neque ab ætæ fungitur bilum*. fungitur autem, id est, patitur. QVOD SI NON ESSET, NULLA RAT.] si non esset inane, non esset motus (inquit.) At motus est: ergo est inane. Hac de re sic Diog. Laërt. in Epic. *τὸ κενόν, ἕτε ποιήσαι, ἢ τε παθεῖν δυνάται· ἀλλὰ κίνησιν μόνον δι' ἑαυτῶ τοῖς σώμασι παρέχει* id est, inane neque facere quicquam, neque pati potest: sed motum duntaxat per se corporibus præbet. & Arist. lib. 4. *φυσικ. ἀπρ. λέγουσι δ' ἐν, ὅτι ἡ κίνησις ἢ κατὰ τόπον ἐκ αὐτῶν αὐτῶν δ' ὅτι ποιεῖ, ἢ αὐτῶν. Οὐ γὰρ αὐτῶν εἶναι κίνησις, εἰ μὴ ἢ κενόν. τὸ γὰρ πλήρες ἀδύνατον εἶναι κίνησιν· εἰ δ' ἀκίνητον, ἢ δὴ ἐν τῷ αὐτῷ ἐκδέχεται, ἢ ὅτι οὐδ' αὐτῶ εἶναι σώματα, &c.* id est, Dicunt autem vnum, motionem à loco ad locum non fore: hæc autem, translatio, & accretio est. Non enim queat esse motio, inquit illi, nisi sit inane. Nam quod plenum est, nihil in se recipere potest: quod si recipiat, & duo, & quotlibet in eodem corpora simul esse queant, &c. quod fieri non potest. Ibidem Aristoteles scribit Melissum, cum probare vellet vniuersum esse immobile, hoc vti solitum esse argumento. si vniuersum esset mobile, aut si moueretur: esset inane: at non est inane: ergo vniuersum est immobile, & quietum. Ex quibus intelligere licet neque motum esse sine inani, & si motus sit, necessariò etiam esse inane. Ratio autem cur sine inani motus esse nō possit, hæc est, quod sublato de rebus inani, quicquid est in natura rerum, corpus esset. atqui corporis officium est obstare: ergo res omnes sibi inter se obstarent, & ita nihil moueretur, nihil procederet, nihil progrediretur, sed omnia quiescerent, cum eis nulla progrediendi facultas daretur, cum

que nihil esset, vnde cedendi principium nasceretur. Hanc de inani opinionem viderur probare Virgilius in Sileno his versibus. *Nanque canebat vti magnum per inane coacta Semina terrarumq, animæq, marisque fuissent, Et liquidi simul ignis: vt his exordia primis Omnia, & ipse tener mundi concreuerit orbis.* PROCEDERE] porro cedere: progredi. SUBLIMA QVE CÆLI] sic dictum sublima cæli, vt ab Horat. *acuta belli, à Cæsare occulta, & remota templi*, lib. 3. de bello ciuili: ab hoc eodem Lucret. *vera viâ, serena cæli, abdita terrâ, conuexa cæli, prima viâ, & similia*: quorum plura exempla collegimus in commentariis Horatianis. Iam sublimus, & sublimis æquè sunt in vsu, vt imbecillus & imbecillis, inermus & inermis, hilarus & hilaris, &c.

QVAE, SI NON ESSET INANE, NON TAM] id est, quæ non modò motu non carerent, si non esset inane, sed omninò nata, seu genita non essent: vel sic explicæ: quæ, si non esset inane, non tantùm dico ea fuisse motu caritura, sed nunquam fuisse nascitura: vel sic: quæ, si non esset inane: genita omnino non essent, nedum motu carerent. quæ omnes explicationes eodem recidunt.

*Præterea quamuis solidæ res esse putentur:
Hinc tamen esse licet raro cum corpore cernas:
In saxis ac speluncis permanat aquarum
Liquidus humor, & vberibus flent omnia guttis.
Dissipat in corpus sese cibus omne animantium:
Crescunt arbusta: & fatus in tempore fundunt:
Quod cibus in tota vsque vel ab radicibus imis
Per truncos, ac per ramos diffunditur omneis.
Inter septa meant voces, & clausa domorum
Transuolitant, rigidum permanat frigus ad ossa.
Quod nisi inania sint, quæ possent corpora quæque
Transire, haud vlla fieri ratione videres.
Denique cur alias aliis præstare videmus
Pondere res rebus, nihilo maiore figura?
Nam si tantundem sit in lanæ glomere, quantum
Corporis in plumbo sit: tantundem pendere par est:
Corporis officium est quoniam premere omnia deorsum:
Contra autem natura manet sine pondere inanis.
Ergo quod magnum sit æquè, leuiusque videtur,
Nimirum plus esse sibi declarat inanis.*

*At contra grauius plus in se corporis esse
Deliquat, & multo vacui minus intus habere.
Est igitur nimirum id, quod ratione sagaci
Querimus, admistum rebus, quod inane vocamus.*

PRÆTEREA QVAMVRS, &c.] hoc dicit: proponem mihi res genitas quantumuis densas ac solidas: attamen ex iis, quæ iam dicam, ex iisque exemplis, quæ afferam, perspicuum est, illas esse raro corpore contextas, ac præditas. *quamuis*, id est quantumuis. HINC TAMEN ESSE LICET] ordo est. *licet cernas hinc*, id est ex his, quæ statim subiungam, eas res esse raro cum corpore: *licet cernas*, id est licet cernere. mendose autem habent nonnulli libri typis excusi, *liquet* reclamantibus quattuor codicibus manuscriptis: quibuscum consentiunt Veneti antiquiores, Parisienses, Vicetini, post verbum *cernas* debet scribi interpunctionis nota. IN SAXIS, &c.] hæc sunt exempla. DISSIPAT] quidam libri habent *Dissipat*: quod tantundem valet. QVOD CIBVS IN TOTA VSQVE VEL AB RAD.] sic reposui fretus auctoritate trium librorum manuscriptorum, in quibus erat scriptum: *Quod cibus in totas vsque vel ab, &c.* in tota autem, intellige *arbuta*. alij legunt *in totos vsque à rad.* & referunt ad vocem *fetus*, ut sit *in totos fetus*: à quibus dissentio. INTER SEPTA MEANT VO.] sic lib. 6. *Denique per dissepta domorum saxea voces Peruolitant.* hac de re lege lib. 4. CLAUSA DOMORVM] parteis domorum clausas: sic supra *strata viarum, & alibi rara viarum.* Idem lib. 4. *Et tamen ipsa quoque hæc dum transit clausa domorum Vox obtunditur, &c.* TANTVMDEST IN LANAE GLOMERE] mirum primam vocis *glomeræ* produci, cum prima verbi *glomeræ* sit breuis: ut apud Virg. Georg. 2. *& creffus glomerare superbos*: & sæpe alibi. *tantundem* autem, nempe *corporis*, ἀπό κοινῶ. QVANTVM CORPORA IN PL.] sic habent quattuor libri manuscripti: & omnes typis impressi præter Vicetinos, & vnos Lugdunenses, & Venetos recentiores: in quibus legitur, *corporum*: quam scripturam si recipiemus, dicendum nobis erit hîc, m, non elidi ante vocalem: quod non est nouum, præsertim apud Ennium, Lucretum, Horatium, ut alibi dicemus. OMNIA DEORSVM] in voce deorsum fit *συνωρίσεις*, seu *συνίζησις*, quemadmodum in *seorsum*, *suauit*, *suadet*, & similibus. NATVRA INANIS] ἡ φύσις τῶν κενῶ: natura ipsius inanis, seu vacui. *inanis* enim hoc loco patrii casus est. ut tertio ab hinc versu, *Nimirum plus esse sibi declarat inanis.* CORPORIS ESSE] sic habent quattuor libri manuscripti, & vulgati Lugdunenses, & Florentini. Parisienses autem & Vicetini, *corporum inesse.* DELIQUAT] cum in quinque libris manuscriptis, & vtrisque Venetis, Parisiensibus, Florent. Vicetinis, *delicat* scriptum reperissem, in ceteris autem impressis, *indicat*, ego *deliquat* reposui. *deliquare* autem vetustum verbum est, quod valet *aperire*, & *declarare*, ut docet Nonius. Titinnius lib. 5. *quid istuc est, aut quid istuc sibi vult sermo? mater deliqua.* Accius. *Qua re alia ex crimine inimicorum effugere possis, deliqua.* Idem Lucret. infr. eod. lib. *Corpus enim per se commune deliquat*

esse sensus. idem lib. 3. *Hæc quoque res etiam naturam deliquat eius.* Ita autem certa est huius loci restitutio, ut qui eam improbet, se in litteris parum videre ostendat.

*Illud in his rebus, ne te deducere vero
Possit, quod quidam fingunt, præcurrere cogor.
Cedere squammigeris latices niteribus aiunt:
Et liquidas aperire vias: quia post loca pisces
Linguant, quò possint cedentes confluere vnda:
Sic alias quoque res inter se posse moueri,
Et mutare locum, quamuis sint omnia plena.
Scilicet id falsa totum ratione receptu'st:
Nam quò squammigeri poterunt procedere tandem,
Ni spatium dederint latices? concedere porro
Quò poterunt vnda, cum pisces ire nequibunt?
Aut igitur motu priuandu'st corpora, quæque:
Aut esse admistum dicendu'st rebus inane:
Vnde initum primum capiat res quæque mouendi.*

DEDUCERE VERO] demouere à vero. PRÆCURRERE] præoccupare, præuerti. Est enim hoc loco quædam *περοκατάληψις*. SQVAMMIGERIS] piscibus, ut supra. *Squammigerum genus.* LATICES] vndas, aquas. Festus. *latex à lapsu profluens aqua dicitur.* interdum tamen & in vino hoc vocabulo vtimur. CEDERE SQVAMMIGERIS LATICES, &c.] Ad hunc locum pertinent ea, quæ scribit Aristot. lib. 4. *φυσικῶν ἀκροῦσιν.* his verbis. Αἴτιον ὃ κινήσεως οἰονταί εἶναι τὸ κενόν ὡς ἐν τῷ κινήσει, τὰ δ' αὖ εἶναι διὸν τὸν τόπον πνέει φασὶν εἶναι. Οὐδὲν μὲν δ' ἀφ' ἑαυτοῦ, εἴ ὅτι κίνησις, εἶναι κενόν. ὅλας μὲν οἰον ἀπάσις κινήσεως ἐδιδυμῶς. ὃ ἐν Μέλισσον ἐλάθειν. Αλλοῖσι δ' ὅτι ἐν τῷ κενῷ τὸ πλῆρες, ἀλλὰ δὴ ἐδὲ τ' ἐν τῷ τόπῳ κινήσεως. ἅμα δ' ὑπερίκειναι ἀλλήλοισ ἐκδέχεται ἕδωτος ὄντος. Διαστήματος χωρεῖς ἔπι τὰ σώματα τὰ κινέμενα: ἐν τῷ δὲ κενῷ ἐν ταῖς τῶν σωρευθῶν δυνάμεις, ὡς περὶ καὶ ἐν ταῖς τῶν ὑρεθῶν. id est, Motionis autē putant esse causam inane, nepe ita ut in quo res aliqua mouetur. Hoc autem tale quiddam fuerit, quale quidam locum esse dicunt. Sed non est necessarium, si est motus, esse inane. Omnino igitur omnis motionis causam esse inane nullo modo necessarium est: quod quidem & Melissum fecellit. Nam contingere potest, ut corpus, seu plenum, & solidum varietur, atque (ut ita dicam) alteretur. Sed ne motionis quidem à loco ad locum causa est. Nam contingere potest, ut res sibi inter se cedant, nullo posito interuallo separabili præter ea corpora, quæ mouentur. Atque hoc perspicuum est in rerum continuarum vertiginibus, quemadmodum & in liquidorum vorticibus. Adde illa M. Tullij ex lib. 2. Acad. quæ est. *Itaque aut inane quicquam putes esse, cum ita completa, & con-*

ferta sint omnia, ut, quod mouebitur corpus, ei aliud cedat, & quæ quicque cesserit, aliud illico subsequatur? AVT IGITUR MOTV PRIVANDVST CORP.] priuandum est corpora, id est priuanda sunt corpora, seu priuare oportet corpora. sic Græci *επιτέτοι σόματα*: quod genus loquendi supra usurpauit. Aeternas quoniam pœnas in morte timendum: & ibi, *Μυλτα nouis verbis præsertim cum sit agendum.* VNDE INITVM PRIMVM] sic habent tres codices manuscripti: & ita Paris. & quidam alij vulgati. duo item manuscr. *initium*: cum quibus congruunt vtrique Veneti, Florentini, Lugdunenses, Vicetini. duo alij manuscripti sic: *Primum unde initium*: quam scripturam probant quidam docti viri, aiuntque tribrachum, seu trochæum positum esse pro dactylo. Ego suum cuique iudicium liberum relinquo: verum tamen mihi magis placet ea, quam secutus sum, scriptura. Quod si quis magis probabit, *initium*, non pugnabo. Nam in voce *initium* fieri potest *συνίζησις* duarum syllabarum, & um: id est possunt duæ syllabæ in vnam coire. Initus autem apud veteres idem valet quod ingressus, introitus, *initium*, ut supra diximus, ibi, *tuumque significant initium.*

*Postremò duo de concursu corpora lata
Si cita disiliant: nempe aër omne necessest,
Inter corpora quod fiat, possidat inane.
Is porro, quamuis circum celerantibus auris
Confluat: haud poterit tamen vno tempore totum
Compleri spatium: nam primum quenque necessest
Occupet ille locum, deinde omnia possideantur.
Quod si fortè aliquis, cum corpora disiluerè,
Tum putat id fieri, quia se condensat aër,
Errat. nam vacuum tunc fit, quod non fuit antè,
Et repletur item, vacuum quod constitit antè.
Nec tali ratione potest denserier aër:
Nec si iam posset, sine inani posset, opinor,
Se ipse in se trahere, & parteis conducere in vnum.
Quapropter quamuis causando multa moreris,
Esse in rebus inane tamen fateare necessest.*

POSTREMO DVO DE CONCVRSV] sic habent quatuor libri manuscripti, & excusi omnes præter Venetos antiq. in quibus ita legitur, *de concursu*: quæ scriptura reperitur etiam in Bertiniano. Ego hanc scripturam reiiciendam putavi, ut mendosam. sæpe enim scriptores librarij o pro u. & contrà u pro o scribebant. sententia autem huius loci hæc est. Si duo ampla

ampla corpora inter se concurrerint, & ex illo concursu citò disilierint, necesse erit, ut, posteaquam corpora illa disilierint, totum illud inane, quod per subitam illam corporum discessionem fuerat inter duo corpora effectum, aër occupet: neque tamen is aër ita citò confluere poterit, quamuis ab auris circumstantibus vehementer impellatur, ut vno tempore totum illud inane spatium compleatur. INTER CORPORA QVOD FIAT] sic libri vulgati omnes, & duo manuscripti: vnus manuscriptus quod fuerat: ex qua scriptura Muretus legendum putat, *fuerat*: alius item manuscriptus *flat*, plane mendosè. ego vulgatam retineo, dum certior & verior aliqua afferatur. præsertim cum *flat* errorem librarij ostendat, qui l. pro i scripserit: in quo sæpe ab hoc genere hominum peccabatur. Mureti tamen coniecturam non improbo. POSSIDAT] possideat, occupet.

CIRCVM CELERANTIBVS AVRIS] sic habent quatuor libri manuscripti, & nonnulli typis impressi, quos secutus sum: alij *circundensantibus auris*. *celerantibus* autem, id est accelerantibus, vrgentibus, & celeriter pellentibus aërem. QVOD SI FORTE, &c.] si quis autem (inquit) putat duo grandia, & lata corpora disilire posse, non quòd sit vacuum, sed quòd aër se contrahat, & condenset, suasque parteis in vnum colligat, errat. Nam primum per diffusum illum, id quod antè erat plenum, fit inane: & contrà, quod erat inane, fit plenum: nec tali ratione, nempe per corporum diffusum, potest aër densari: & si demus posse, non posset tamen sine inani. Densatio enim nihil aliud est, quàm partium disiunctarum, & laxatarum contractio, & compressio. at nullius totius partes contrahi possunt, nisi intelligamus inclusum in eo esse vacuum, seu inane. nam si nullum in eo toto esset inane: id totum esset solidum, & plenum. Si plenum esset, ergo corpus merum, at corpus merum, aliud corpus in se recipere non potest: ergo id corpus suas parteis non posset in vnum magis contrahere. CONDVCERE] *συνάγειν*, contrahere. Cic. Philipp. 8. *res geritur: conductæ vineæ sunt.* Idem Lucret. inf. *Acrior ardor enim conductus partibus esset*: & lib. 3. *se posse per artus introrsum trahere, & parteis conducere in vnum.* & lib. 4. *Donac in obscurum coni. conduxit acumen.* QVIA SE CONDENSEAT AER] *condensat* hoc loco actionè significat. neque est quod quicquam vereatur ne locus sit mendosus. nam primum hanc scripturam omnes libri confirmant: deinde *densere*, in eandem significationem, & denseri voce passiva, vsitata sunt bonis scriptoribus. Idem Lucret. quarto ab hinc versu, *Nec tali ratione potest denserier aër.* Virg. Georg. 1. *Iupiter humidus Austris denset, evant quæ rara modò, & quæ densa, relaxat.* Idem lib. 12. *Æn. Vela dabit: vos vnanimeis densete catervas.* Sallust. lib. 3. histor. *Ille subsidii princeps augere, & densere frontem.* Iterum Virg. Georg. 1. *silet nox semper, & obtenta densentur nocte tenebræ.* CAUSANDO MVLTÀ] id est multas causas afferendo: *πολλὰ προκαίσι λόγους πολλὰς προφάσεις προσχεύειζον.* M. Tull. pro Rosc. Amer. *Nunquid causare, quin ab iudicio discedas turpissimè victus?* Virg. Mœride. *Causando nostros in longum ducis amores.*

Multaque præterea tibi possum commemorando

Argumenta, fidem dictis, conradere nostris.
 Verum animo satis hæc vestigia parua sagaci
 Sunt, per quæ possis cognoscere cetera tute.
 Nanque canes ut montinagæ persape ferai
 Naribus inueniunt intectas fronde quieteis,
 Cum semel institerunt vestigia certa viai:
 Sic alid ex alio per te tute ipse videre
 Talibus in rebus poteris, cacæque latebras
 Insinuare omneis, & verum protrahere inde.
 Quod si pigraris, paulumve abscesseris ab re:
 Hoc tibi de plano possum promittere Memmi,
 Usque adeo largos haustis de fontibus amneis
 Lingua meo suavis diti de pectore fundet,
 Ut verear, ne tarda prius per membra senectus
 Serpat, & in nobis vitæ claustra resoluat,
 Quam tibi de quavis vna re versibus omnis
 Argumentorum sit copia missa per aureis.
 Sed nunc iam repetam coeptum pertexere dictis:

FIDEM DICTIS CONRAD. NOSTR.] fidem iis quæ diximus colligere, conciliare, comparare, cōquirere. *conradere* autem legendum est, non *contradere*: quod verbum non est Latinum. Terent. Adelph. *minas decem corradet alicunde*. Idem Phorm. *ei credo muans hoc corraditur*. VESTIGIA CERTA] tralatio à venatione. Virgil. lib. 4. *agnosco veteris vestigia flammae*. Itaque ab eadem, simile quod sequitur, ducitur. *Nanque canes*, &c. INTECTAS FR. QV.] cubilia frondibus obducta, atque operta. Cic. in Pison. *Strages provincie tue: quas non vestigiis odorantes ingressus tuos, sed totis volutationibus corporis, & cubilibus persecuti sumus*. Idem Verrina de iure dicendo in extrema. *ut omnes mortales non iam vestigia, sed ipsa cubilia videre possint*. INSTITERUNT] sic habet codex Vaticanus, & Bertiniano: quibuscum congruunt Parisiensis, Veneti antiquiores, Vicetini. in verbo *institerunt* autem e corripitur. tale est illud Virgil. 2. Æneid. *Obstupui, steteruntq; comæ, & vox faucibus hæsit*. ALID] aliud, ut sup. CAECASQVE LATEB. INS.] & ingredi in latebras obscuras ac retrufas. QVOD SI PIGRARIS, PAULUMVE ABSCESSERIS AB RE] id est, quod si tardior fueris: aut si ab hoc ipso vero paulum modò te disunxeris, &c. Sic videtur hic locus intelligendus, si verbum pigrandi accipiamus absolute, & ut ita dicam, neutraliter. Nam aliàs *επιπυρνω*: usurpatur, quemadmodum apud Accium: *melius pigrasse, quam properasse est nefas*, id est præstat fa-

Etum aliquod iniustum, tardius admittere, aut omnino nunquam admittere, quàm celerius. Idem. *sed cur propter te pigrem hæc, aut huius dubitem parere capiri?* Itaque potest & hoc modo intelligi. *Quod si pigraris*, id est quod verum si tardaueris, seu tardius, & segnius tibi paraueris, &c. Sed mihi non est dissimulandum, reliquam huius versus partem, ita legi in omnibus ferè codicibus impressis, *paulumve recesseris ab re*: in Bertiniano autem, *paulumve re abscesseris ab re*: in Memmiano, *paulumve abscesseris ab re*, ut ego excudendum curavi: quæ lectio si cui probabitur, ita erit interpretandus hic locus, ut supra dixi. quod si tardus, & piger fueris, paulumve propter tuam pigrariam ab re, id est à vero, seu ab ea re, quam doceo, te remoueris, *Hoc tibi de plano*, &c. Atque ego hanc scripturam, & sententiam magis probo.

HOC TIBI DE PLANO] de plano, id est quasi ex æquo loco, non è superiore, ut qui concionantur: vel de plano, id est liquidò, & sine dubio, & non multa opera infumta, magnaue cura adhibita. Fortasse ducta tralatio est à prætoribus, aut proconsulibus, qui liteis, & controuersias facileis, atque explicatas de plano diiudicabant: difficileis autem atque implicatas è loco superiore, atque è tribunali. Vlpianus lib. 2. de officio proconsulis. *De plano autem proconsul potest expedire hæc: ut obsequium parentibus, & patronis, liberisque patronorum exhiberi iubeat: comminari etiam, & terere filium à patre oblatum, qui non, ut oportet, cum ipso versari dicatur: poterit de plano similiter & libertum non obsequentem emendare aut verbis, aut fustium castigatione*.

VSQVE ADEO LARGOS HAUSTIS E FONTIBVS AMNEIS] sic restitui ex auctoritate quattuor librorum manuscriptorum. significat autem se tantam rerum copiam ex Epicurea doctrina haustam è pectore profusurum, ut verendum sit ne prius ipse & Memmius senescant, ac moriantur, quàm Memmius quamlibet vnã rem vel intellexerit, vel audierit. *largos amneis* dixit *επιπυρνω*. SERPAT] obrepat, sensim veniat. ET IN NOBIS VITAE CLAVST. RES.] id est, & in nobis corporis & animæ coniunctionem dirimat, ac dissoluat, id est moriamur.

*Omnis ut est igitur per se natura, duabus
 Constitit in rebus, nam corpora sunt, & inane,
 Hæc in quo sita sunt, & quæ diuersa mouentur.
 Corpus enim per se communis deliquat esse
 Sensus: quo nisi prima fides fundata valebit,
 Haud erit, occultis de rebus quod referentes
 Confirmare animi quicquam ratione queamus.
 Tum porro locus, ac spatium, quod inane vocamus,
 Si nullum foret: haud vsquam sita corpora possent
 Esse, neque omnino quaquam diuersa meare:
 Id quod iam super à tibi paulo ostendimus antè.*

OMNIS UT EST IGITUR, &c.] Tota (inquit) hæc rerum natura duabus ab initio rebus constat, corporibus, & inani, in quo corpora sita sunt, & per quod huc & illuc feruntur; ac mouentur. Hæc opinio (quod supra paucis attigi) non fuit solius Epicuri, sed & aliorum multorum. Leucippus enim posuit τὸ πλεῖρον ἢ τὸ κενόν: id est plenum & inane: Democritus τὰ γὰρ ἢ τὸ κενόν, id est solida & inane: Metrodorus τὰ ἀδιάρητα ἢ τὸ κενόν, id est indiuidua & inane: Epicurus σώματα λόγῳ θεωρητὰ, ἀμάτοχα κενῶ, ἀβρόντη, ἀδιάρρητα ἢ τε πλεῖον ἢ κενόν, ἢ τε ἀλλοιωτὰ, ἢ τὸ κενόν, id est corpora, quæ ratione duntaxat cerni possunt, inanis expertia, neque vnquã orta, neque vnquã interitura: quæ neque perfringi, neque immutari possunt: & inane. Empedocles autem, & Plato, & ceteri ante Platonem, negarunt esse in rebus inane. Aristot. ποσῶτον εἶναι κενόν φησιν ἐκ τῶν τῶ κόσμῳ, ὡς ἀναπνεῖν ἢ ἐρῶν: εἶναι γὰρ πνεῦν, id est tantum esse inanis concedit extra mundum, quantum cælo satis sit ad respirandum: esse enim igneum: Stoici ἐν τῶν τῶ κόσμῳ ἢ δὲν εἶναι κενόν: ἐκ τῶν δ' ἀπειρον, id est intra mundum nihil esse inane: extra autem infinitum. ET INANE, HÆC IN QVO SITA SVNT] & inane (inquit) in quo hæc corpora sita sunt, & per quod huc & illuc, horsum & illorsum feruntur. Nam inane neque facere quicquam, neque perpeti potest: sed tantum corporibus motionis viam, & locum, & facultatem præbet. Itaque Epicurus inane appellat χῶρον id est locum, & διάστημα, hoc est spatium. CORPVS ENIM, &c.] Communis sensus (inquit) per se, hoc est sine vlla alia ratione deliquat, id est declarat esse corpus. Communem autem sensum intellige hoc loco vel omnium animantium communem, vel sensum illum, qui est præter quinque sensus distinctos notissimos: qui de singulis rebus sub suis singulos sensus cadentibus communiter iudicat. Horat. sary. 3. lib. 1. *Communi sensu planè caret, inquinus, eheu, &c.* QVO NISI PRIMA FIDES, &c.] hoc in primis tuetur, & retinet mordicus Epicurus, sensus esse veros, neque vnquam fallere: & à sensibus omnium rerum cognitionem ac scientiam proficisci: quod item Peripatetici comprobant. Arist. βιβ. α. μετὰ τὰ φυσικὰ: Πάντες ἀνθρώποι τῶ εἶναι ὁρέγονται, σημεῖον δ' ἢ τῶν ἀεθίσεων ἀγάπησις, id est omnes homines sciendi cupiditate ducuntur: cui rei argumento est, quod ab omnibus maximè sensus diliguntur. Lucre. hoc eod. lib. *Nam contra sensus ab sensibus ipse repugnat, Et labefaciat eos, vnde omnia credita pendunt.* Idè eos vberius defendit lib. 4. ibi. *Cetera de genere hoc mirando multa videmus, &c.* CONFIRMARE ANIMI QVICQVAM] animi ratione, vñtatam Lucretio loquendi genus: id est intelligentia. secutus autem sum quattuor codices manuscriptos: in his Bertinianum & Memmian. LOCVS AC SPATIVM] χῶρον ἢ διάστημα. NEQVE OMNINO QVAQVAM] neque omnino per vllam regionem siue hanc, siue illam meare. secutus sum autem duorum librorum manuscriptorum, cum quibus Veneti antiquiores congruunt, scripturam. Nam ceteri habent omnino quoquam. *quoquam* autem aduerbium est per locum. ID QVOD IAM SVPERA] sic legendum: atque hanc scripturam agnoscit Priscianus lib. 14, & 28. confirmant quattuor libri manuscripti, Faërnei, Pethij, Berthinianus, Memm, Veneti antiq. Parisenses, Vicetini. *Superà* (inquit

Priscianus) *pro superà*. sic enim antiqui protulerunt, & maximè Cicero: *Toruni dra- co serpit subter, superaque retorquens sese.* Idem ibid. *Hunc superà duplices humeros affixa videtur Stella micans tali specie, taliqve nitore.*

Præterea nihil est, quod possis dicere ab omni Corpore seiunctum, secretumque esse ab inani, Quod quasi tertia sit rerum natura reperta. Nam quodcunque erit, esse aliquid debebit id ipsam Augmine vel grandi, vel paruo denique, dum sit. Cui si tactus erit quamuis leuis, exiguisque, Corporum augebit numerum, summamque sequetur: Sin intactile erit, nulla de parte quod vllam Rem prohibere queat per se transire meantem: Scilicet hoc id erit, vacuum quod inane vocamus.

QVOD POSSIS DICERE AB OMNI] sic omnes, quos quidem viderim, vulgati codices, & item duo manuscripti: duo tamen item manuscripti, *quod dicere possit ab omni*: ex qua scriptura suspicabatur M. Anton. Muretus legendum esse *quod dici possit ab omni*: quæ coniectura mihi non displicet. QVOD QVASA TERTIA SIT RER. NAT. REP.] quattuor libri manuscripti habent, *Quod quasi tertia sit numero natura reperta.* NAM QVODCVNQUE ERIT, ESSE ALIQVID, &c.] secutus sum librorum manuscriptorum, & Vicetinorum auctoritatem, qui ita habent, vt ego excudendum curavi, cuius scripturæ hæc mihi sententia videtur esse. In hoc vniuerso nihil est præter corpus & inane. Quid ita? quippe quicquid erit, vel erit ingenti mole, ac magnitudine præditum, vel paruum, & perexiguum, dummodo sit: quod quidem si tangi poterit, corpus erit: Sin tangi non poterit, erit inane. Sed libri typis excusi Parisenses, Veneti vtrique, Florentini, Lugdunenses, sic: *Nam quodcunque erit, esse aliud debebit, &c.* cuius scripturæ, si quis eam probabit, hæc sententia videtur esse. nihil est in vniuerso præter corpus & inane. Nam si quid erit præterea, id ipsum aliud erit, id est differet vel magnitudine, vel paruitate quâ- tulacunque, dummodo sit, id est dummodo id ipsum non sit ita paruum, vt iam amplius non sit. Quod quidem si tangi poterit, in corporibus numerabitur: sin autem tangi non poterit, erit inane. Ergo nihil est præter corpus & inane. CORPVRVM AVGEBIT NVMERVM] magna est hoc loco librorum typis excusorum varietas: Florentini sic habent, *Corporum augebit numerum*, planè mendose. Parisenses & Lugdunenses alteri, *Corporum adaugebit numerum*: nonnulli, quibuscum consentiunt quattuor libri manuscripti, *Corporis augebit numerum*. Vicetini & Lugdunenses alteri, *Corporum augebit numerum*: & ita Memmianus: quam scripturam veram, &

rectam esse iudicavi. Ex hac autem vera cetera vitiosa nata sunt, dum alij
offensi postrema syllaba vocis *corporū*, in quam, nō eliditur, vt neque olim
interdum elidebatur, ex ea faciunt *corporis*, alij ex verbo *augebit*, faciunt,
adaugebit. Veteres autem interdum è versu non elisisse litteram, m. apparet
ex versibus Ennij, & eiusdem Lucretij. Ennius lib. 10. *Annal. Insignita fe-*
rè tum milia militum oēto Duxit delectos bellum tolerare potentes. Lucret. lib. 2.
Nam quod fluuidum est, è latibus, atque rotundis Est. Idem lib. 3. *Sed dum abest*
quod auemus, id ex superare videtur Cetera. Idem lib. 4. in extr. *Excit enim sulci*
recta regione, viāque Vomerem, atque locis auertit seminis iētum. Horat. sat. 2. lib.
2. *num vesceris ista, Quam laudas pluma? cocto num adest honor idem?*

*Præterea per se quodcunque erit, aut faciet quid,
Aut aliis fungi debet agentibus ipsum,
Aut erit, vt possint in eo res esse, genique.
At facere & fungi sine corpore nulla potest res:
Nec præbere locum porro, nisi inane, vacansque.
Ergo præter inane, & corpora, tertia per se
Nulla potest rerum in numero natura relinqui,
Nec quæ sub sensus cadat vlllo tempore nostros,
Nec, ratione animi quam quisquam possit apisci.
Nam quæcunque cluent, aut his coniuncta duabus
Rebus ea inuenies: aut horum euenta videbis.
Coniunctum est id, quod nunquam sine perniciāli
Discidio potis est seiungi, sēque gregari:
Pondus vti saxis, calor ignibus, liquor aquā,
Tactus corporibus cunctis, intactus inani.
Seruitium contra, libertas, diuitiæque,
Paupertas, bellum, concordia, cetera, quorum
Aduentu manet incolumis natura, abituque:
Hæc soliti sumus, vt par est, euenta vocare.*

AVT ALIIS FUNGI DEB.] ordo verborum hic est: aut ipsum de-
bet fungi, id est pati, aliis agentibus. AVT ERIT, VT] id est aut erit
cuiusmodi, vt in eo res esse, & gigni possint. GENIQUE] id est gigni, vt
suprà diximus. NEC, RATIONE ANIMI QUAM] nec vlla tertia
natura est, quam quisquā *ratione animi*, id est intelligentia, *apisci*, id est com-
prehendere possit. verbo *apisci* vtitur & lib. 6. *Quippe etenim nullo cessabant*
tempore apisci, &c. ratione animi autem: id est, intelligentia, & cogitatione.

quod loquendi genus Lucretio vsitatum est. CLVENT] videntur, no-
minantur, sunt, aut dicuntur esse præter corpus & inane. HORVM
EVENTA] τῆτοις συμβεβηκότα, quæ vulgo accidentia appellant: quæ sic de-
finiuntur. συμβεβηκότα ὅτιν, ἢ γίνεται, ἢ ἀπογίγνεται χῶρις τῆς τοῦ σώματος φύσεως,
id est euenta sunt, quæ assunt, & absunt sine eius, quod eis subest, inte-
ritu. M. Tull. lib. 2. de nat. Deorum. *Epicurus ita diuidit omnium, quæ sint,*
naturam, esse corpora, & inane, quæque his accidant. CONIUNCTVM EST]
declarat, & definit, quæ dicat coniuncta. Sunt igitur ea coniuncta (inquit)
quæ rei alicui siue sit corpus, siue inane, ita adhaerescunt, vt sine eius inte-
ritu separari non possint, vt pondus coniunctum est saxi, neque ab iis se-
gregari vlllo modo potest salua saxorum natura. nam si pōdus saxo demas,
iam desinit esse saxum. DISCIDIO] sic cod. Vaticanus, quem secutus
sum. discidium autem à verbo discindo ductum est, vt excidium, seu exci-
dium ab excindo. PONDVS. VTI SAXIS, CALOR IGNIBV'
LIQVOR AQUA] sic restitui ex auctoritate codicis Bertiniani, & vul-
gatorum Vicerinorum, cum in ceteris vulgatis omnibus legatur *Pondus vti*
saxi, calor ignis. TACTVS CORPORIBVS] nam tactus sensus est ma-
xime omnium corporis proprias. INTACTVS] mira compositio, seu
iunctura. nam intactus contrarium quiddam est tactui, ἢ τὸ ἀσφῆς, quem-
admodum *incultus* apud Sallustium de bello Iugurt. cultui opponitur, &
apud omnes probatos auctores Latinitatis, *iniussus*, *iussui*, quanquam hoc
vix alibi præterquam in septimo casu reperitur, vt cum dicimus, *iniussu impe-*
ratoris de præsidio decedere, & apud Plaut. *Trinummo inconsultu meo.*

*Tempus item per se non est: sed rebus ab ipsis
Consequitur sensus, transactum quid sit in in æuo:
Tum quæ res instet: quid porro deinde sequatur:
Nec per se quenquam tempus sentire fatendum est
Semotum ab rerum motu, placidæque quiete.
Denique Tyndaridem raptam, belloque subactas
Troiu genas genteis cum dicunt esse, videndum est,
Ne forte hæc per se cogant nos, esse fateri,
Quando ea sæcla hominum, quorum hæc euenta fuerunt,
Inreuocabilis abstulerit iam præterita ætas.
Nanque aliud rebus, aliud regionibus ipsis
Euentum dici poterit, quodcunque erit actum.*

TEMPVS ITEM PER SE NON EST] Vult tempus esse dī ratio-
ne tantum, non re. Sed præstat vnā (sunt autem plures) rationem ascri-
bere, per quam possit negare aliquis esse tempus: quam refert Arist. lib. 4.
ἡυστικ. Οἱ πῶ μὲν οὐδὲ ὄλας ἢ ἐστὶν, ἢ μὴ γίγνεται, ἢ ἀμυδρῶς, ἢ τῶν δὲ πρὸς αὐτὸν ἄπο τῆς οὐσίας, τὸ μὴ

ἢ αὐτῆ γέγονε, ἢ οὐκ ἔστι: τὸ δ' ἄλλο, ἢ ἔπειτα ἔστιν. Ἐκ δὲ τῶν τούτων, ἢ ὁ ἀσπίρος, ἢ αἰεὶ λαμβανόμενος χρόνος συγκαταί: τὸ δ' ἐκ μὴδὲν τῶν συγκαίμων, ἀδυνάτου ἀν' ἀδύνατον κατέχειν ποτε ἔσθαι, &c. id est, Non esse igitur omnino tempus, aut vix, & obscure, ex his suspicari quispiam possit. Nam alia quidem eius pars præterit, & non est: alia futura est, & nondum est. Ex his autem & infinitum, & quod semper sumitur, tempus constat. At, quod constat ex partibus, quæ non sunt, fieri non posse videatur, ut essentiæ locum obtineat, &c. Idem eodem lib. tempus definit esse numerum motionis ex eo quod est prius, & posterius. Tempus igitur (inquit Lucretius) per se non est, sed ex rebus olim gestis, & præteritis, tempus præteritum cognoscimus: ex iis rebus, quæ hodie sunt, ac sunt, præsens: ex iis quæ sunt futuræ, & quas futuras suspicamur, aut divinamus, aut quas cogitamus, futurum. CONSEQUITVR] colligit, cognoscit, percipit. NEC PER SE QUENQVAM] iccirco eodem lib. Aristoteles ait tempus esse numerum eum, qui numerari potest, aut qui numeratur, non quo numeramus: id est ἀειδμὸν ἀειδμῶν, ἢ ἀειθμῶν, ἢ ἢ ἀειθμῶν. TYNDARIDEM] Helenam Tyndari filiam. Denique (inquit) cum dicunt vulgò Helenam olim raptam esse, & Troianos devictos esse: videndum est ne hæc cogant nos fateri tempus esse per se. quod est falsum. CVM DICUNT ESSE] secutus sum codicem Bertinianum, & Memm. manuscr. & Florentinos, & quosdam alios impressos. Nam ceteri manuscripti, & impressi habent, *ut dicunt esse*, planè, mea quidem sententia, mendosè. Suspiciatus sum autem aliquando ex hac codicum varietate legendum, *qui dicunt esse*: quod ne nunc quidem displicet. NE FORTE HÆC PER SE COGANT NOS ESSE FAT.] sic habent quatuor libri manuscripti sine vlla varietate. Excusi autem inter se dissentiunt: In aliis sic est. *Ne contra hæc per se cogant nos forte fateri*: in aliis hoc modo, *Ne contra hæc per se cogant nos esse fateri*. quam ego scripturam omnibus antepono, cum præsertim eam confirmet cod. Memmianus. In Paris. & Venetis antiquiorib. *Ne forte hæc per se cogant nos cuncta fateri*. QVANDO] quoniam. SÆCLA HOMINVM] genera hominum. NAMQVE ALIVD REBUS] sic legendum, non ut vulgò *aliud terris*. hoc enim significat quicquid actum est, euentum esse vel rebus, id est personis: vel regionibus. neque verò est quòd quenquam moueat syllaba *bus* brevis.

*Denique materies si rerum nulla fuisset,
Nec locus, ac spatium, res in quo quæque genuntur:
Nunquam Tyndaridis formæ conflatus amore
Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens
Clara accendisset seui certamina belli:
Nec clam durateus Troiæ Pergama partu
Inflammasset equus nocturno Graiugenarum:
Perspicere ut possis res gestas funditus omneis,*

Non

*Non ita vti corpus per se constare, neque esse:
Nec ratione cluere eadem, qua constat inane:
Sed magis ut meridè possis euenta vocare
Corporis atque loci, res in quo quæque genantur.
Corpora sunt porro partim primordia rerum:
Partim, concilio quæ constant principiorum.
Sed quæ sunt rerum primordia, nulla potest vis
Stringere: nam solido euincunt ea corpore demum.*

RES IN QVO QVAEQVE GENVNTVR] si vulgatam scripturam sequimur, ac probamus, intelligendæ sunt res bellicæ, laboriosæ ac præclaræ, quæ geri dicuntur ab imperatoribus, & regibus: vel *genuntur* accipiendum est pro aguntur: sin *genuntur* malum (quod ego quidem magis probo) referendum est ad res naturales, quæ in spatio, & inani gignuntur. quavis autem in omnibus libris *genuntur* scriptum reperi, & ex hac scriptura probabilem sententiam elici posse arbitror, *genuntur* tamen excudendum curavi. IGNI] æstus, cupiditas, libido quæ est instar ignis & flammæ. GLISCENS] gliscens sub Phrygio Paridis pectore. *gliscere* crescere est, & ita Festus, & Nonius Marcellus. Sallustius *gliscere vento*. Plaut. *gliscit prælium*. Virg. lib. 12. *Æneid. Haud secus accenso gliscit violentia Turno*. Cic. in Hortes. *gliscunt voluptates*. Lucret. lib. 4. *Inque dies gliscit furor, atque ærumna grauescit*. DVRATEVS] durateus seu durius equus, id est ligneus: cuius opifex fuit Epeus. Lege Hom. *ἰδυα. δ.* & Virg. lib. 2. *Æneid. Instar montis equum, &c. & 6. Cum fatalis equus, &c.* Festus. *Epeus nomen fabri, qui equum durateum fecit*. equum Troianum interdum appellant scriptores: & ita semper M. Tullius: equum Mineræ Horatius: quasi arte fabricatum, & ligneum. sed de hoc equo plura diximus in commentar. Horatianis ad illum locum. *Ille non inclusus equo Mineræ, &c.* od. 6. lib. 4. TROIAPERGAMA] sic reposui reclamantibus quidem omnibus exemplaribus antiquis, sed tamen certissima coniectura fretus. Nam primum vox *Troianis* non videtur huic loco convenire: deinde *Troiæ*, id est Troiæ pergamæ olet nescio quomodo antiquitatem. Sic enim Stefichorus, ἠδ' ἰκω πέργαμα τρώϊος. EADEM] σιωπῆσι fit in ea, duæque vocales, quarum altera brevis est, altera longa, pro vna syllaba habentur. CORPORIS ATQVE LOCI] sic habent quatuor libri manuscripti: quibuscum congruunt Parisenses, & Lugdunenses. alij *Corporum atque loci*. RES IN QVO QVAEQVE GENANTVR] quidam hoc loco legi volunt *gerantur*, ut est in vulgatis. ego *genantur* legi debere arbitror: pro gignantur. CORPORA SVNT PORRO] Corporum (inquit) alia sunt primordia rerum, nempe corpora indiuidua, simplicissima, & solidissima, id est ἄπειρα: alia quæ sunt ex atomis concreta, & conflata, ut arbor, saxum, aqua, terra, & cet. similia. Hac de re sic Laërt. in Epic. Ἦ σωμάτων τὰ μὲν ἔσσι συσπρίσις, τὰ δ' ἐξ ἄνδι συσπρί-

G

σείσ πειπλωται. STRINGERE] radere, lædere, vulnerare, Virg. lib. Æneid. 8. hunc primo leuis hasta Camilla Strinxerat. cod. Vatican. & Bertin. tamen habent *Stinguere*: id est extinguere: de quo verbo infra lib. 2. ad illum locum, *stinguique colorem*. NAM SOLIDO VINCVNT EA CORP. DEM.] sic omnes ferè libri vulgati, & tres manuscripti, nisi quòd quidam habent *euincunt*. & *damnum* non *demum*: in quibus est Memmianus.

*Et si difficile esse videtur credere quicquam
In rebus solido reperiri corpore posse.
Transit enim fulmen cæli per septa domorum:
Clamor ut, ac voces: ferrum candescit in igne:
Dissiliuntque fero feruentia saxa vapore:
Quin labefactatus rigor auri soluitur æstu:
Tum glacies æris flamma deuicta liquefcit:
Permanat calor argentum, penetralæque frigus,
Quando vtrunque, manu retinentes pocula ritè,
Sensimus infuso lympharum rore supernè.
Vsq; adeò in rebus solidi nihil esse videtur.
Sed quia vera tamen ratio, naturæque rerum
Cogit, ades, paucis dum versibus expediamus,
Esse ea, quæ solido, atque æterno corpore constant,
Semina quæ rerum, primordiâque esse docemus:
Vnde omnis rerum nunc constet summa creata.*

ETSI DIFF. ESSE VID. CREDERE QVICQ] sic habent quattuor lib. manuscr. Bertinian. Faërn. Tethian. Memm. & vulgati Florentini. Vaticanus autem, & vulgati Veneti vtrique, & Parisiens. & Vicet. & vtrique Lugd. *videtur fors ita quicquam*. quam scripturam si quis probabit, fors, accipiendum erit pro forsitan, vt particula *ita*, coniungatur cum voce solido. neque verò assentior iis qui forsita positum volunt pro forsitan. TRANSIT ENIM FVLV.] sic lib. 6. *Transit enim valide fulmen per septa domorum*. Cur autem hoc fiat, docebit lib. 2. ib. *Perfacilest iam animi ratione*, &c. CLAMOR UT, AC VOCES] sic legendum, & ita habet codices emendati. neque tamen reiicienda est scriptura alterorum Venetorum. *Clamor item, ac voces*. sic lib. 6. *Clamor ut, ac voces: transit per saxa, per æra*.

DISSILIUNTQVE FERO FERVENTIA S. V.] quattuor codices manuscripti habent *Dissiliuntque fero feruenti saxa vapore*: quæ scriptura si probabitur, duo erunt epitheta *διου δέπτος* posita: quod est vsitatum & Homero, & aliis poetis. Horat. sat. 3. lib. 1. *habere insuavis, acerbis*. Idem

alibi *Confidens, tumidus, adeò sermonis amari*, &c. Memmianus autè *Dissiliuntque fere feruentia saxa vapore*. QVIN LABEFACTATVS RIGOR] quin rigor, id est durities auri, æstu, id est calore, labefactatus soluitur. LABEFACTATVS] victus, vt lib. 4. *Omnia quòd contrita, quòd igni conlabefacta*. Virg. Æn. 8. *Intrauit calor, & labefacta per ossa cucurrit*. TVM GLACIES AERIS] sic restitui secutus quinque librorum manuscriptorù auctoritatem. neque verò dubium est, quin hæc sit recta, & vera scriptura: vulgata còtrà deprauata, & mendosa. Nam quid ineptius, quàm proposito exemplo vno de auro, deinde altero de argento, inculcare tertio loco exemplum de glacie? præsertim cum glacies non modò sine acriore flamma, verùm quauis flamma, & vel frigore remisso, vel solis tepore liquefcere soleat? Nunc autem quemadmodum paullo antè dixerat, *rigor auri*, sic hoc loco *glaciem æris* per translationem sermonis posuit. PENETRALEQVE FRIGVS] Virg. Georg. 1. *penetrabile frigus adurat*, & Æneid. lib. 10. *Aspice num mage sit nostrum penetrabile telum*. Lucret. hoc eod. lib. *Nec penetralem ignem*. VTRVNVQVE] calorem, & frigus. huius loci hæc sententia est. Calor & frigus per argentum permanent, quoniam nos poculum argenteum manu tenètes, aqua frigida, aut calida infusa, statim vtrunque sentire solemus. Adhibebant autem frigidam veteres, atque adeò niuem ad refrigerandum vinum: calidam, ad tepesciendum. Tam *vtrunque* legitur in quattuor codicibus manuscriptis, & item in Paris. vtrisque Venetis, Florent. Lugdun. sic lib. 6. *Frigus item transire per æs, calidumque vaporem Sentimus: sentimus item transire per aurum, atque per argentum, cum pocula plena tenemus*. LYMPHARVM RORE] aquis calidis, aut frigidis minutim & guttatim roris instar infusis: vel rorem lympharum translata dictum intellige. VSQVE ADEO] epiphonema, seu acclamatio. VERA RATIO] *ἀληθὴς λόγος*. ADES] animo. Cic. pro Milonc. *adeste animis indices, & timorem, si quem habetis, deponite*. Idem pro Sylla, *adestote animis, qui adestis corporibus*. admonendus est autem lector minus in litteris exercitatus, mendosè legi in quibusdam lib. vulgatis. *naturæque rerum Cognita de paucis*, cum sit legendum, ita vt habent manuscripti, *Cogit, ades, paucis, &c.*

*Principio quoniam duplex natura duarum
Dissimilis rerum longè constare reperta est,
Corporis atque loci, res in quo quæque genuntur:
Esse vtranque sibi per se, puramque necesse est.
Nam quacunque vacat spatium, quod inane vocamus:
Corpus eà non est: quòd porrò cunque tenet se
Corpus, eà vacuum nequaquam constat inane.
Sunt igitur solida, ac sine mani corpora prima.
Præter eà quoniam genitis in rebus inane est:
Materiam circum solidam constare necesse est:*

*Nec res vlla potest vera ratione probari
Corpore inane suo celare, atque intus habere,
Si non, quod cohibet, solidum constare relinquant.
Id porro nihil esse potest, nisi materiai
Concilium, quod inane queat tectum cohibere.
Materies igitur, solido quæ corpore constat,
Esse æterna potest, cum cetera dissoluantur.*

CORPORIS, ATQUE LOCI] sic habent libri manuscripti, & item Paris. Veneri antiq. Florent. Alij excusi, Veneri recentiores, Lugdun. Vicetini *Corporum, atque loci*, quæ lectio non est reiicienda, vt supra ostendimus. RES IN QVO QVÆQVE GENVNTVR] sic hoc loco sine dubio legendum, non *genuntur*. genuntur autem, id est gignuntur, vt supra diximus. ESSE VTRANQVE, &c.] quoniam duæ naturæ repectæ sunt multum inter se dissimiles, corpus & inane, in quo inani corpora prima moventur, & res quæque gignuntur, necesse est, hanc vtranque naturam esse per se meram, & puram: id est & corpora prima quæ dicimus esse principia rerum, esse inanis expertia: & contra inane esse incorporeum, & ab omni corpore vacuum. Sed dicit aliquis in inani feruntur, & moventur corpora prima: ergo non est vllum purum inane. respondeo ea ratione inane sua natura, & per se purum, ac merum intelligi, quod sedem, & locum, & viam præbent corporibus: Quod si aliter esset, id est si nullum esset inane per se, & à corporea natura separatum, corpora prima non haberent vbi consisterent, aut quâ mouerentur. quod autem corpora prima in inani, seu per inane moueantur, non ideo minus inane purum intelligi. nam eo ipso quod in inani corpora prima moventur, ipsius inanis natura pura declaratur. Hoc enim vacui, atque inanis proprium est, corporibus locum, & viam suppeditare, & corpora in se recipere, & corporibus cedere: contra corporum proprium est obstare, nullumque aliud corpus in se recipere. CORPVS EA NON EST] corpus ea quidem parte non est, qua parte est inane: sed tamen nihil vetat, quo minus per inane ferantur corpora prima: hæc igitur verba, *Corpus ea non est*, sic intellige, ea parte, qua parte est inane, non est corpus, nempe spectata ipsius inanis natura per se, & separatim, vt principio separato. Pergit autem & conatur ostendere hoc argumento Lucretius corpora prima esse simplicissima, & solidissima, vt pote inani carentia: quemadmodum inane alterum principium, mollissimū est: vt pote corporis omnis expertis: & corporibus omnibus cedens. SVNT IGITVR SOLIDA, &c.] Ergo (inquit) corpora prima, quæ sunt primordia rerum ab inani separata, eique planè aduersa, ab inani sunt plane vacua. SINE INANI] id est *ἀνεργα καὶ κενόν*, seu inanis expertia. PRÆTEREA] altera ratio per quam probat corpora prima esse inanis expertia. Res genitæ (inquit) habent in se inclusum inane: alio-

qui non interirēt, neque dissolueretur. Quod si ob id intereunt, quia in eis est inane, materiam igitur aliquam solidam, & inanis expertem constare necesse est, ne res omnes ad nihilum redigantur. NEC RES VLLA POTEST, &c.] id est nemo est, qui vera ratione probare possit, vllā rem suo corpore inane inclusum continere & celare, nisi id quod continet & celat ipsum inane, solidū esse fateatur. At hoc solidum nihil aliud esse potest, quàm primorum corporum congressus. QVOD COHIBET] id, quod continet ipsum inane in se inclusum. QVOD INANE QVEAT TECTVM COH.] secutus sum libros excusos Paris. Venet. recentiores, Florent. Lugdunenſis. Nam scripti omnes, quibuscum consentiunt Veneri antiq. & Vicet. habent, *quod inane queat rerum cohibere*. cuius scripturæ rationem exputare non possum. MATERIES IGITVR, &c.] id est corpora igitur prima æterna esse possunt, cum cetera nempe genita omnia intereant, aut dissoluantur. Sic Diogen. Laërt. *πάντα ἢ τὰ σώματα ἔστιν ἄτομα, ἢ ἀμετέσλητα, εἴτε μὴ μάλλιν πάντα εἰς τὸ μὴ ὄν φθαρσιεῖσθαι*. id est hæc autem corpora sunt indiuidua, & immutabilia, nisi velimus omnia in id quod nō est, interire. CVM CETERA DISSOLVANTVR] vel dicendum est versum esse spondiacum, vel fieri *δαίρεσιν*, hoc modo *dissoluantur*.

*Tum porro si nil esset, quod inane vacaret:
Omne foret solidum: nisi contra corpora cæca
Essent, quæ loca complerent, quæcunque tenerent:
Omne, quod est, spatium vacuum constaret inane.
Alternis igitur nimirum corpus inani
Distinctū est: quoniam nec plenum nauiter extat:
Nec porro vacuum. sunt ergo corpora cæca:
Quæ spatium pleno possint distinguere inane.
Hæc neque dissolui plagis extrinsecus icæta
Possunt: nec porro penitus penetrata retexi:
Nec ratione queunt alia tentata labare:
Id quod iam super à tibi paullo ostendimus antè.
Nam neque conlidi sine inani posse videtur
Quicquam, nec frangi, nec findi in bina secando:
Nec capere humorem, neque item manabile frigus,
Nec penetrabilem ignem, quibus omnia conficiuntur:
Et quàm quæque magis cohibet res intus inane,
Tam magis his rebus penitus tentata labascit.
Ergo si solida, ac sine inani corpora prima*

Sunt, ita vti docui, sint hac aeterna neceſſe ſt.

[CAECA] id eſt ſub aſpectum non cadentia, & oculorum obtutum effu-
gientia, ἀόρατα. codex Vaticanus tamen, & Bertin. & Memm. habent, cor-
pora certa: quam lectionem equidem non damno. QVAE LOCA COM-
PLERENT] quæ complerent ſpatia, ſeu διαſτάματα à ſe occupata, & poſ-
ſeſſa. OMNE QVOD EST, SP. VAC. CONST.] parum admodum
refert, VERO modo diſtinguas, hoc ne modo, omne quod eſt, ſpatium vac.
conſt. inane: an illo, Omne, quod eſt ſpatium vacuum, &c. ego tamen prio-
re modo malo. ALTERNIS] alternatim. QVONIAM NEC PL. N.]
quoniam nec plenum eſt duntaxat in natura rerum, nec inane. NAVI-
TER] prorsus, ἀπρόβουτος. ſed ne quis erret, non dicit Lucretius, id quod eſt
plenum, id eſt corpus ſolidiſſimum, & ἀτομον, nõ eſſe nauiter plenum. nam
contrà ſuprà probatum eſt, & id quod eſt corpus, ſeu plenum, eſſe ſine ina-
ni, & merum corpus: & inane, eſſe merum inane, ac ſine corpore: ſed do-
cet hoc vniuerſum neque eſſe prorsus plenum, & corpus merum, nec vi-
ciſſim prorsus inane; ſed corpore, & inani diſtinctum. HAEC NEQVE
DISSOLVI, &c.] res omnes genitæ diſſoluuntur atque intereunt, vel
iniuria externa, & iſtibus extrinſecus inſiſtis, vel interno aliquo vitio:
Corpora prima autem (inquit Lucretius) neutro modo diſſolui, aut labefa-
ctari, aut perfringi poſſunt, neque vlllo alio modo. RETEXI] ἀναλόμενός,
reſolui. TENTATA] ſic dicimus Latinè morbo tentari, idem lib. 6. Attide
tentantur gressus, oculique in Achaïs Finibus. Idem hoc eod. lib. Quæ nondum
elueant vlllo tentata periculo. Horat. epist. 6. lib. 1. Si latus aut renes morbo tentantur
acuto. ID QVOD IAM SVPERA] id eſt ſuprà. ſic autem habent quat-
tuor libri manuſcripti, quibuſcum conſentiunt Pariſienſes. CAPERE]
ἀρχειν, recipere. MANABILE FRIGVS] quod Virg. dixit, penetrabile:
id eſt quod facile in parteis intimas penetrat. NEC PENETR. IGN.]
id eſt qui in res omneis, quibuſcumque adhæſerit, ſeſe citò inſinuat.

ET QVAM QVAE QVE MAGIS] ſic eſt legendum reclamanti-
bus omnibus exemplaribus, & libr. vulgatis. Sic enim loquuntur Latini:
quo magis, hoc, vel eo magis: quanto magis, tanto magis, vel tam magis: tam magis,
quàm magis, ſeu tanto magis. Itaque cum hoc loco ita ſcriptum eſſet: Et quo
queque magis, &c. Tam magis &c. ego & ab aliis locis admonitus, & con-
ſuetudinis Latinorum memor, ſcripturam vulgatam emendaui. Lucret.
lib. 2. nam quàm magis merſimus altè Directa, &c. Tam cupidè ſuſſum remouet
magis. Idem lib. 4. Et quanto plus aëris antè agitatur, Et noſtros oculos perterget
longior aura, Tam procul eſſe magis res quæque remota videtur. Licet & alia ex hoc
ſcriptore exempla colligere. ſic Virg. Æneid. 7. Tam magis illa fremens, Et
trifſibus effera flammis, Quàm magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugna. quæ Virgi-
lij locum Quintilianus ait eſſe ex illo verſum. Quàm magis ærumna viget,
tam magis ad maleficiendum viget. Idem Virg. lib. 3. Georg. Quàm magis exhau-
ſto ſpumauerit vberè mulctra, Lata magis: quo in proximo exemplo ſubintel-
ligitur, tam, Terent. Adelph. Niſi quia quàm miſere hoc cupio eſſe verum, tam
vereor magis. Plaut. Bacch. quàm magis id repeto, tam magis voror.

*Præterea, niſi materies aeterna fuiſſet,
Antehac ad nihilum penitus res quæque rediſſent,
De nihiloque renata forent, quæcunque videmus.
At quoniam ſuprà docui nil poſſe creari
De nihilo, neque quod genitū ſt. ad nil reuocari:
Eſſe immortalia primordia corpore debent,
Diſſolui quò quæque ſupremo tempore poſſint,
Materies vt ſuppeditet rebus reparandis.
Sunt igitur ſolida primordia ſimplicitate,
Nec ratione queunt alia ſeruata per æuum
Ex infinito iam tempore res reparare.*

[DE NIHILOQVE RENATA] ſic reſtitui à codicibus manuſcr. ad
hanc ſcripturam quaſi manu ductus: in quibus ſcriptum eſt partim *De nubi-
loquerata*, partim *que vanta*, partim *que nata*. ex qua poſtrema ſcriptura alij
fecerunt, *de nihilo quaſita*, vt habent omnes ferè vulgati codices: alij *de nubi-
lo quoque nata*: quæ tamen probabilis lectio eſt. Sunt & qui legunt, *De nubi-
loque parata forent*. ſed ita legendum eſſe, vt excudendum curauì, euincit lo-
cus ſimilis infrà eod. lib. *de nihiloque renata viveſcat copia rerum*. DISSOL-
VI QV] id eſt in quæ primordia res quæque genitæ ſui interitus tempo-
re diſſolui queant. SVPREMO] vltimo. Horat. epist. ad Torq. *Supremo te
ſole domi Torquate manebo*. Idem ad Alb. Tib. *Omnem crede diem tibi diluxiſſe
ſupremum*. SVPPEDITET] ſuppeditat, ſatis ſit, ἐπιπράττω: vel parata ſit. nam
ſuppeditet hoc loco abſolutè accipiendum eſt, vt ſæpe alibi. SVNT IGI-
TVR SOLIDA] concludit hunc locum hoc modo. Conſtant igitur cor-
pora prima ſolida ſimplicitate, id eſt ſunt ſolidiſſima, & ſimpliciſſima: at-
que ita ſunt aeterna. quòd ſi non eſſent ſolidiſſima, interirent tandem, ne-
que aeterna eſſent. Si corpora prima interirent: vel non haberent res, vnde
reficerentur, vel ex nihilo reficerentur: quod fieri non poſſe probatum eſt.

*Denique ſi nullam finem natura paraffet
Frangendis rebus: iam corpora materiæ
Vſque redacta forent, æuo frangente priore,
Vt nihil ex illis à certo tempore poſſet
Conceptum, ſummum ætatis peruadere florem.
Nam quiduis citius diſſolui poſſe videmus,
Quàm ruruſus refici: quapropter, longa diei
Inſinitæ ætas anteaacti temporis omnis.*

Quod fregisset adhuc disturbans, dissoluensque,
 Id nunquam reliquo reparari tempore posset.
 At nunc nimirum frangendi reddita finis
 Certa manet, quoniam refici rem quanque videmus,
 Et finita simul generatim tempora rebus
 Stare, quibus possint æui contingere florem.

DENIQUE SI NULLAM FINEM] Scio hos quattuordecim versus, qui deinceps ab hoc numerati sequuntur, in codicibus vulgaris ordine conuerso infra versum, cuius principium est, *Innumerabilibus plagis, &c.* collocari. Ego tamen, quem ordinem in quinque codicibus manuscriptis, & in Venetis antiquis, in Parisi. in Vicetinis reperi, seruaui. NULLAM FINEM] sic habent libri manuscripti. sententia autem huius loci hæc est: si non essent aliqua corpora solidissima, quæ nunquam vlla vi frangerentur, & si non esset tum rerum frangendarum finis, cum ad ea corpora peruentum esset: iam corpora prima, id est primordia rerum ita ab nihilum essent redacta, vt nihil ex illis conceptum, & concretum ad iustam magnitudinem peruenire posset, &c. PERVADERE FLOREM] quidam libri manuscripti, & nonnulli typis excusi habent, *peruadere finem*. ego tamen, *florem* probo. sic enim sæpe alibi, vt inf. *statim quibus possint æui contingere florem.* & lib. 3. *cupitum ætatis tangere florem.* & 5. *Nec potuere cupitum ætatis tangere florem.* florem autem, id est *ἀκμῆν*, iustum & perfectum vigorem: ANTEACTI TEMPORIS OMNIS] sic habent libri manuscripti. AT NUNC NIMIRUM] concludit certum finem esse rerum frangendarum, ad quem cum peruentum fuerit, tum res frangi desinant. Ex quo efficitur, vt sint quædam corpora minima, & solidissima, inanis expertia, quæ nunquam frangi possint: ex quibus res quæque & reficiuntur, & ad ætatis florem, iustamque magnitudinem perueniunt. CONTINGERE] consequi, adipisci.

Huc accedit, vti, solidissima materiam
 Corpora cum constant, possint tamen omnia reddi
 Mollia, quæ fiunt aer, aqua, terra, vapores,
 Quo pacto fiunt, & qua vi cunque genantur:
 Admixtum quoniam simul est in rebus inane.
 At contra: si mollia sint primordia rerum,
 Unde queant validi silices, ferrumque creari,
 Non poterit ratio reddi. nam funditus omnis
 Principio fundamenti natura carebit.
 Sunt igitur solida pollentia simplicitate,

Quorum

Quorum condense magis omnia conciliatu
 Arctari possunt, validasque ostendere vires.
 Denique iam quoniam generatim reddita finis
 Crescendi rebus constat, vitamque tuendi,
 Et quid quæque queant per fœdera naturæ,
 Quid porro nequeant, sancitum quandoquidem extat:
 Nec commutatur quicquam, quando omnia constant:
 Usque adeo, variæ volucres vt in ordine cunctæ
 Ostendant maculas generaleis corpora inesse:
 Immutabile materia quoque corpus habere
 Debent nimirum. nam si primordia rerum
 Commutari aliqua possent ratione reuicta:
 Incertum quoque iam constet, quid possit oriri,
 Quid nequeat: finita potestas denique cuique
 Qua nam sit ratione, atque altè terminus hærens:
 Nec toties possent generatim seclæ referre
 Naturam, motus, victum, morésque parentum.

HVC ACCEDIT] alia ratione probat primordia rerum solidissima esse oportere, nempe quod quauis sint talia, possint tamen in concilio, & congressu, id est in rebus gignendis, effici mollia, inanis interuentu, vt ita ex iis fiat aer, aqua, vapores, & similia. at si essent sua natura mollia, non possent ex iis fieri silices, ferrum, adamas, & similia. CVM CONSTANT] sic legendum, & ita scriptum est in quattuor libris manuscriptis: quibuscum faciunt aliquot typis impressi, vt Parisiens. Veneti antiq. Vicetini. quod annotaui, ne quis semidoctus puter reponendum cum constant. illo enim modo potius loquebantur antiqui. QVO PACTO FIANTE, &c.] temetis. quocumque modo fiant, & quacumque vi gignantur illa, nempe aer, aqua, terra, vapores: proinde quasi dicat, non est enim huius loci docere quomodo ex primordiis solidissimis fiant aer, aqua, & cetera mollia. mendosè in aliis libris legitur, *qua vi quæque genantur*: legendum enim *qua vi cunque genantur*. VNDE QUEANT VALIDI] hunc versum producit testem Nonius Marcell. in voce *silix*. NAM FVNDITVS OMNIS PRINCIPIO FVNDAM.] fundamentum cuiusque rei debet esse firmissimum, ac solidissimum: at si principia rerum essent mollia, fundamentum rerum naturalium esset infirmum, imbecillum, fragile, & caducum. DENIQUE IAM QVONIAM] in duobus cod. manuscr. & in aliquot excusis etiam hoc loco, ordine mutato, deinceps sequebatur hic versus, cum aliis sex, *Porro si nulla sit frangendi redd. fin.* ego secutus sum plerosque typis

H

excusos. neque tamen meum esse puto hunc vel illum ordinem probare, aut improbare. **NEC COMMUTATUR. QVICQVAM]** & quando nulla res genita suam nascendi conditionem mutat, aut à suo naturali ordine discedit, immo verò cōstantissime legem à natura descriptam, ratumque ordinem seruat, vsque aded, vt corui nigri ex coruis nascantur, & cycni ex cycnis candidi gignantur: nimirum dicendum etiam est prima corpora, ex quibus cetera constant, & quidem multò magis, esse immutabilia.

CONSTANT] suam naturam, suumque ordinem seruant, vsque aded vt varia volucres, &c. **OSTENDANT]** sic habent libri manuscr. nam vulgati habent *ostendunt*, mendose. **MACVLAS GENERALES]** id est sui cuiusque generis proprias. quidam legi volunt *genitales*, id est à natura in fitas, atque à primo statim ortu tributas: non probo. **CORPORI INESSE]** aliàs *corpore inesse*, id est in corpore esse. **REVICTA]** id est vicissim victa, & superata. sic restitui secutus libros manuscriptos, & nonnullos typis excusos, in his Paris. Venet. antiq. Vicetina. **ATQVE ALTE TERMINVS HAERENS]** id est terminus firmus, ac stabilis, & qui nullis viribus conuelli potest. hic versus, & superior suprà positi sunt non longè à principio. **SAECLA]** id est animantium genera.

*Tum porro, quoniam extremum cuiusque cacumen
Corporis est aliquod, nostri quod cernere sensus
Iam nequeunt: id nimirum sine partibus extat:
Et minima constat natura: nec fuit vnquam
Per se secretum: neque posthac esse valebit:
Alterius quoniam est ipsum pars: primaque & ima,
Inde alia, atque alia similes ex ordine partes,
Agmine condenso naturam corporis explent.
Quae quoniam per se nequeunt constare: necesse est
Haerere, vt nequeant vlla ratione reuelli.
Sunt igitur solida primordia simplicitate:
Quae minimis stipata cohaerent partibus arctè,
Non ex vllorum conuentu conciliata,
Sed magis aeterna pollentia simplicitate:
Vnde neque auelli quicquam, neque deminui iam
Concedit natura reseruans semina rebus.*

TVM PORRO QVONIAM EXTR. CVIVSQVE, &c.] hoc dicit. quoniam vsque ad eum apicem, seu ad id pūctum, & cacumen quoduis corpus minui potest, vt id iam cernere nequeamus: nimirum id cacu-

men, quod iam sub aspectum non cadit, partibus caret, & minimum est, id est non potest esse minus, quàm est. Verùm vt totum hūc locum vsque ad versum, *Quapropter qui materiam, &c.* facilius consequamur, sciendū est Peripatericos & Epicureos cum in aliis multis, quae ad hanc disputationem non pertinent, tum in his maximè inter se dissidere: primùm quod illi volunt omne corpus in parteis infinitas secari posse, neque vllas corporis parteis vsque aded paruas esse posse, vt non possint fieri minores: id est infinitum quidem nihil esse re, & vsu, seu functione, & (vt vulgò loquimur) actu: sed *τῆ δυνάμει*, id est potestate: quod item sensit Empedocles: Epicurus autem contrà cuiusque corporis censet minimas esse parteis, id est eiusmodi, quibus nullae possint esse minores, ad quas cum deuerum sit, diuisioni nullus iam amplius sit relictus locus: deinde quod illi negant inane, vt & Empedocles, & tamen motum recipiunt: Epicurus autem & inane ponit, ac mordicus retinet, & sine inani motum esse non posse contendit. horum duorum versus scripturam vulgatam paullum immutavi partim veterum codicum auctoritate fretus, partim coniectura ductus: quam adiuuat locus, qui sequitur infra ibi, *Cum videamus id extremum cuiusque cacumen esse, quod ad sensus nostros minimum esse videtur.* **NEC FUIT VNQVAM PER SE SECR.]** id est neque id corporis cacumen, quod iam oculi nostri cernere nequeunt, fuit vnquam à suo toto secretum, aut per se, neque posthac esse poterit: quoniam ipsum, alterius pars est. **ALTERIVS QVONIAM EST IPSVM PARS:]** secutus sum cod. Bertin. & Memm. & quosdam typis excusos. **PRIMAQVE ET IMA]** id est & prima, atque vltima, deinde alia, atque alia partes corpus constituunt. **NECESSE EST HAERERE, VT NEQVEANT VLLA]** sic restitui primùm iniecta mihi mendii suspitione ex veterum codicū scriptura, quae est, *unde queant vlla*: deinde coniectura auguratus ita esse legendum, vt ego excudendum curavi, cum praesertim hanc scripturam ad oram codicis Memm. annotatam reperissem. sententia autem verborum apertissima est. necesse est (inquit) ita haerere, vt nequeant, &c. **QVAE MINIMIS STIP.]** atqui statim negabit prima corpora vllis partibus esse predata. Et certè si partibus constant: ergo possunt diuidi. respondet ipse huic obiectioni versu proximo. **NON EX VLLORVM]** est *διόρθωσις*, seu *ἐπιθεσις πρῶσις* per quam declarat, quod superiore versu dixerat, proinde ac si ita dicat: sed ne erres, audi quo pacto sit hoc intelligendum, quod dixi prima corpora minimis partibus stipata arctè cohaerere. non enim hoc sentio prima corpora ex vllarum rerum cœtu, atque congressu esse concreta, cum sint simplicissima: sed hoc significare volui, ea esse solidissima, & ita compacta, & stipata, vt neque frangi, neque dissolui vllò modo possint. **SED MAGIS]** *ἀλλὰ μάλλον*, sed potius. **NEQVE DEMINVI IAM]** sic cod. Bertin. & Memm. & Veneti antiq. quos secutus sum. atque ita legendum.

*Præterea nisi erit minimum: parvissima quaeque
Corpora constabunt ex partibus infinitis.*

*Quippe ubi dimidiæ partis pars semper habebit
 Dimidiam partem: nec res perfiniet vlla.
 Ergo rerum inter summam, minimamque quid esset?
 Non erit, vt distent. nam quamuis funditus omnis
 Summa sit infinita: tamen, parvissima quæ sunt,
 Ex infinitis constabunt partibus æquæ.
 Cui quoniam ratio reclamationem negatque
 Credere posse animum: victus fateare necesse est:
 Esse ea, quæ nullis iam prædita partibus extant,
 Et minima constant natura: quæ quoniam sunt,
 Illa quoque esse tibi solida, atque æterna fatendum.
 Denique ni minimas in partibus cuncta resolui
 Cogere consuesset rerum natura creatrix,
 Iam nihil ex illis eadem reparare valeret,
 Propterea, quia quæ multis sunt partibus aucta,
 Non possunt ea, quæ debet genitalis habere
 Materies, varios connexus, pondera, plagas,
 Concurfus, motus, per quæ res quæque genuntur.
 Porro si nulla est frangendis reddita finis
 Corporibus, tamen ex æterno tempore quedam
 Nunc etiam superare necesse est corpora rebus:
 Quæ nondum clueant vllò tentata periclo.
 At quoniam fragili natura prædita constant,
 Discrepat æternum tempus potuisse manere
 Innumerabilibus plagis vexata per ævum.*

MINIMUM] id est aliquid quo aliud minus esse non possit. QUIPPE
 VBI] id est quippe cum, seu quippe quia. NEQUE RES PRAEFINIET
 VLLA] duo libri manuscripti habent perfiniet. ERGO RERUM IN-
 TER SVM. MIN. QUID ESSET?] secutus sum lectionem vulgatam,
 cuius hanc sententiam esse puto, Ergo quid interesset inter summam re-
 rum, & minimam? nihil scilicet. Sed lib. manuscripti aliquot habent, *mini-
 mamque quid esset?* de qua scriptura iudicet lector ingeniosus. Memmian.
 quod esset. quæ mihi æquæ obscura est. NON ERIT, VT DISTENT]
 ἐκ τῆς ὁμοίας διαφέρειαι, id est nõ poterit fieri, vt summa & minima res distent:
 non distabunt. nisi (inquit) erit aliquid minimum, nihil intererit inter rem.

summam, & minimam. nam ratione eorum, qui quoduis corpus infinite
 diuidi posse volunt, etiam res minima æquæ vt res maxima in partibus infi-
 nitatis diuidetur, & æquæ ex partibus infinitis constabit. CUI QUO-
 NIAM RATIO] in vno cod. manu exarato reperi scriptum *Quo quoniam*
 non sine litura. nam audaculus aliquis ex voce *Quo* conatus erat facere
Quod, ita tamen vt adhuc appareant rectæ & veræ scripturæ impressa ve-
 stigia. NEGATQUE CREDERE POSSE ANIMUM: VICTUS,
 &c.] cum in quattuor codicibus calamo exaratis reperissem scriptum *ne-
 gâtque*, consentientibus quibusdam excusis, & item in manuscriptis *animum*,
 non vt in vulgatis, *animi*, ego sic restitui, existimans hanc esse veram, &
 germanam scripturam. Quod si quis mutata distinctione, legi malet: *negâtque
 Credere posse, animi victus fateare necesse est*, &c. non repugnabo. *animi victus*
 autem ita dictum intelligitur, vt *falsus animi, æger animi, excruciatu animi,
 saucius animi*, & similia. Cui (inquit) quia vera ratio reclamationem, & quia ne-
 gat se credere posse: necesse est, vt tu animi, seu animo victus fateare esse
 corpora quædam, quæ nullis partibus constant: vel vt nos excudendum
 curauimus: Cui quia vera ratio reclamationem, negâtque animum credere posse,
 necesse est vt tu victus &c. DENIQUE IN MINIMAS] nisi (inquit
 Lucret.) natura res omnes creatas in partibus minimas (minimas autem par-
 tibus appellat eas, quibus aliæ non possunt esse minores, & ad quas cum per-
 uentum est, res diuidi posse desinunt) diuidi ac resolui cogeret: nihil ex illis
 partibus reparare posset. ratio est in promptu. nã si res creatæ in partibus infi-
 nitatis secari possent, quælibet harum partium rursus cõstaret ex partibus infi-
 nitatis. at quæ multis partibus constant, nõ possunt eas res habere, quas mate-
 ries habere debet, plagas, pondera, connexus &c. ni minimas autem resolui,
 hanc scripturam sententia ipsa postulante. Nam Epicurus, & eum secutus
 Lucretius volunt aliquid esse in rebus minimis. Itaque infra paucis post pa-
 ginis, veteres philosophos reprehendit Lucretius, primum quod motum
 constituent exempto inani: deinde quod faciant non esse finem rebus se-
 candis, neque esse quicquã in rebus minimum. PROPTEREA QVIA,
 QUAE VLTIS SVNT PARTIBVS] sic legendum est reclamanti-
 bus omnibus exemplaribus. hoc enim significat Lucretius: omnia in mi-
 nimas partibus resolui solent natura, non in infinitas: hæ autem partes mi-
 nimæ, sunt corpora prima, & primordia rerum, quæ in nullas iam amplius
 partibus secari possunt. huiusmodi autem corpora ad res gignendas sunt
 aptissima. quod cõtra si essent multis partibus aucta, & si in multas partibus
 secari possent: ea quæ materies genitalis habere debet, habere nullo modo
 possent, videlicet varios connexus, pondera, plagas, &c. GENUNTUR]
 id est gignuntur, vt sæpe aliàs. PORRO SI NVLLA EST] quod est
 falsum Epicureorum sententia. sed Peripatetici volunt esse verum. Scien-
 dum est autem, hæc duo, nullam esse finem rebus frangendis, & res in mi-
 nimas partibus non resolui, vnum esse. nam si res non resoluuntur in mi-
 nimas partibus: ergo nihil erit minimum. si nihil erit minimum: ergo erit ali-
 quid minimo minus: ex quo consequetur, vt res omnes in partibus infinitas
 diuidi possint. QUAE DAM] sic legendum, non *quæque*, nec *quæquam*: quæ-

duæ scripturæ vitiosæ natæ sunt fortasse ex illa deprauata *quaquam*: quæ reperitur in duobus manuscriptis. deprauata est autem ex recta *quædam*, cum à librario d littera esset inuerfa. Sed huius loci sententiam explicemus. Demus (inquit) nullum esse rerum frangendarum finem, quod tamen est falsum; verum tamen demus. Certè nihilo minus necesse est aliqua corpora superare, id est superesse, & *αειγινεσθαι* rebus gignēdis, quæ corpora nullo periculo fuerint tentata. alioqui consumta materia, & rebus ætate confectis, & corruptis, vel nihil renasceret, vel res ex nihilo reficerentur. quod est *ἠδύατον*. AT QVONIAM] argumentum est à repugnantibus. Si quis dicat corpora prima esse fragili natura prædita, negètque esse solidissima, hæc pugnant inter se, & illa esse fragilia, & eadem ab æterno tempore ad hunc diem integra, & salua remanere potuisse, cum assiduis ictibus fuerint verberata, ac vexata. atqui salua, & incolumia remanserunt: alioqui res ex nihilo reficerentur. ergo corpora prima sunt solidissima, neque fragili natura prædita. Est igitur in rebus aliquid minimum: & frangendarum rerum modus & finis est aliquis.

*Quapropter, qui materiem rerum esse putarunt
+ Ignem, atque ex igni summam consistere solo:
Magnopere à vera lapsi ratione videntur.
Heraclitus inquit quorum dux proelia primus,
Clarus ob obscuram linguam magis inter inaneis,
Quamde grauis Graios inter, qui vera requirunt.
Omnia enim stolidi magis admirantur, amantque,
Inuersis quæ sub verbis latitantia cernunt,
Veræque constituunt, quæ bellè tangere possunt
Aureis, & lepido quæ sunt fucata sonore.
Nam cur tam variæ res possent esse, requiro,
Ex vero si sunt igni, puroque creatæ.
Nil prodesset enim calidum denserier ignem,
Nec rarefieri, si partes ignis eandem
Naturam, quam totus habet suus ignis, haberent.
Acrior ardor enim conductis partibus esset,
Languidor porro disiectis, disque supatis.
Amplius hoc fieri nihil est, quod posse rearis
Talibus in causis: nedum variantia rerum
Tanta queat densis, rarisque ex ignibus esse.*

QVAPROPTER QVI] Nunc aliquot suis rationibus, quæ principiorum instar sunt, confirmatis, ac stabilitis, incipit aliorum, eorumque clariorum philosophorum opiniones refellere, ac labefactare: atque ab Heraclito initium facit: qui dicebat (vt scribit Laërtius) πάντα ἐκ πυρὸς σωεσθαι, ἢ ἐκ τοῦ ἀναλυέσθαι: τὰ πάντα ἀεθλιώσεται, ἢ πυκνώσεται γινόμενα, ἔστιν τὰ πολλὰ ποταμὸς δὴ ἕλκω: πυκνόμενον τὸ πῦρ ἐξυγχαίνεσθαι, ἢ ἀέρος γίνεσθαι: σωματώδηον ἀέρος γίνεσθαι ὕδωρ: πυκνόμενον τὸ ὕδωρ εἰς γῆν βέβηκεν, ἢ πᾶσι τῶν ὄντων ἐπὶ τὸ κρῖνον εἶναι. πάλιν τὴν αὐτῆν γῆν γῆν γίνεσθαι, ἢ ἐξ ἧς τὸ ὕδωρ γίνεσθαι: ἐκ δὲ τῆς γῆς τὰ λοιπὰ ὁμοίως, &c. αὐτῆ δ' ἔστιν ἄνω ὄδου, id est omnia ex igni constare, & in ignem resolui. Cum autem omnia rarefactione, & condensatione fiant, fluere magna ex parte fluminis instar: Ignem cū densatur, humescere, & ita aërem fieri: aërem cum cogitur, & congregatur, aquam fieri: aquam concretam in terrâ verti: atque hæc esse viam ad locum infimum. contra terram ipsam fundi: ex qua fieri aquam: ex aqua autem reliqua similiter: &c. hæc autem via est ad supremum locum. De eodem sic Vitru. lib. 2. cap. 2. *Heraclitus Ephesius, qui propter obscuritatem scriptorum à Grecis σκοτεινός* est appellatus, ignem principium rerum posuit. eadem ferè sunt apud Plutarch. de Heraclito lib. 1. *ἑρῶ τῶν ἀρεσκ.* quem locum mox testem producemus. CLARVS OB OBSCVRAM] ex quo dictus est σκοτεινός, vt testatur Vitruuius, & item M. Tull. lib. 2. de Finibus his verbis. *Epicurus ita loquitur, vt non intelligatur. quod duobus modis sine reprehensione fieri potest: si aut de industria facias, vt Heraclitus, cognomento σκοτεινός: aut cum rerum obscuritas, non verborum facit, vt nō intelligatur oratio.* Idem lib. 3. *Sed omnia vestri Balbe solent ad igneam vim referre, Heraclitum, vt opinor, sequentes: quem ipsum non omnes interpretantur vno modo. qui quoniam quid diceret, intelligi noluit, omitamus.* QVAM DE GRAVIS GRAIOS INTER] secutus sum quinque librorum manuscriptorum auctoritatem: quibuscum consentiunt nonnulli typis excusi. Denique hanc scripturam agnoscit Pompeius Fest. his verbis. *Quamde pro quam vsos esse antiquos cum multi veteres testimonio sunt, tum Linius in primo. Iupiter vt muro frictus magis, quamde manu stat. & secundo: Quamde tuas omneis legiones, ac populares: Et Lucret. lib. 1. Clarus ob obscuram linguam magis inter inaneis, Quamde grauis inter Graios, &c.* Iam in secunda sede iambus est pro spondeo, si legamus, vt Pompeius Festus. INVERSIS QVAE SVB VERBIS] verba inuerfa, verba immutata: id est ab ea re, in qua propriè locum habent, ad aliam translata. Cic. Partit. *genus loquendi alterum sua sponte fufum: alterum versum, atque mutatum.* Idem in Bruto huiusmodi verborū immutationes *περὶ πους* ait à Grecis appellari. alij per inuerfa verba significati putant, verba præposterè pronuntiata, vt *vola, lauo.* Terent. *Heaut. inuersa verba tua, ceruices euerfas tuas.* ET LEPIDO QVAE SVNT FVC. SON.] translatio ab oculorum sensu, ad auditum. *Fucata enim oculis cernuntur: soni auditu sentiuntur.* Virg. *Georg. 4. Milesia velleræ Nymphæ carpibāt byali saturo fucata colore.* NIL PRODESSET ENIM] hæc est huius argumenti vis, dicit Heraclitus ignem esse principium rerum: hanc autem varietatem rerum ex condensatione & rarefactione existere. id fieri non potest, (inquit Lucret.) nam ignis condensatus, ac rarefactus vel desinit ignis esse, vel ignis naturam retinet. si ignis esse

par interdum. vt lib. 1. *Olli subridens hominum sator atque deorum*, & M. Tull. libris de Legibus.

*Nunc igitur, quoniam certissima corpora quaedam
Sunt, quae conseruant naturam semper eandem:
Quorum abitu aut aditu, mutatoque ordine, mutant
Naturam res, & conuertunt corpora a sese:
Scire licet non esse hanc ignea corpora rerum.
Nil referret enim quaedam decedere, abire,
Atque alia attribui, mutarique ordine quaedam:
Si tamen ardoris naturam cuncta tenerent.
Ignis enim foret omnimodus, quodcunque crearet.
Verum, vt opinor, ita est: sunt quaedam corpora, quorum
Concursus, motus, ordo, positura, figura
Efficiunt igneis: mutatoque ordine mutant
Naturam: neque sunt igni simulata: neque vlla
Præterea rei, quae corpora mittere possit
Sensibus: & nostros adiectu tangere tactus.*

[*QVAEDAM DECEDERE, ABIRE*] sic repofui à tribus codicib. manuscriptis, & excufis Parisienfibus. & Venetis antiquis admonitus, atque adiuutus: in quibus scriptum reperi *decidere, abire, decedere, abire* autem dictum est *decedere*: cui opponitur id quod statim fequitur, *atque alia attribui*: id est alia accedere. [SI TAMEN] sic emendauit fretus auctoritate duorum codicum manuscrip. sententia quidem hanc scripturam postulat. Hoc enim sentit Lucret. *Nil referret*, id est nil prodesset quaedam ex igne decedere, & quaedam ad eum accedere, & quorundam ordinem mutari, si nihilominus omnia naturam ignis retinerent. [OMNIMODUS] id est, omnibus modis ignis esset. quidam tamen legunt *omnimodis*, id est omnibus modis: & ita habent libri aliquot manuscripti, manente eadem sententia. vulgati plerique habent *vnimodus*: quibuscum consentit Memmianus.

[CREARENT] nempe ignea corpora: quodcunque crearent corpuscula, & primordia rerum ignea, id esset ignis omnimodus, seu vnimodus. [NEQVE VLLAE] sic codex Vaticanus. quam scripturam secutus sum. ita enim loquebantur antiqui: Plaut. ex Varrone lib. 6. de ling. Lat. *gannit odiosus tota familia*. Terent. *Heaut. hoc ipsa in itinere alteræ dum narrat, forte audiui*. M. Tul. de diuinat. lib. 2. *sed si eadem hora alia pecudis iecur nitidum atque plenum est, alia burridum, & exile, quid est quod declarari possit habitu extorum?* sic idem Lucret. lib. 3. *Aut alia cuius desiderium insideat res*. Idem lib. 6. *Et potius nulla sibi turpis conscium rei*, & c. [ADIECTV] iactu ad sensus, appulsi.

cōiectu, qui ad nostros tactus perueniat. nam adicere telum, est plus quam iacere: nempe ita iacere, vt ad eum locum, quem iaculator petit, perueniat. *Cæf. lib. 2. de bello Gall. Et quia non longius hostes aberant, quam quò telum adici posset, prælij committendi signum dedit*. Idem lib. 4. *Atque ita montibus angustis mare continebatur, vt ex locis superioribus telum in littus adici posset*. sic Lucretius dixit *adiectum odoris*. lib. 4. *Nunc age, quo pacto naris adiectus odoris Tangat, agam. & lumina adicere* lib. 5. *Nam quibus è spatiis cumque ignes lumina possunt Adicere, &c.* & M. Tull. *adiectas voces*. lib. 2. de nat. Deor. *Extra autem eminent, quæ appellantur aures, & tegendi causa facta tutantur sensus, & ne adiectæ voces laberentur atque errarent, priusquam ab his pulsus esset*.

Dicere porro ignem res omnes esse, neque vllam Rem veram in numero rerum constare, nisi ignem, Quod facit hic idem: per delirum esse videtur. Nam contra sensus ab sensibus ipse repugnat: Et labefactat eos, vnde omnia credita pendunt: Vnde hic cognitus est ipsi, quem nominat ignem. Credit enim sensus ignem cognoscere verè: Cetera non credit, nihilo quæ clara minus sunt: Quod mihi cum vanum, tum delirum esse videtur. Quò referemus enim? quid nobis certius ipsis Sensibus esse potest, quo vera, ac falsa notemus? Præterea quare quisquam magis omnia tollat, Et velit ardoris naturam relinquere solam: Quàm neget esse ignis, summam tamen esse relinquat? Aequa videtur enim dementia dicere vtrunque. Quapropter qui materiam rerum esse putarunt Ignem: atque ex igni summam consistere posse: Et qui principium gignendis aëra rebus Constituere: aut humorem quicumque putarunt Fingere res ipsum per se: terramve creare Omnia, & in rerum naturas vertier omnes: Magnopere à vero, longèque errasse videntur.

[CONTRA SENSUS] eos sensus, qui alia sentiunt præter ignem. [ABSSENSIBVS] per quos ignem cognouit. [VNDE OMNIA CR.] id est in quibus omnium rerum fides nititur, & fundatur. [QVEM NOMINAT IGNEM] sic habent tres libri manuscripti Vatic. & Bertin. & Memm.

CREDIT] Heraclitus credit sensum, verbi gratia, tactum, ignem cognoscere: & in hoc non fallitur. quid enim me docuit ignem esse calidum? sensus. CETERA NON CREDIT] non credit sensum cetera cognoscere, quæ nihilo minus perspicua sunt, quàm ignis, verbi gratia, aërem, aquam, terram: quæ etiã sensibus cognoscuntur. QVO REFEREMVS ENIM] sic habent quattuor libri manuscr. quibuscũ congruunt vulgati Veneti antiqui. & Vicet. probabantque hanc scripturam Iouianus Pontanus, & Franciscus Puccius. quò referemus enim, nisi ad sensum scilicet? sic supra, *Haud erit occultis de rebus quò referentes Confirmare animo quicquam ratione queamus.* SYMMAM TAMEN] quidam legunt, *aliam tamen:* à quibus dissentio. AEQVA VIDEATUR ENIM] par dementia est, id est aequè delirum, ac stultum est solum ignem ponere & concedere ceteris omnibus negatis ac sublati: atque ignem negare ceteris omnibus rebus positis & concessis. ET QVI PRINCIPIVM GIGN. AE] ut Anaximenes Milesius: de quo sic M. Tullius in Lucullo. *Anaximenes infinitum aëra dixit esse, ex quo omnia gignuntur.* & Plutarchus. *ἄρῃ τῶν ἀέρον. Ἀναξίμανος ὁ μιλῆσιος ἀρχὴ τῶν ὄντων ἀέρος ἀπεφάνητο. ἐν γὰρ τῆσι τὰ πέντε γίνεσθαι, ἢ εἰς αὐτὸν ἀναλυέσθαι:* id est Anaximenes Milesius principium rerum aërem pronūciauit. Ex hoc enim oriri omnia, & in eum resolui. Archelaus item Atheniensis aëra infinitum principium rerum dixit, ut refert Plutarchus. eodem loco. *Ἀρχελαῖος ὁ Ἀπολλωνίου Ἀθηνῶν ἀέρος ἀπεείπον ἢ τὴν αἰὲρ αὐτὸν πρῶτον, ἢ μάταιον.* AVT HVMOREM QVIC.] aut quicumque aquam putarunt esse principium rerum: ut Thales Milesius: de quo M. Tullius lib. 1. de nat. Deor. & in Lucullo. & Vitruvius lib. 2. cap. 2. & proœm. lib. 8. TERRAMVE CREARE OMNIA] Aristoteli lib. 1. *τῶν ὑπερταύτων φασ.* scribit nullum ex physicis principium rerum terram posuisse. LONGE QVE ERRASSE] cod. duo manuscripti. longe deerrasse videntur.

*Adde etiam, qui conduplicant primordia rerum,
Aëra iungentes igni, terramque liquori:
Et qui quattuor ex rebus posse omnia ventur,
Ex igni, terra, atque anima procreescere, & imbri:
Quorum Acragantinus cum primis Empedocles est:
Insula quem triquetris terrarum gessit in oris:
Quam fluitans circum magnis anfractibus aëquor,
Ionium glaucis aspergit littus ab vndis:
Angustoque fretu rapidum mare dividit vndis
Italiae terrarum oras à finibus eius.
Hic est vasta Charybdis: & hic Aetnaa minantur
Murmura flammarum rursus se colligere iras:
Faucibus eruptos iterum ut vis euomat igneis:*

*Ad cælumque ferat flammam fulgura rursus.
Quaecum magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis regio, visendaque fertur,
Rebus opima bonis, multa munita virum vi:
Nil tamen hoc habuisse viro præclarius in se,
Nec sanctum magis, & mirum, carumque videtur.
Carmina quin etiam diuini pectoris eius
Vociferantur, & exponunt præclara reperta:
Ut vix humana videatur stirpe creatus.
Hic tamen, & supra quos diximus, inferiores
Partibus egregiè multis, multoque minores,
Quanquam multa bene, ac diuinitus inuenientes
Ex adyto tanquam cordis responsa dedere
Sanctius, & multo certa ratione magis, quàm,
Pythia quæ tripode ex Phæbi, lauroque profatur:
Principius tamen in rerum fecere ruinas:
Et grauius magni magno cecidere ibi casu:
Primum quòd motus exempto rebus inani
Constituunt: & res molles, rarasque relinquunt,
Aëra, solem, ignem, terras, animalia, fruges:
Nec tamen admiscunt in eorum corpus inane:
Deinde quòd omnino finem non esse secandis
Corporibus faciunt: neque pausam stare fragori:
Nec prorsum in rebus minimum consistere quicquam:
Cum videamus id extremum cuiusque cacumen
Esse, quòd ad sensus nostros minimum esse videtur:
Coniicere ut possis ex hoc, quòd cernere non quis,
Extremum quòd habent, minimum consistere rebus.*

ADDE ETIAM QVI CONDVL.] Verbi gratia Archel. qui aërem & eam, quæ ei circumfusa est, densitatem, & eam, quæ circumdata est, raritatem, id est ignem, & aquam, vult esse principia rerum. TERRAMVE LIQVORI] ut Parmenides. ATQVE ANIMA] atque ex aëre. Virg. in Sileno. *Nanque canebat vii magnum per inane coacta Semina terrarumque, anima.*

que, marisque fuissent. QVORVM ACragantivvs] duo cod. manu-
script. Agrigentinus, Bertin. & Memm. Agragantinus. Vatic. Agragentinus.
Acragas fluuij, & oppidi nomen est. dictum autem oppidum à fluuio est.
TRIQUETRI] Siculis. Sicilia enim dicta est Triquetra à tribus pro-
montorijs Peloro, Pachino, Lylibæo. Triquetram dictam esse quasi Tri-
quedram à tribus sedibus indicat Quintilianus lib. i. cap. 6. dicitur & Ἰπνε-
νία à Græcis, quasi Τριεργία: seu à Thrinaco quodam Sicilia tyranno. Ho-
rat. saty. 6. lib. 2. militibus promissa. Triquetra Præmia Cæsar; an est Itala Tellure
daturus? MAGNIS ANFRACTIBVS] circuituibus fractis. Cicero.
longo anfractu circumscripita oratio. idem solis anfractu. Virg. lib. ii. Est longo an-
fractu valles accommoda fraudi. an enim in iunctura significat plerunque cir-
cum, vt anquirere, ambire, ambustus, ancilia, hostia ambuantes. IONIUM
GLAUCIS ASP. LITTUS AB] hic versus variè scriptus est in veteri-
bus exemplaribus, & vulgatis codicibus. Nam libri Faer. & Teth. & Bertin.
habent, Ionii glaucis aspergit virus ab vndis, aut in vndis. Vatic. & Memm.
littus ab vndis. quibuscum consentiunt Ald. antiq. Paris. Vicetini. Veneti
autem recentiores, & vtrique Lugdunenses, & Florentini. Ionio & Libycis
aspergit littus ab vndis. ego adulterinū esse puto. ANGVSTO QVE FRE-
TV] producit hunc versum testem Prisc. lib. i. atque fretu positum esse
pro fretu. vt Acherunta, pro Acheronta, & frondes pro frondes. & ita M. Tull.
Verr. 5. Sicilia perangusto fretu diuisa. Sicilia enim erat olim Italiae conti-
nens, & agro Brutio annexa. post vi maris, quod nunc Siculum dicitur, ab-
scissa, atque abrupta ad Rhegium: quod à verbo ἰσχυρῶν, id est frango, dictum
est. Sed tamen fretus, us, in vlu est. idem Lucr. lib. 6. Nam fretus ipse anni per-
miscet frigus, &c. ITALIAE TERRAE ORAS] sic legendum, non Ita-
liae terrarum. sic enim loquuntur Latini, Italia terra, Campania terra, Gallia
terra, &c. VASTA CHARYBDIS] quæ fuit aquarum vorago. Hom.
ὁδ. μ. Δία χάρυβδης ἀναρροβέει υἱέων ἰσθμῶν. Virg. lib. 3. ter gurgite vastos Sorbet in
abruptum fluctus. AETNAE AMIN.] de Aetna, & de ignibus, ac murmuri-
bus Aetnae, lege lib. 6. ibi. Nunc ratio quæ sit, &c. RVRSVM SE COLL.]
nam Aetna aliquando vicinas vrbeis cineribus & fauillis obruisse dicitur:
aliquando tantam vim cineris, & fauillarum eiecisse, vt vicini biduum te-
nebris sepulti viderentur. M. Tull. de nat. Deor. lib. 2. Nos autem tenebras co-
gitemus tantas, quantas quondam eruptione Aetnaeorum ignium finitimas regiones
obscuasse dicuntur, vt per triduum nemo hominem homo agnosceret. Cum autem ter-
tio die sol illuxisset, tum vt reuixisse viderentur. FAVCIBVS] crateribus: sic
enim eas fauceis appellant Græci. idem Lucr. lib. 6. In summo sunt vertice
item crateres, vt ipsi Nominatū nos quas fauceis prohibemus, & ora. ERVPTOS]
emissos. notandum participium eruptos ab agente erumpo. FVLGVRA]
fulgores. nam apud hunc poetam fulgur & fulgor pro eodem ponuntur.
MAGNA MODIS MVLT. MIRANDA] magna, miranda duo epi-
theta ἄνω δὲ τῶν posita. VIDETVR] sic legendum, non vt in vulgaris, vi-
dentur. NIL TAMEN HOC HABVISSE] vide apud Diog. Laërt.
multa de Emped. CARVM QVE] plurisque faciendum: πῶν τῶν: ὀνα-
FERIORES] Empedocle. EX ADYTO TANQVAM CORDIS]

ex animi recessu: ex animi penetralibus. RESPONSA DEDERE]
sic M. Tull. lib. 2. de Finibus, loquens de Epicuro. In alio libro, vbi breuiter
comprehensis grauissimis sententijs quasi oracula edidisse sapientia dicitur. TRI-
PODE EX PHOEBI LAVRO QVE] cod. Memm. habet tripode ex
dio. de tripode Apollinis, & de lauro, lege interpretem Aristoph. ad illum
locum. ἢ δὴδ' ὁ φοῖβος ἔλακον ἐν τῶν σεμνότητων. vbi ille, laurū (inquit) gerebat
Pythia, & tripodes ipsi coronati erāt. FECERE RVINAS] sic Arist. li.
i. φυσικ. ἡτοιμασται γὰρ οἱ καὶ φιλοσοφίαι πρῶτοι πῶν ἀληθειῶν, καὶ πῶν φύσιν ἔχοντων ἔχεται
πιστῶν. id est, Primi illi philosophi veritatem & naturam rerum quærentes
euerſi sunt, seu grauiter ceciderūt. PAVSAM] id est quietem, finē, πῶσαν,
πῶσον. Lucill. sat. lib. i. Hæc vbi dicta dedit, pausam facit ore loquendi. Ennius ex
Varro. lib. 6. de ling. Lat. pausam fecere fremēdi. Lucret. lib. 3. Inter enim iecta
est vitæ pausa: & lib. 4. Parua fit ardoris violenti pausa parumper. Plaut. Ruden-
te. Aliquando osculando melius est vxor pausam fieri. FRAGORI] id est fran-
gendis corporibus. NEC PRORSVM IN REBVS MINIMUM] mi-
nimum intellige, quo nihil minus esse potest, & ad quod cum peruentum
sit, tum fiat cuiuslibet corporis secandi finis, vt supra diximus. Ad hunc lo-
cum pertinent ea, quæ à Cicerone disputantur sub Varronis persona lib. i.
Acad. quæst. Ex materia putant Peripaterici omnia esse expressa, atque effusa: quæ
tota omnia accipere possit, omnibusque modis mutare, atque ex omni parte, eoque etiā
interire non in nihilum, sed in suas partes, quæ in finis secari, ac diuidi possint, cum
sit nihil omnino in rerum natura minimum, quod diuidi nequeat. Idem lib. i. de Fi-
nibus disputans aduersus Epic. Ne illud quidem phisici est, credere aliquid esse
minimum, &c. Vult igitur Epicurus aliquid esse in rebus minimum, nempe
corpora prima: quæ scilicet iam secari, aut diuidi non possunt, eorumque
sententiam nunc refellit Lucretius, qui negant quicquam in rebus esse mi-
nimum. lege, si tibi commodum est, quæ hac de re supra diximus. CVM
VIDEAMVS ID EXTREMVM] confer hunc locum cum illo superio-
re. Tum porro quoniam extremum cuiusque acumen, &c. CONICERE VT
POSSIS] locus est aliquantam obsecutus: quem sic declaro. Conicere vt
possis, ex hoc extremo cacumine, quod iam cernere non potes, & quod ad
sensus nostros videtur esse minimum, id extremū esse in rebus minimum,
quod extremum ipsæ res habent. Secutus autem sum scripturam duorum
codicum manuscr. cum quibus congruunt Parisienses, & Veneti antiq.
Nam ceteri codices habent Conicere vt possis ex hac, quæ cernere non quis, &c.
quam scripturam si quis probabit, ita erit explicanda. conicere vt possis
ex hoc extremo, quod extremum habent ea, quæ cernere non quis, esse ali-
quid minimum in rebus.

*Hic accedit item quod iam primordia rerum
Mollia constituunt, quæ nos natia videmus
Esse, & mortali cum corpore funditus, at qui
Debeat ad nihilum iam rerum summa reuerti:
De nihiloque renata vireſcere copia rerum.*

Quorum vtrunque quid à vero iam distet, habebas.
 Deinde inimica modis multis sunt, atque venena
 Ipsa sibi inter se, quare aut congressa peribunt:
 Aut ita diffugient, vt tempestate coorta
 Fulmina diffugere, atque imbreis, ventósque videmus.
 Denique quattuor ex rebus si cuncta creantur,
 Atque in eas rursus res omnia dissoluiuntur:
 Qui magis illa queunt rerum primordia dici,
 Quàm contrà res illorum, retróque putari?
 Alternis gignuntur enim, mutantque colorem,
 Et totam inter se naturam tempore ab omni.
 Sin ita fortè putas, ignis, terræque coire
 Corpus, & aërias auras, rorémque liquorum,
 Nil in concilio naturam vt mutet eorum:
 Nulla tibi ex illis poterit res esse creata:
 Non animans, non ex animo quid corpore, vt arbor.
 Quippe suam quicque in cœtu variantis acervi
 Naturam ostendet: mistusque videbitur aër
 Cum terra simul, atque ignis cum rore manere.
 At primordia gignendis in rebus oportet
 Naturam clandestinam, cæcâque adhibere:
 Emineat ne quid, quod contrà pugnet, & obstet,
 Quo minus esse queat propriè quodcunque creatur.

HVC ACCEDIT ITEM, QVOD IAM] sic restitui certissimis con-
 iecturis ductus. MOLLIA] vt ignem, aërem, aquam, terram. VIRE-
 SCERE] sic supra de nihiloque virescat copia rerum. non dissimulabo tamen
 in quibusdam libris legi virefcere. QVOD A VERO IAM, DISTET,
 HABEBAS] ordo est, quorum vtrunque, nempe & rerum summam ad
 nihilum reuertit, & ex nihilo res gigni, aut renasci, quantum à vero distet,
 iam habebas, id est iam cognouisti: vel paulo antè didicisti. mendosè au-
 tem legitur in vulgatis codicibus, & in nōnnullis manuscriptis habebis. DE-
 INDE INIM. M. M. S. ATQVE VEN.] deinde (inquit Lucret.)
 hæc, quæ Empedocles, & qui eius sententiam sequuntur, principia rerum
 esse volunt, sunt inter se inimica, & quasi venena, id est mortifera, & leta-
 lia. aqua enim cum sit humida, & frigidiss. cum igne maximè pugnat sic-
 co, & calidissimo: aër cum sit humidissimus, & calidus, cum terra pugnat
 aridif.

aridissima, & frigida. præterea ignis cum aëre, & terra pugnat: aër cum
 aqua: aqua cum terra. Sic autem Catull. Rufum quendam vitæ venenum di-
 xit. VT TEMPEST. COORTA] sic legendum, non coacta. nam sic lo-
 quuntur Latini. M. Tull. Verr. 3. tanta subito tempestates coorta sunt. Lucret.
 lib. 2. Sed quasi naufragiis magnis, multisq; coortis. & lib. 4. Vsq; aded tetra nim-
 borum nocte coorta. QVÌ MAGIS ILLA QV.] mutat genus. dixit enim
 quattuor ex rebus, deinde, in eas res. nunc, Qui magis illa, id est illæ res, & illa
 elementa, ex quibus omnia nasci, & in quæ omnia dissolui volunt Empe-
 docles, & qui eum sequitur. Quod si quis vocem illa, referet ad voces cun-
 cta, & omnia, videbitur legendum, Qui minus, &c. NIL IN CONCIL.
 N. VT.] id est, vt nihil eorum in congressu naturam suam immutet. RO-
 REM QVÈ LIQVORVM] tres lib. manuscr. habent liquoris. NON EX-
 AN. Q. CORP.] id est, non quicquam corpore ex animo constans, seu
 non quicquam ex animū. IN COETV VAR.] id est in cōcilio, & congres-
 su varij acervi. cœtus idem significat quod coitus: immò verò coitus &
 cœtus idem sunt. ATQVE ARDOR CVM RORE M.] sic reposui
 non dubiis coniecturis ductus. sententia autem perspicua est. Si quattuor
 illæ res (inquit) ita congregabuntur, & coibunt, vt naturam suam non mu-
 tent: primum nihil ex illis creari poterit, deinde videbitur aër cum terra cō-
 fusus, & ardor, id est ignis cum rore, id est cum aqua: quod natura non pati-
 tur. scribe autem in contextu versuum Lucret. sup. atque ardor cum rore manere.
 CAECAM] id est latentem, & obscuram. Idem lib. 2. Quod tales turbæ motus
 quoque materiæ significant clandestinos, cæcósque subesse.

Quin etiam repetunt à cælo, atque ignibus eius:
 Et primum faciunt ignem se vertere in auras
 Aëris: hinc imbrem gigni, terramque creari
 Ex imbre, retróque à terra cuncta reuerti:
 Humorem primum, post aëra, deinde calorem:
 Nec cessare hæc inter se mutare, meare
 De cælo ad terram, de terra ad sidera mundi:
 Quod facere haud vllò debent primordia pacto.
 Immutabile enim quiddam superare necesse est:
 Ne res ad nihilum redigantur funditus omnes.
 Nam quodcunque suis mutatum finibus exit,
 Continuo hoc mors est illius, quod fuit antè.
 Quapropter quoniam, quæ paullo diximus antè,
 In commutatum veniunt: constare necesse est
 Ex aliis ea, quæ nequeant conuertier vnquam:

Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes:
 Quin potius tali natura prædita quedam
 Corpora constituas ignem si forte crearint,
 Posse eadem demtis paucis, paucisque tributis,
 Ordine mutato, & motu, facere aëris auras:
 Sic alias aliis rebus mutarier omneis.

QVIN ETIAM REP. &c.] sic item Arist. ait enim elementa inter se commutari, & alterum ex altero gigni. Sed ea (vt dixi) appellat elementa, non principia. Inter principia autem & elementa multum vult interesse, repetunt autem, id est initium ducunt. CALOREM] id est ignem, vt infr. eod. lib. Cum lapidi lapidem terimus, manare calorem, vt quidem mihi legendum videbatur. HAEC INTER SE MUTARE, MEARE, DE C. &c.] sic habent quinque libri manuscripti, quibuscum vulgati consentiunt, Paris. & Vicet. alij habent inter se mutando meare, &cet. quam scripturam non improbo. mutare inter se autem sic dictum, vt amare inter se, &c. AD SID. M V N D I] quidam libri habent ad sidera celi: & ita Virg. Georg. 4. Hinc vbi iam emissum caueis ad sidera celi Nare per astatem liquidam suspexeris agmen, &c. Idem lib. 10. Æneid. celi cui sidera parent. SUPERARE] superesse, reliqua esse. NAM QVODCVNQVE SVIS, &c.] hic versus cum eo, qui deinceps sequitur, iam supra positus est. Ad hunc locum, atque ad hanc sententiam pertinent, quæ scribit M. Tull. lib. 3. de nat. deor. his verbis. Præterea omnia hæc tum intereunt, cum in naturam aliam conuertuntur: quod fit cum terra in aquam se vertit, & cum ex aqua oritur aër, & cum ex aëre æther, & cum eadem vicissim retrò commeant. QVAE PAULLO DIX.] sic habent tres libri manuscripti, non vt alij, quod paullo dix. Sed quæ sunt illa? ignis, aër, aqua, terra. IN COMMVTATVM VENIVNT] id est, in commutationem. venire autem in commutationem nihil aliud est, quàm in naturam aliam conuerti. CONSTARE NECESSEST EX ALIIS EA, QVAE] ordo est. necesse est ea, nempe ignem, aërem, aquam, terram constare ex aliis, quæ nunquam commutari possunt. QVIN POTIVS TALE, &c.] hos quattuor versus, qui deinceps sequuntur, quidam legunt cum interrogationis nota, hoc ordine, & sensu. Cur non potius constituas quædam corpora tali natura prædita, vt si forte ignem crearint, possint eadem paucis detractis, paucisque additis, &c. aërem facere? Sed fortasse præstat sine interrogatione pronunciaré, & coniungere cum versu superiore, hoc modo: Ne tibi res omnes ad nihilum redigantur, immò potius, vt quædam corpora tali natura prædita, id est immutabilia, & quæ nequeant vlllo tempore conuerti, constituas: id est statuas & existimes posse, si forte ignem crearint, eadem paucis demtis, id est detractis, & paucis tributis, id est additis, atque attributis, ordine & motu mutato facere aërem. FACERE AERIS AVRA S] sic libri manuscripti melius, quàm quidam vulgati aëris auræ, sic & paullo post, At manifesta palam res indicat, inquis, in auras Aëris, &c.

At manifesta palam res indicat (inquis) in auras
 Aëris è terra res omneis crescere, aliq̄:
 Et nisi tempestas indulget tempore fausto
 Imbribus, & tabe nimborum arbuta vacillant:
 Sólque sua pro parte fouet, tribuitq̄ calorem:
 Crescere vti possint fruges, arbuta, animantes:
 Scilicet & nisi nos cibus aridus, & tener humor
 Adiuuat: amisso iam corpore, vita quoque omnis
 Omnibus è nervis, atque ossibus exsoluatur.
 Adiuamur enim dubio procul, atque alimur nos
 Certis ab rebus: certis aliæ atque aliæ res.
 Nimirum quia multa modis communia multis
 Multarum rerum in rebus primordia mista
 Sunt, ided variis variæ res rebus aluntur.
 Atque eadem magni refert primordia sæpe,
 Cum quibus, & quali positura contineantur:
 Et quos inter se dent motus, accipiántque.
 Nanque eadem calum, mare, terras, flumina, solem
 Constituunt: eadem fruges, arbuta, animantes.
 Verùm aliis, alióque modo commista mouentur.
 Quin etiam passim nostris in versibus ipsis
 Multa elementa vides multis communia verbis:
 Cum tamen inter se versus, ac verba necesse st
 Confitere & re, & sonitu distare sonanti:
 Tantùm elementa queunt permutato ordine solo.
 At rerum quæ sunt primordia, plura adhibere
 Possunt, vnde queant variæ res quæque creari.

ET TABE NIMBORVM ARB. VACILLANT] hanc scripturam agnoscit Priscian. lib. 7. confirmant quattuor codices manuscripti, Vaticanus, Faërn. Tethianus, Bertinianus. quibuscum consentiunt Veneti antiq. & Lugdunenses alteri: neque est quòd quisquam putet legendum tabi veritus ne secunda syllaba tabe brevis sit. Nam fortasse eadem ratione productur, qua secunda vocis fame. Virg. lib. 6. Æneid. medicatis frugibus offam Obiicit: ille fame rabida tria guttura pandens Corripit. AMISSO IAM COR-
 K 2

PORE] sic loquitur M. Tull. epist. quadā ad Gall. lib. 7. *vires & corpus amisi.* iterum Lucret. inf. eod. lib. *Nam veluti priuata cibo natura animantium. Dissiuit amittens corpus.* NIMIRVM QVIA MVLTAMODIS, &c.] sic legendum, & ita scriptum est in duobus cod. manuscriptis, non vt in vulgatis, multi modis. Cur alius aliis animantibus sit cibus, copiosè & suo loco disputat lib. 4. ibi. *Nunc aliis aliis cur sit cibus, &c.* QVIN ETIAM PASSIM NOSTRIS IN VERSIBVS IPSIS] vtitur eadem similitudine, atque adeo iisdem versibus lib. 2. SONITV DISTARE SONANT I] sonitu sonanti sic dictum, vt lib. 6. *anxius angor: nisi forte ibi legendum est, anxius agror.* TANTVM ELEMENTA QVEVNT] *ἐπιφάνεια.*

Nunc & Anaxagora scrutemur *ὁμοιομετρίαν,*
Quam Græci memorant, nec nostra dicere lingua
Concedit nobis patrij sermonis egestas.
Sed tamen ipsam rem facile est exponere verbis,
Principium rerum quam dicit *ὁμοιομετρίαν.*
Ossa videlicet è paucillulis, atque minutis
Ossibu', sic & de paucillulis, atque minutis
Visceribus viscus gigni, sanguenque creari,
Sanguinis inter se multis coeuntibus guttis:
Ex aurique putat micis consistere posse
Aurum, & de terris terram concresecere paruis:
Sic ignem inter se paruis coeuntibus nasci
Ignibus, exiguis humorem humoribus esse:
Cetera consimili fingit ratione, putatque:
Nec tamen esse vlla parte idem in rebus inane
Concedit: neque corporibus finem esse secandis.
Quare in vtraque mihi pariter ratione videtur
Errare, atque illi, supra quos diximus antè.
Adde quòd imbecilla nimis primordia fingit:
Si primordia sunt, simili quæ prædita constant
Natura, atque ipsæ res sunt, æquæque laborant,
Et percunt: neque ab exitio res vlla refrenat.
Nam quid in oppressu valido durabit eorum,
Vt mortem effugiat, læti sub dentibus ipsis?
Ignis, an humor? an aura? quid horum? sanguen, an ossa?

Nil, vt opinor: vbi ex æquo res funditus omnis
Tam mortalis erit, quàm quæ manifesta videmus
Ex oculis nostris aliqua vi victa perire.
At neque recidere ad nihilum res posse, neque autem
Crescere de nihilo, testor res antè probatas.

NVNC ET ANAXAGORAE] *Anaxagoras* (vt scribit M. Tull. lib. 2. Acad. quæst.) *materiam insinitam dixit esse, è qua omnia gignerentur: eamque particulas simileis inter se, minutas, eas primùm confusas, postea in ordinem adductas à mente diuina.* Hic librum suum sic orsus est: *ὅμολογον ἄπαντα γένηματα ἢν. γὰρ δ' αὖτὸν διίπε, καὶ δεικνύσκει μόνος: id est, simul erant res omnes. mens autem ea distinxit, & in ordinem redegit.* ΟΜΟΙΟΜΕΡΙΑΝ] hoc nomen scriptum est litteris Latinis in aliquot lib. manuscriptis. nos vulgatos secuti, Græcis excudendum curauimus. Ομοιομετρίαν autè dicuntur, quorum partes appellantur nomine totius, vt os, sanguis, lapis. Nam quauis hæc sint inter se dissimilia, constant tamen singula partibus similibus. Ομοιομετρίαν igitur, quæ Anaxagoras principium rerum esse dixit, licet interpretari vel similitum partium naturam, vel partium similitudinem. ΟΣΣΙΒΥ, ΣΙC ET ΔΕ] sic habet duo cod. manuscr. quæ scriptura perspicuè recta est. SANGVENQVE CREARI] profert hunc scriptum Non. Marcell. in voce *sanguen*, & in voce *viscus*. profert & Fl. Sosipater Charisius lib. 1. his verbis, *sanguis masculino genere dicitur: & facit, hunc sanguinem. Sed Cato de habitu ait, sanguen demittatur.* & Lucret. *Visceribus viscus gigni, sanguenque creari.* Vtitur eodem nomine & Ennius lib. 2. annalium. *O pater, ô genitor, ô sanguen diis oriündum.* Et idem Ennius apud M. Tull. lib. 5. de finib. *non refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu?* testatur & Priscianus lib. 7. Denique A. Gellius lib. 3. cap. 7. hæc Catonis verba profert. *Eumque inter mortuos defatigatum vulnibus, ægrèque spirantem quòd sanguen defluserat, cognouere.* Iterum Lucret. paulò inf. *sanguen, an ossa?* EX AVRIQVE PVTA MICIS] sic hac de re Laërt. *Καθάπερ ἐν τῶν ἰαγμάτων λερομένων τὸν χρυσὸν σπινθίλαι, ἕτως ἐν τῶν ὁμοιομετρίων μερῶν ἐμπερὶν τὸ πᾶν συσκαμῖσθαι: καὶ γούτω ἀρχὴν κινήσεως, &c.* id est, quemadmodum ex auri micis, quæ appellantur, aurum constare: ita ex multis partibus similibus paruis vniuersum concretum esse: & mentem, motionis principium esse. SIC IGNE MINT. SE. P. C. N.] hic versus abest ab aliquot lib. manuscr. is autem qui deinceps sequitur, sic legitur in nonnullis vulgatis, *Ignem ex ignibus, humorem ex humoribus esse:* in manuscriptis autem sic. *Ignibus ex ignis, hum. ex hum. esse.* Vnde orta mihi est suspicio verum *Sic ignem &c.* non esse Lucretianum: proximum autem sic esse legendum. *Ignibus ex ignem, humorem ex humoribus esse.* QVARE IN VTRAQVE MIHI PARITER] in vtraque ratione: nepe & in eo quòd tollit inane, & in eo, quòd vult corpora in partibus infinitas secari posse. pariter atque illi, id est æquè atque illi, seu ita vt illi, videtur errare. ADDE QVOD IMBECILLA] cum primordia rerum debeant esse validissima, atque ab omni iniuria tuta. SI PRIMOR-

DIASUNT] ἐπιπόρευσις, seu διπόρευσις. IN OPPRESSV VALIDO] in acri oppressione. VT MORTEM EFFVG. LETI SVB DENTI-
BVS IPSIS? sic habent libri manuscripti. quæ scriptura si emendata est, tralatio ducta est à feris: quæ quicquid inuadunt, dentibus dilacerant, & discerpunt. In plerisque libris vulgaris legitur *leti sub cæribus ipsis*. in nonnullis *leti subuentibus ipsis*. planè mendosè. assensus sum aliquando viro cuidam doctis. qui putabat hoc loco legendū esse *leti sub motibus ipsis*. cuius coniecturam possum confirmare exemplo ex lib. 2. *Et quasi iam leti dominatorem in corpore motum*. Ego tamen à veteri scriptura discedere non sum ausus.

QVID HORVM? SANGVEN, AN OSSA? mire corrupti sunt hoc loco codices tum manuscripti, tum typis excusi: eorumque omnium varietatem longum esset proponere. alij enim habent *sanguinis ad nos? alij sanguinis an ne os? alij sanguis omos? alij sanguis ovolos? alij aliter*. Ego eam scripturam securus sum, & quæ proxime accedit ad veterem, & quam reperi ascriptam ad oram cuiusdam libri manuscripti. M. Ant. Muretus putabat esse legendum, *quid horum? sanguis, an ossum?* Ossum autem ab antiquis usurpatum est, teste Sosipatro Charisio lib. 1. *Ossu. Varro ad Ciceronem 13. Olimo & ossu. idem osse scribebant, non ossu, quauis Gell. lib. 33. dixerit Caluaridæ que eius ipsam ossum expurgarunt, inauraruntque*. Idem Muretus existimat apud Terent. in Eunuchio legendum *viden, ossum, & cibus quid faciat alienus?* ALI-
QVA VI VICTA PERIRE] vi victa: cōplosio, vt apud Virg. sæpe. *Siliqua quassante legumen. & ruit Oceano nox. & neque te teneo, neque dicta resel-
lo. AT NEQVE RECCIDERE]* sic legendum, non recidere, aut recedere. *reccidere* autem dictum eadem ratione qua *reppulit*, Virg. lib. 4. *cōmbia nostra Reppulit*. rettulit, redducere, repperit, subbigit, & simil. Cic. in Matio. *Subbigit ipse feris transfigens vnguibz anguem*. recidere autem ad nihilum, id est, vt alibi loquitur, reuerti ad nihilum. Sic locutus est & M. Tull. Phil. 7. in extr. *Hunc tuum tantum apparatus, tamque præclarum ne ad nihilum recidere patiare.*

*Præterea quoniam cibus auget corpus, alitque:
Scire licet nobis venas, & sanguen, & ossa,
Et nervos alienigenis ex partibus esse:
Sive cibus omnis commisto corpore dicent
Esse, & habere in se nervorum corpora parua,
Ossaque, & omnino venas, parteisq; cruoris:
Fiet, vti cibus omnis & aridus, & liquor ipse,
Ex alienigenis rebus constare putetur,
Ossibus, & nervis, venisque, & sanguine misto.
Præterea quæcumque è terra corpora crescunt,
Si sunt in terris: terras constare necessest*

Ex alienigenis, quæ terris exoriuntur.

Transfer item: totidem verbis vtare licebit:

In lignis si flamma latet, fumisque, cinisque:

Ex alienigenis consistant ligna necessest,

Ex alienigenis quæ lignis exoriuntur.

PRAET. QVON. CIB. &c.] Talis est vis huius argumenti. Corpus cibo augetur, & alitur: cibus autem, quo alimur, nō est vnus, neque vnus generis: alimur enim verbi gratia, pane, carnibus, piscibus, radicibus, caseo, fructibus, & bacis arborū, aqua, & vino, & similibus. atqui hæc sunt alienigena, & dissimilia inter se. ergo neque venæ, neque sanguis, neque cetera singula constant partibus similibus: cum omnia hæc cibus illis omnibus alantur, & crescant. Quod si dicant cibos omnes constare corpore misto, ergo alienigenis partibus constabunt. SCIRE LICET NOBIS] hūc locum nimis audaciter corruperant arrogantes quidam homines, &, quod grauius est, verfum proximū nescio quibus causis adducti, sustulerāt. ET NERV. ALIEN. EX PART. ESSE.] quia constant ex iis rebus, quibus aluntur, & augetur. At ea quibus alimur, & augetur, non sunt eiusdem generis, neque similibus inter se partibus constant. ET NERVIS, VENIS QVE] sic legendum, non vt habent quidā vulgati, *nervis, sanieque*. QVAE TERRIS EXOR.] quæ alienigena ex terris oriuntur. TRANSFER ITEM] trāsfer ad alia. EX ALIENIG. CONS.] nempe flāma, fumo, cinere. EX ALIENIG. QVAE LIGN.] quæ alienigena nempe flāma, fumus, cinis exoriuntur è lignis: quæ ligna alio sunt genere, quàm flamma, fumus, cinis. verfum qui in lib. vulg. deinceps sequebatur, temerè inculcatum, sustuli.

Linquntur hic tenuis latitandi copia quædam:

Id quod Anaxagoras sibi sumit, vt omnibus omneis

Res putet immistas rebus latitare: sed illud

Apparere vnum, cuius sint plura mista,

Et magis in promptu, primaque in fronte locata:

Quod tamen à vera longè ratione repulsu'st.

Conueniebat enim fruges quoque sæpe, minacis

Robore cum saxi franguntur, mittere signum

Sanguinis, aut aliquid, nostro quæ in corpore aluntur:

Cum lapidi lapidem terimus, manare cruorem:

Consimili ratione herbas quoque sæpe decebat,

Et latices, dulcèis guttas, similique sapore

Mittere, lanigeræ quali sunt vbera lactis:

Scilicet & glebis terrarum sæpe friatis

*Herbarum genera, & fruges, frondis que videri
 Dispersita, ac in terris latitare minutè:
 Postremò in lignis cinerem, fumumque videri,
 Cum præfracta forent, igneis que latere minutos.
 Quorum nil fieri quoniam manifesta docet res:
 Scire licet non esse in rebus res ita mistas:
 Verùm semina multumodis immista latere
 Multarum rerum in rebus communia debent.*

[L I N Q. H I C T E N. L A T I T.] habet (inquit) hoc loco latebram Anaxagoras, in qua delitescat, nepe id, quod dicit, res omnes in omnibus rebus esse mistas, & confusas: sed illud vnum apparere, cuius plura sint mista, & in prima fronte posita. [P L V R I A] sic legendum. sic enim loquebantur veteres. Terent. Adelph. *Te pluvia in hac re peccare ostendam.* Idem Phorm. *multa aduenienti, ut sit, noua hic compluria.* Cato Origin. lib. 2. *fana hoc loco compluria.* M. Tull. Protag. *Confirmandi genera compluria.* Quin A. Gell. testimonio veterum confirmat pluria & compluria potius esse dicendum, quam plura, & complura. [M I N A C I S] duri, rigidi. tralatio. in vno cod. manuscr. legitur *minaci*, ut coniungatur cum voce *robore*: in quo inest etiam tralatio. in quibusd. impressis *fruges quoque saepe minutas*. atque ita habet codex Memm. eamque puto esse rectam scripturam. [S A N G V I N I S] quia ex frugibus gignitur sanguis in corpore humano. [A V T A L I Q V I D] aut aliquid eorum subintell. quæ in nostro corpore aluntur, verbi gratia, venarum, neruorum, ossium, quidam legendum putant, *aut alium*: id est aliorum. [C V M L A P I D I L A P I D E M T E R.] hæc scriptura probabilis est siue lapidi sit dandi casus, siue septimi pro lapide, ut *collis* pro colle, *contagi* pro contage, & simil. apud hunc scriptorem. [C R V O R E M] Putabam ferri non posse hanc lectionem vulgaram, *manare cruorem*: (quamobrem enim conueniebat ex lapidibus inter se collisis & contritis cruorem manare?) legendumque esse *manare calorem*: id est ignem, seu flammam, ut sit hic Lucretij sensus. Conueniebat, si Anaxagoræ sententia vera esset, ex lapidibus inter se contritis *calorem*, id est ignem manare: sed Turneb. receptam lectionem retinet, & ait verba illa *Cum lapidi lapidem terimus*, intelligenda esse de quodam molendi genere, in quo lapis lapidem terit, ut est apud Plaut. A sinar. *Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit?* ut sit hæc sententia, conueniebat ex frugibus, cum eæ lapidibus duobus & molis contritis, moluntur, cruorem effusè effluere. [E T L A T I C E S] sic legendum: & ita habent tres libri manuscripti: quibuscum consentiunt lib. Paris. Veneti antiq. Vicetini. consimili ratione (inquit) conueniebat herbas, quibus pascuntur pecudes: & latices, id est aquas, quas potant, guttas dulcis, & lactei saporis, mittere. [L A N I G E R A E Q V A L I S V N T V B E R A L A C T I S] simili sapore, quali sapore est lac ouille. *vbere lactis*, id est lac: *lanigera*, id est ovis, seu oui. hunc locum restitui à tribus codicibus manuscriptis adiutus, quorum in duobus scriptum reperi, *quali sunt vbere:*

in tertio

in tertio *quales sunt vbere*. idem Lucret. lib. 2. *Ad sua quisque seve decurrunt ubera lactis.* sic Varro Tithono *sed ypros dixit mammam lactis.* [P R A E F R A C T A] in prima fronte, & in summo quasi cortice fracta, ex quo præfracti dicuntur per translationem duri, contumaces, peruicaces. Cic. offic. 3. *Cato nimis præfractè videbatur mihi ararium defendere.* [M V L T I M O D I S] id est multis modis: vel multimodis vna vox est, & cohæret cum voce *rebus* versus proximo, *multimodis in rebus.* *multi modis* autem pro multis modis usurpatum esse à veteribus testatur M. Tull. in perf. orat. *Sed quid ego vocaleis? sine vocalibus saepe breuitatis causa contraherent, ut dicerent multi modis, vas argenteis, palmi & crinibus, tecti fractis.*

*At saepe in magnis sit montibus, (inquis) ut altis
 Arboribus vicina cacumina summa terantur
 Inter se, validis facere id cogentibus Austris:
 Donec fulserunt flamma fulgore coorto.
 Scilicet. & non est lignis tamen insitus ignis.
 Verùm semina sunt ardoris multa: terendo
 Quæ cum confluxere, creant incendia siluis.
 Quod sit tanta foret siluis abscondita flamma:
 Non possent vllum tempus celarier ignes:
 Conficerent volgò siluas: arbusta cremarent.
 Iamne vides igitur, paullo quod diximus antè,
 Permagnum referre eadem primordia saepe,
 Cum quibus, & quali positura contineantur?
 Et quos inter se dent motus, accipiantque?
 Atque eadem paullo inter se mutata creare
 Igneis è lignis? quo pacto verba quoque ipsa
 Inter se paullo mutatis sunt elementis,
 Cum ligna, atque igneis distincta voce notemus.
 Denique iam quæcumque in rebus cernis apertis,
 Si fieri non posse putas, quin materiæ
 Corpora consimili natura prædita fingas:
 Hac ratione tibi pereunt primordia rerum:
 Fiet uti risu tremulo concussa cachinnent,
 Et lacrymis falsis humectent ora, genasque.*

[A T S A E P E I N M A G N I S] occupatio est per quam aduersarium ita

L

facit disputantem, atque argumentantem: Quæ ex rebus exprimentur, atque eliciuntur, ea in illis insunt. ignis ex arboribus inter se collisus, & conflictis elicitur: ergo ignis in arboribus inclusus latet. Etiam faretur Thuydides lib. 2. incendium oriri in siluis sua sponte arboribus inflammatis, ex conflictu, his verbis. ἡδὴ γὰρ ἐν ὄρεσιν ὕλην περιφθεῖται ὑπὸ ἀνέμου πνεύματος ἀπὸ τῶν τοιαύτων πύρρον φλόγα ὑπὸ ἀνέμου ἀνίηκε. **SCILICET**] respondens Lucretius concedit aduersario verum esse, ex arboribus inter se collisus flammam excitari: non tamen iccirco in arboribus ignem insitum esse, sed quædam ignis semina inesse: quæ ubi terendo concurrerunt, & congregata sunt: siluas incendunt. **Scilicet**, hoc loco affirmat, aut comprobat, proinde ac si ita loquatur, verum est istud, quod dicis, neque tamen, &c. in quibusdam libris legitur **Scilicet: at non est. QVÆ CVM CONFLVXERE**] quidam libri typis impressi habent, **Quæ tum cum fluxere.** quidam, **Quæ cum conflixeret.** **IAMNE VIDES IGITUR**, &c.] hæc huius loci sententia est: iamne igitur perspicuum est id, quod paulo antè dixi, multa in rebus esse communia rerum primordia, quæ alio atque alio ordine locata, & aliter, atque aliter mota res dissimileis ex se creant: id ostendit à similitudine litterarum, quam & sæpe alibi usurpat. Vtitur item hoc eodè versus principio, aliis locis, vt lib. 2. **Iamne vides igitur, quanquam vis extrinsecus multos**, &c. & eodem lib. hanc eandem sententiam iterat iisdem pœnè versibus. **Iamne vides igitur magni primordia rerum. Referte in quali sint ordine queque locata?** & li. 5. **Iamne vides igitur**, &c. **ATQVE EADEM PAVLLÒ INTER SEMIVTATA**] non est hoc ita accipiendum quasi primordia rerum mutentur, sed ad ordinis, posituræ, motionis mutationem referendum: quod satis declaratur ipso loquendi genere, **inter se mutata. QVO PACTO**] quem ad modum. sic sæpe alibi: vt lib. 2. **Pluma columbarum quo pacto in sole videtur.** & sup. **Aulide quo pacto Triniæ virginis aram**, &c. **CVM LIGNA ATQVE IGNEIS**] quemadmodum (inquit) res dissimiles nempe lignum, & ignem paulum muraris litterarum elementis, aliis additis, aliis detractis, distincta voce notamus. **CONSIMILI NATVRA**] id est homœomeria, consimilibus partibus, seu consimilium partium principiis. **FIBTVTRISV TREMVLO**] quidam putant inter hunc versum, & superiorem, aliquot deesse: ego non puto. Itaque hunc locum sic explico. Si quis existimabit nihil eorum, quæ cernuntur oculis, aliunde quàm ex principiis consimilibus nasci posse, hac ratione primordia rerum peribunt, neque iam erunt primordia, sed res concretæ, & genitæ, atque etiam animatæ, & rationis participes. Nam cum homines nascantur ex aliquibus principiis, & cum iidem interdum cachinnentur, interdum lacrymentur, fiet vt ea principia, ex quibus homines constant, cachinnari quoque & lacrymari possint. quod erit absurdissimum. **CACHINNENT**] cachinnos tollant. utitur hoc verbo, etiam lib. 4. in extr. **Quam famula longè fugitant, sursumque cachinnant.**

*Nunc age, quod superest, cognosce & clarius audi.
Nec me animi fallit, quam sint obscura: sed acri*

*Percussit thyrsos laudis spes magna meum cor:
Et simul incussit suauem mi in pectus amorem
Musarum: quo nunc instinctus, mente rigenti
Auiæ Pieridum peragro loca, nullius antè
Trita solo. iuuat integros accedere fonteis,
Atque haurire: iuuatque novos decerpere flores:
Insonnemque meo capiti petere inde coronam,
Vnde prius nulli velarint tempora Musæ:
Primum quod magnis doceo de rebus: & artibus
Religionum animos nodis exsoluere pergo:
Deinde quod obscura de re tam lucida pango
Carmina Musæo contingens cuncta lepore.
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur.
Sed veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenuis, interea perpotet amarum
Absinthii laticem, deceptaque non capiat,
Sed potius tali facta recreata valeat:
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerunque videtur
Tristior esse, quibus non est tractata: retróque
Vulgus abhorret ab hac: volui tibi suauiloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram:
Et quasi Musæo dulci contingere melle:
Si tibi fortè animum tali ratione tenere
Versibus in nostris possem: dum perspicis omnem
Naturam rerum, qua constet comta figura.*

NEC ME ANIMI FALLIT] hunc locum imitatus est Virg. lib. 3. Georg. **Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum Quàm sit, & angustis hæc addere rebus honorem: Sed me Parnasti deserta per ardua dulcis Raptat amor: iuuat ire in ætis, quæ nulla priorum Castaliam molli diuertitur orbita clino.** Iam hoc genus loquendi animi fallit, simile illis est, victus animi, maturus æui, saucius animi, &c. sic & lib. 5. princip. **Nec me animi fallit, quam res noua, miraque menti Ac-**

cidat, &c. SED ACRI PERCVSSIT THYRSO] *ὑποσπληγες*, id est thyrsos percussis appellantur *δι' ἐν τοῖς βαρυχοῖς ἐνδεαζόμενοι*, id est qui in sacris Bacchi furore diuino concitantur: & Bacchi sacerdotes thyrsos gestabant in Orgiis. Sunt autem thyrsi hastæ pampinis inuolutæ, atque implicatæ. Horat. lib. 2. od. 19. *enæ: pârce Liber, Pârce grani metuenæde Thyrso.* INCVS-SIT AMOREM] incutere amorem dixit, vt incutere metum, bellum, & similit. sic sup. princip. *Omnibus incutiens blandum per pectora amorem.* QVONVNC INSTINCTVS] quo nunc incitatus, ac stimulatus. instinguo compositum est à verbo stinguo, vt præstinguo, restinguo, extinguo, distinguo. AVIA PIERIDVM, &c.] producit tanquam testem hunc locum Quintil. lib. 8. cap. 6. de tropis. & ait esse allegoriam. Et certe hanc eandem sententiam lib. 5. videtur Lucretius propriis verbis, & sine prope expressisse, ibi, *Denique natura hæc rerum, ratioque reperia est Nuper: & hanc primus cum primis ipse repperit Nunc ego sum, in patrias qui possim vertere vocis.* Sic & Horat. epist. 19. lib. 1. *Libera per vacuum posui vestigia princeps: Non aliena meo pressi pede: qui sibi fidit Dux, regit examen.* & Virg. lib. 3. Georg. *primus ego in patriam, modò vita supersit, Aonio rediens deducam vertice Musas, Et viridi in campo templum de marmore ponam.* & Oppianus βιβλ. α. κωνιητη. Ε' γρη, ἢ β' η' χ' ε' α' ε' π' σ' ε' β' α' ρ' α' τ' α' ρ' η' ν' , Ἰ' λ' ω' μ' ε' ρ' ο' π' ο' ν' ε' π' ο' π' η' ς' ἔ' η' ς' ἐ' π' α' τ' η' σ' ε' ν' ὠ' ο' δ' ὠ' ς' . id est Eia age flectamus deserta per aspera currum, Quà nondum proprio callem quis carmine triuit. Iterantur hi aliquot versus initio lib. 4. PIERIDVM] Musarum. Pieria Bæotia mons, in quo Musæ genitæ dicuntur. SOLO] solea, pede. INTEGROS] nondum à quoquam libatos, seu degustatos: vel sinceros, illimos, & puros, *εἰλικρινεῖς*. INSIGN. M. CAP. P.] id est & ex ea re meo capiti coronam expetere, ex qua re musæ neminem corona donarint. RELIGIONVM] videtur significare religionem dici à religando: quanquam M. Tull. ducit à relegendo. Lactatius Firmianus lib. 1. de falsa sap. *Magnum hoc opus, & homine dignum: Relligionum animos nodis exsoluere pergo, (vt ait Lucret.) qui quidem hoc efficere non poterat, quia nihil veri affererat. Nostrum est hoc officium, qui & verum Deum asserimus, & falsos refutamus.* PERGO] cod. Bertin. *pergo*: & item Memmianus mendosè, opinor. PANGO] vt sup. *versibus esse, Quos ego de rerum natura pangere conor.* CONTINGENS] tingens à verbo tingo, seu tinguo, non à tango. Idem infra *Et quasi Musæo dulci contingere melle.* LEPORE] duo lib. manuscr. liquore. NON AB NVLLA RATIONE] hoc loco ab nō tollit aut priuat, sed adiūgit, atque adiūgat, vt locus à frumento copiosus: & à vero sensu in dicas. non ab nulla ratione igitur, id est ab aliqua ratione, quod valet *εὐλόγως*, meritò, cum aliqua ratione, non temerè. SED VELVTI] testem producit hūc versum Non. Marcell. in voce *absinthium*, & in voce *tetra*. Quintilianus porrò lib. 3. in princ. hunc locum respiciens ita scribit. *In ceteris enim admiscere tentauimus aliquid nitoris non iactandi ingenij gratia, &c. sed vt hoc ipso magis alligeremus iuuentutem ad cognitionem eorum, qua necessaria studiis arbitramur, &c. qua ratione se Lucretius dicit præcepta philosophiæ carmine esse complexum. Nanque hæc (vt est notum) similitudine vititur. Ac veluti pueris, &c. vititur eadem similitudine & Themistius in oratione quadam ad Nicome-*

denseis. *εὐμπετέον ἡμῶν τὰς σοφωτέρους τῶν ἰατρῶν: διὰ τὰ μικρότερά τῶν φαρμάκων μέλιτι πῆν κύλινα. ἀειχέλιοντες, πίνεν διδασσι:* quem locum Themistij protulit Muretus Var. lect. lib. 6. cap. 3. Imitandi (inquit Themist.) nobis sunt sapientiores medici: qui medicamenta amariora ægris dant ebibenda, oris poculi melle circumlitis. TETRA] id est amara, vt Non. Marcellus interpretatur. MEDENTES] medici. CONTINGVNT] in quibusd. lib. legitur *Aspergunt*: in nonnullis, *Aspirant*, & ita apud Quintilianum. sed sine dubio mendosè. Nam *aspirant* factum ex *aspergunt*. aspergunt autem credibile est fuisse interpretationem: verbi *contingunt*, ab aliquo studioso ad oram libri ascriptam: deinde postea in contextum translata. DVLGI, FLAVOQVE] epithetis vsus est valde accommodatis. mel enim dulce, & flauum est. DECEPTA QVE NON CAPIATVR] *δὲ μωροῦ*. quale est illud. *cum tacent, dicunt.* quomodo enim qui deceptus est, non capiatur? nisi dicamus deceptam quidem esse puerorum ætatem laborum tenuis, sed iccirco non capi, quia absinthij succo perpotato conualescit. RETROQVE VOLGVS ABHORRET] sic habent omnes libri manuscripti: neque video quam obrem hanc scripturam reicere debeamus. nam *retro abhorre* nihil aliud esse puto, quam horrendo retro cedere, refugere, & reformidare. vt lib. 2. *Aeneid. Obsupruit, retroque pedem cum voce pressit: Impronisum aspris veluti qui sentibus anguem pressit humi nitens, trepidusque repente refugit,* &c. Hom. *ἰλ. γ. παλιν ὀρσοσ ἀπίσιν.* & paullo post, *Α. β. ἀνεχέσθισεν.* libri ferè omnes typis excusi habent, *ideoque volens*, &c. ET QVASI MVSÆO DVLGI CONTINGERE] quidam libri habent *contingere*. QVA CONSTET COMTA FIGVRA] comta, id est prædita, atque ornata. Atque ita scriptum est in quattuor libris manuscriptis, & in Paris. Venetis antiquis, Vicetinis, & quibusdam aliis impressis. in vno scripto, & nonnullis excusis, *qua constet cuncta figura.*

Sed quoniam docui solidissima materiâ

Corpora perpetuò volitare inuicta per æuum:

Nunc age summâ ecquanam sit finis eorum,

Nécne sit, euoluamus: item, quod inane repertu'st,

Seu locus, ac spatium, res in quo quæque genantur,

Peruideamus vtrum finitum funditus omne

Constet: an immensum pateat vel adusque profundum.

Omne quod est igitur, nulla regione viarum

Finitu'st: nanque extremum debebat habere.

Extremum porrò nullius posse videtur

Esse, nisi vltra sit quod finiat, vt videatur,

Quo non longius hæc sensus natura sequatur.

Nunc, extra summam quoniam nihil esse fatendum est,
 Non habet extremum: caret ergo sine, modoque:
 Nec refert quibus adsistas regionibus eius.
 Usque ad eum quem quisque locum possedit, in omneis
 Tantundem parteis infinitum omne relinquit.
 Præterea, si iam finitum constituatur
 Omne quod est spatium: si quis procurrat ad oras
 Vltimus extremas, iaciâtque volatile telum:
 Id validis vtrûm contortum viribus ire,
 Quod fuerit missum manus, longéque volare:
 An prohibere aliquid censes, obstaréque posse?
 Alterutrum fatearis enim, sumâsque necesse est.
 Quorum vtrunque tibi effugium præcludit: & omne
 Cogit ut exemta concedas sine patere.
 Nam siue est aliquid, quod prohibeat, officiâtque,
 Quo minui, quo missu sit, veniat, finique locet se:
 Siue foras fertur, non est ea fini profectio.
 Hoc pacto sequar, atque oras vbicunque locaris
 Extremas, quarum, quid telo denique fiat.
 Fiet uti nusquam possit consistere finis:
 Effugiumque fuga prolatae copia semper.

NUNC AGE SVMMAM ECQUAENAM SIT FINIS EORVM, NECNE SIT, EVOLV: ITEM QVOD INANE, &c.] huc locum in omnibus libris vulgatis deprauatum restitui germanæ scripturæ vestigia secutus in verustis exemplaribus nõ leuiter impressa. Sic enim habet codex Vatic. *Nec si te volumus*: Tethianus & Faern. *Nec si te volumus*. Bert. & Memm. *Nunc age summa quam sit finis eorum, Nec sit euoluamus*. Ex his igitur vitiosis scripturis ad rectam, & veram quasi manu ductus sum: cuius hæc sententia est. Nunc, age, explicemus ecquæ, seu ecqua, id est vtrûm aliqua sit finis summæ corporum primorum, necne sit. RES IN QVO QVAEQVE GENANTVR] sic legendum, non gerantur, aut geruntur. similiter (inquit) peruideamus vtrûm inane, siue locus ac spatium, in quo res quæque gignuntur, sit prorsus finitum, an infinitum. AN IMMENSVM PATEAT VEL ADVSQUE PROF.] sic habent duo lib. manuscripti. Vatic. *pateat ad vsque*. Bert. & Memm. *pateat, vastéque*. OMNE QVOD EST IGITVR] Omne quod est (inquit) id est τὸ πᾶσι,

seu τὸ ὅν, ipsum vniuersum, est infinitum, siue spectes magnitudinem, atque in finitatem vacui, siue primorum corporum multitudinem infinitam. Cuius rei hanc rationem affererat Epicurus. Nam si inane quidem esset infinitum, corpora autem finita: nunquam copulari, aut cohaerescere possent: sed perpetuò in infinito inani dispersa, ac disiecta ferrentur, cum vbi niterentur, aut quibus fulcirentur, aut vnde coërcerentur, plagis, & verberibus iteratis, non haberent. sin corpora quidem essent infinita, inane autem finitum: non haberent corpora infinita, vbi continerentur. Ad huc locum, pertinent, quæ scribit M. Tull. lib. 2. de Diuinatione. *Vidésne Epicurum, quem hebetem, & rudem dicere solent Stoici, quemadmodum quod in natura rerum omne esse dicimus, id infinitum esse conluserit? Quod finitum est (inquit) habet extremum. Quis hoc non dederit? Quod habet extremum, id cernitur ex alio extrinsecus. ne hoc quidem negari potest. at quod omne est, id non cernitur ex alio extrinsecus. nihil igitur cum habeat extremum, infinitum sit necesse est.* Verba Epicuri hæc sunt ex Laërtio. *Ἀλλόμωλον ἢ τὸ πᾶσι ἀπειρον ὄντι. τὸ δὲ πεπερατοῦ ὄντος, ἀπειρον ἔχει. τὸ δὲ ἀπειρον πεπερατοῦ ἢ θεωρεῖται. παρὰ τὸ πᾶσι δὲ ἰδὲν ὄντι. ἕτερον ἀπειρον ἔχει. τὸ δὲ ἐκ τῶν ἀπειρον, πᾶσι ἔχει. πᾶσι ἔχει δὲ ἐκ τῶν ἀπειρον ὄντι.* id est At etiam omne infinitum est. Nam quod finitum est, extremum habet. extremum autem ex alio quodam, seu præter aliud cernitur. at præter omne nihil est. Quate extremum non habet. at quod non habet extremum, finem non habet. quod autem finem nõ habet, infinitum sit oportet. NANCVE EXTREMVM DEBEAT HABERE] cod. Bertin. habet *nancquam*, ex qua scriptura quædam vir doctus legendum putat. *Nam qua*. qua autē, id est aliqua in parte. NISI VLTURA SIT QVOD FINIAT,] id est nisi id quod finiat, sit vltra id de cuius fine aut infinitate queritur. quidam legendum putant *extrâ*. quæ scriptura magis consentanea esset cum verbis Epicuri, & M. Tullij. VT VIDEATUR, QVO NON LONGIVS HAEC] locus obscurus, atque aded corruptus. secutus sum tamen scripturæ veteris auctoritatem: quam sic interpretor: *ut videatur* nempe id extremum quod finiat: *Quo longius*, &c. id est vltra quod, *hæc natura sensus*, id est visus, seu aspectus *non sequitur*, id est non possit vim suam explicare, atque expromere: seu non possit peruenire. *hæc sensus natura* autem *δυνάμει*. Quidam viri docti legendum putant, *Quoad non longius hoc*: id est vsque ad quod extremum, & non longius hoc, *sensus natura* nempe visus perueniat. codices vulgati habent *Quod non longius hæc*. quæ scriptura sine dubio deprauata & corrupta est. NUNC EXTRA SVMMAM QVON.] Nunc hoc loco vim habet aduersandi, vt sæpe alias. ex hoc loco *extra summam* probabilis est eorum coniectura, qui putant paullo antè legendum, *nisi extrâ sit quod finiat*. iam verò mendosè habent quidam libri, *extra summam*. NON HABET EXTREMVM: CARET ERGO, &c.] Ex Epicuro sunt hæc expressa. *ἐκ ἄπειρον ἔχει. ἔδδ δὲ πᾶσι ἔχει*. PRAETEREA SI IAM] liber vnus scriptus habet *Præterea sic iam*. ego tamen nihil muto. SI QVIS PROCVRRAT] sic habent omnes fere libri typis impressi. duo manuscripti, & Aldini antiq. cum Paris. *percurrat*. IACIATQVE VOLATILE] Virg. lib. 4. *Aeneid. liquitque volatile ferrum Nescius*, &c. Idem lib. 8. *Stuppea*

flamma manu, telisque volatile ferrum Spargitur. iaciat telum autem ab otis extremis, aut certe ab eo loco, in quo finem constituerit. ID VALIDIS VTRVM, &c.] sic restitui, hanc scripturam efflagitante sententia, & ipsa veritate. Id telum (inquit) vtrum vis longè volare, magnis viribus, validisque lacertis contortum, an aliquid obstare posse censes? Virg. lib. 2. *validis ingentem viribus hastam Contorsit. QVO FVERIT MISSVM*] eò volare & peruenire, quò fuerit missum. sic autem legendum non, quod fuerit. Sic enim loquitur septimo ab hinc versu infra. *volare autem translate positum est.* Virg. lib. 9. *volat Itala cornus Aëra per tenerum.* Hom. *ἰλιά. γ. ὠπὸ ἐπιαιτο πικρὸς δῖος.* QVORVM VTRVNQVE TIBI EFF.] id est vtruncunque sumseris, effugiendi viam tibi intercludit: vtruncunque dixeris, elabi non potes, ita vt cogaris concedere & fateri omne esse infinitum, seu sine fine in omneis parteis patère. QVOD PROHIBeat, OFFICIAT- QVE, &c.] sic legendum. *prohibeat* autem proceleumaticus est, vt *Genua labent:* & alibi, *Arietat in portas, officiat*, id est obstet. NON EST EA FINI PROPECTO] sic restitui Io. Aurato approbato, atque adeò auctore. sententia autem perspicua est. Siue (inquit) obstet aliquid telo, quo minus eò, quò missum est, perueniat, nempe ad finem: siue foras fertur: profectò non erat is finis, quem esse posueras. nam autem mendum est ex nomine *fini*, in quos elisum est, vt integrum sit, *finis*: & ex voce *profectò*: qua deprauata factum est ab imperitis & indoctis, *profectum*, & ex, *ea*, &. Solet autem Lucretius libenter hoc aduerbium *profectò* usurpare, & in extremo versu ponere, vt sup. *Tactus enim leti omnibus esset causa profectò.* & inf. eod. lib. *Nec quos quaque darent motus pepigere profectò.* & lib. 3. *Nec, quod sub magno scrutentur corpore, quicquam Perpetuam aetatem poterunt reperire profectò.* ibidem. *Hæc neque sunt vsquam, neque possunt esse profectò.* EFFVGIVM QVE FVGAB PROLATET] id est, & vt fugæ copia, id est spatij infinitas perpetuam telo effugiendi, atque euolandi locum præbeat. *prolatere* est amplificare, & porro tenus latius facere.

*Præterea, spatium summæ totius omne
Vndique si inclusum certis consisteret oris:
Finitumque foret: iam copia materiæ
Vndique ponderibus solidis confluet ad immum:
Nec res vlla geni sub cæli tegmine posset:
Nec foret omnino cælum, neque lumina solis:
Quippe vbi materies omnis cumulata iaceret
Ex infinito iam tempore subsidendo.
At nunc nimirum requies data principiorum
Corporibus nulla est: quia nil est funditus immum:
Quò quasi confluere, & sedes vbi ponere possint:*

Semper

*Semper & adsiduo motu res quaque genuntur
Partibus in cunctis, aternæque suppeditantur
Ex infinito cita corpora materiæ.*

Postremò ante oculos rem res finire videtur:

Aër dissepit colleis, atque aëra montes:

Terra, mare, & contrà mare terras terminat omneis.

Omne quidem verò nihil est, quod finiat extrà.

Est igitur natura loci, spatiumque profundi:

Quod neque clara suo percurrere flumina cursu

Perpetuo possint cui labentia tractu:

Nec prorsum facere, vt restet minus ire meando.

Vsque adeò passim patet ingens copia rebus

Finibus exemptis in cunctas vndique parteis.

CONFLVXET] confluxisset: cuiusmodi sunt illa apud Virg. *vixet pro vixisset, exstinxem pro extinxisset*, apud Horat. *erepsensus pro erepsissensus, dimisse pro diuississe, euasti pro euassisset*. apud hunc eundem *consumse pro consumsisse*: & alia sexcenta. NEC RES VLLA GENI] sic restitui, reclamantibus quidem omnibus codicibus: sed peruincente veritatis voce. *geni* autem valet gigni, vt sæpe iam admonui. SVB CAELI TEGMINE] sub cælo. M. Tull. in Arato *Inde est ales avis lato sub tegmine cæli.* QVIPPE VBI] quippe quia. GENVTVR] gignuntur. SVPPEDITANTVR] *προειλεγται*: suggeruntur, & sufficiuntur ad res gignendas. POSTREMO] argumentum à dissimili noto, & confesso. aër quidem môteis terminat, & montes aëra, & ita de ceteris: sed omne nulla re extrinsecus terminari potest, cum extra omne nihil sit: vel dic esse argumentum à simili hoc modo: si omne esset finitum, necesse esset id ab aliqua re externa terminari, quemadmodum, quæ in promptu sunt, aër monteis terminat, montes aëra finiunt, terra mare, & mare terram: sed nihil est extrà quod omne terminet: ergo omne est infinitum. VT RESTET MINVS IRE MEANDO] nec possunt facere flumina meando, id est fluendo, & labendo, vt minus viæ restet. in quibusd. codicibus. legitur *percurrere flumina cursu*. quam scripturam non probo.

*Ipsa modum porrò sibi rerum summa parare
Ne possit, natura tenet: quia corpus inani,
Et quod inane aut est, finiri corpore cogit:
Vt sic alternis infinita omnia reddat.
Aut si, etiam alterutrum si terminet alterum eorum,*

M

Simplicem naturam pateat tamen immoderatum:
 Nec mare, nec tellus, nec cæli lucida templa,
 Nec mortale genus, nec diuina corpora sancta
 Exiguam possent horam sistere tempus.
 Nam dispersa suo de cœtu materiai.
 Copia ferretur magnum per inane soluta:
 Sine adeo potius nunquam concreta creasset
 Vllam rem, quoniam cogi dissecta nequisset.
 Nam certe neque consilio primordia rerum
 Ordine se quæque, atque sagaci mente locarunt:
 Nec quos quæque darent motus pepigere profecto:
 Sed quia multa modis multis mutata per omne
 Ex infinito vexantur percita plagis:
 Omne genus motus, & cœtus experiundo,
 Tandem deueniunt in talis disposituras,
 Qualibus hæc rebus consistit summa creata:
 Et multos etiam magnos seruata per annos,
 Ut semel in motus coniecta sit conuenienteis,
 Efficit, ut largis avidum mare fluminis undis
 Integrent amnes, & solis terra vapore
 Fota nouet fetus, summissaque gens animantium
 Floreat, & viuant labentes ætheris ignes.
 Quod nullo facerent pacto, nisi materiai.
 Ex infinito suboriri copia posset.
 Unde amissa solent reparari in tempore quoque:
 Nam veluti priuata cibo natura animantium
 Diffluit amittens corpus: sic omnia debent
 Dissolui, simul ac defecit suppeditare
 Materies recta regione auersa viai.
 Nec plaga possent extrinsecus vndique summam
 Conseruare omnem, quæcunque est conciliata.
 Cudere enim crebro possunt, partemque morari,
 Dum veniant alia, ac suppleri summa queatur.

Interdum resiliere tamen coguntur, & vna
 Principiis rerum spatium, tempusque fugam
 Largiri, ut possint à cœtu libera ferri.
 Quare etiam atque etiam suboriri multa necesse est,
 Et tamen ut plaga quoque possint suppetere ipsæ,
 Infinita opus est vis vndique materiai.

IPSA MODVM PORRO] natura (inquit) impedit, quo minus summa rerum sibi modum, seu finem comparare possit, propterea quod inane corpore, seu pleno terminatur: corpus seu plenum inani. Nam (vt dicebat Epicurus) τὸ πᾶν ἀπειρὸν ἐστὶ τῶν τε πλῆθει τῶν χωρῶν τε, καὶ τῶν χρόνων, id est omne, seu vniuersum, infinitum est & multitudine corporum, & magnitudine inanis. AVT SI ETIAM ALTERVTRVM SI TERMINET ALTERVTRVM EORVM, SIMPL. NATVRA PATEAT TAMEN IMMOD.] Si quis locus est in hoc libro difficilis, & obscurus, hic est: neque fortasse mendo vacat. Ioannes Auratus homo acerrimi iudicij, idemque amicus, & collega meus, putabat priorem quidem verum sic esse legendum, vt legitur in vulgatis: Aut etiam alterutrum nisi terminet alterum eorum: posteriorem sic: Simplicem naturam pateat totum immoderatum: (nam in vulg. legitur tantum) vt per totum intelligamus τὸ πᾶν, quod aliàs appellat, omne: immoderatum autem simplicem naturam, id est infinitum vna natura, videlicet inani: Sed libri omnes manuscripti habent, pateat tamen: neque habent copulationem &, post vocem natura: & ita vulgati Paris. Veneti, Vicetini. cuius scripturæ rationem explicare non possum, nisi quis dicat ita legendum in priore versu, vt nos excudendum curauimus, Aut si, etiam alterutrum si terminet alterum eorum, Simplicem naturam pateat tamen immoderatum: hac sententia. Aut si, etiam si alterutrum terminet alterum eorum, pateat tamen immoderatum simplicem naturam, id est inane tamen sit infinitum vnica natura, hoc est corpora prima non sint infinita, sed inane duntaxat sit infinitum, &c. Sed quomodo si alterutrum ab altero vsque ad infinitum, terminatur, potest esse alterum duntaxat infinitum? Omnino locus est mihi quidem inexplicabilis, neque habeo, quod afferam, quicquam melius. scripturam igitur quæ reperitur in omnibus libris vulgatis, quod ad priorem verum attinet, videamus, eamque sic interpretemur: Aut etiam nisi alterutrum alterum eorum terminet, & si immoderatum simplicem naturam, id est spatium immentum vnica natura tantummodo pateat, quod est dicere, si inane duntaxat sit infinitum, corpora autem prima sint finita: nec mare, nec, &c. Atque hanc huius implicatissimi loci explicationem probabat Muretus. ego alteram magis probo. Sic autem vsurpauit vocem immoderatum M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. Vides sublime fufum, immoderatum æthera, Qui tenero terram circumuectu amplectitur. NEC CAELI LVCIDA TEMPLA] Ennius apud M. Tull. lib. 2. de diuin. Quamquam multa manus ad cæli cœnula templa Tendebam lacrymans. SIVE ADEO POTIVS] διόδωτος. quid dixi futurum

fuisse, vt copia materia de suo cœtu & cœcilio depulsa per inane immensum differretur: immo verò nunquam quicquam cōgrediendo genuisset: ratio est in promptu: quoniam si inane duntaxat esset infinitum, prima autem corpora finita: nunquam illa congrēdi, nūquam cohærere potuissent, sed per infinitum inane dispersa vagarentur. QVONIAM COGI DIS- IECTA] id est quoniam cum materia esset disspata & distracta, in vnum conuenire, & conciliari non potuisset. NAM CERTE] occupatio diceret enim aliquis, at mens, aut Deus posset materiam disspatam colligere, & congregare, & ita res creare. hoc negat, & refellit Lucretius ex Epicuri sententia. ORDINE SE QVAEQVE, ATQVE SAGACI] hanc scripturam traxi ex quattuor manuscr. codicibus leui immutatione facta, longe (opinor) vulgata meliorem, &, nisi fallor, veram, & rectam. Ordo autem verborum, & sententia hæc est. nam certè neque primordia rerum se queque ordine locarunt consilio, id est consultò, atque sagaci mente, neque pepigere, &c. sic autem habent lib. manuscr. Ordine se suo quæque, atque sagaci mente locarunt. VEXANTVR PERCITA PLAGIS] Democritus dicebat *κινῆται τὰ σώματα καὶ τὰ ἀλλήλων τῶν ἐπιπέδων*, id est moueri corpora prima in infinito plagis mutuis ac reciprocis. Sic M. Tull. de Epicuro lib. 1. de Finibus. *Censet in infinito inani, in quo nec summum, nec infimum, nec medium, nec vltimum, nec extremum sit, corpora indiuidua ita ferri, vt concursibus inter se cohærescant*: quem locum supra protuli. sed non dissimulabo in codicibus duobus manuscriptis, Faëni, Tethij, scriptum esse, *versantur perc. pl.* AVIDVM MARE] Horat. auarum appellat. INTEGRENT AMNES] sic legēdum. & ita scriptum est in quinque lib. manuscr. VAPORE] id est calore, vt sæpe aliàs. & ita Virg. & Horat. non semel. VIVANT] tralatio est ab animatis ad ignem admodum vsitata scriptoribus omnibus Græcis ac Latinis. Horat. od. 21. lib. 3. *viuâ que producit lucernâ, Dum rediens fuget astra Phœbus*. Sic Græci scintillam *ζόπιον* id est ignem viuum, seu ignis vitam, & *ζωπυριον* apud illos valet ignem excitare. SYBORIRI] in locum decedentium, aut pereuntium oriri, & quasi subuenire, atque in subsidium oriri. VNDE AMISSA SOLENT REP. IN TEMPORE QVOQVE] huius scripturæ sententia non est obscura. hoc enim per eam significatur, materia copia in locum eius, quæ defluit ex corporibus compositis, & rebus genitis, suborientē, in quoque tempore ea quæ sunt amissa reparari, ac resarciri. proximè autem accessit ad scripturam veterem. Nam in libris manuscriptis ferè omnibus legitur partim in tempore quæque: partim in tempore quoque: in plerisque autem impressis, in corpore quæque: ex qua lectione quidam legi volunt in corpore quoque: id est in quaque re genita corporea. Quod si quis malet legi, reparari corpora quæque, vt quidam vir doctus, non repugnabo: ego tamen vel eam quam secutus sum, & antiquam tutiorem esse puto: vel hanc in corpore quoque. AMITTENS CORPV] sic loquitur M. Tull. lib. 7. epist. ad Gallum. *Ego hic cogito commorari, quoad me resciam. Nam & viuis, & corpus amisi*. DEFECIT] desit. RECTA REGIONE AVERSA VIA] sic restitui aliorum locorum similitum testimonio vsus lib. 2. *Sed nihil omni-*

no recta regione via] Declinare quis est, qui possit cernere, sese idem lib. 4. *Eicit enim sulci recta regione, viaq, Vomerem, atque locis auertit seminis iclum*. sic Virg. lib. 2. *Æneid. nota excedo regione viarum*. Idem lib. 7. *Nec sidus regione viae, litiusve fefellit*. NEC PLAGAE POSSENT] sic habent aliquot libri typis excusi, & duo manuscr. alij, *possunt. ego possunt* nō improbo: & ita hi duo versus pendebunt ex superioribus. hoc modo. Nec simul ac materia defecit, plagæ possunt extrinsecus summam conseruare. *possent*, etiam legere liceret: itaque sententia aperta hoc modo: nec plagæ possent, &c. si materia deficeret. PARTEM QVE MORARI] quidam libri habent *partimque morari*. CONCILIATA] id est congregata, coacta, congressa. QVE ATVR] suppleri queatur. sic loquebantur veteres. Plautus Saryrione. *rettrabi nequitur*, quoquo progressa est *semel*. Cato lib. 1. Orig. *sana in eo loco compluria fuit. ea exanguravit, præterquam, quod Termino sanum fuit, id nequitum exangurari*. Pacui. *si qua potestur inuestigari via*. M. Tull. epist. lib. 9. ad Papir. *qui primus Papisus est vocari desitus*. Idē alibi: *nunc de rep. consuli cæpti sumus*. Virg. li. 7. *Quod fieri ferro, liquidòve potestur electro*. Idē Lucret. lib. 3. *Quod tamen expleri nullatione potestur*. suppleri autē, id est aliis corpusculis succedētib; redintegrari, atq; expleri: ex quo verbo, supplementū natū est. CŌGVNTVR] plagæ. VT POSSINT] principia rerū, & corpora prima. nō enim omnia corpora prima, cum omnibus cohærere & copulari possunt. ea igitur, quæ cum aliquibus cohærere nō possunt, à cœtu & concilio libera feruntur, & vagantur, donec cum aliis copuletur. Præterea ex rebus genitis quotidie, atq; ad eò singulis horarum momentis corpora prima decedunt, neque perpetuò cum iis, quibus cum semel coiuerint, cohærescunt. ACŌRTVR] à cōgressu. ET TAMEN VT] nam nisi corpora prima sint infinita, perpetuæ plagæ suppetere nequeant. INFINITA OPVS EST VIS, &c.] opus est vis, genus loquēdi bonis scriptoribus vsitatum: sic lib. 3. *Materies opus est*.

*Illud in his rebus longè fuge credere, Memmi,
In medium summa (quod dicunt) omnia niti,
Atque ideò mundi naturam stare sine vllis
Ictibus externis, neque quoquam posse resolui
Summa atque ima, quòd in medium sint omnia nixa,
Ipsam si quicquam posse in se sistere credis:
Et quæ pondera sunt sub terris, omnia sursum
Nitier, in terrâque retrò requiescere posta:
Vt per aquas quæ nunc rerum simulacra videmus.
Et simili ratione animalia subitū vagari
Contendant, neque posse è terris in loca cæli
Reccidere inferiora magis, quàm corpora nostra*

Sponte sua possint in caeli templa volare:
 Illic cum videant solem, nos sidera noctis
 Cernere, & alternis nobiscum tempora caeli
 Diuidere, & noctes parileis agitare, diésque.
 Sed vanus stolidis hæc omnia finxerit error:
 Amplexi quod habent peruersè prima via.
 Nam medium nihil esse potest, ubi inane, locusque
 Infinita: neque omnino, si iam medium sit,
 Possit ibi quicquam hac potius consistere causa,
 Quàm quavis alia longè regione manere.
 Omnis enim locus, ac spatium, quod inane vocamus,
 Per medium, per non medium concedat oportet
 Aequè ponderibus, motus quacunque feruntur.
 Nec quisquam locus est, quod corpora cum venère,
 Ponderis amissa vi possint stare in inani.
 Nec quod inane autèst, illis subsistere debet,
 Quin, sua quod natura petit, concedere pergat.
 Haud igitur possunt tali ratione teneri
 Res in concilio mediæ cuppedine victæ.
 Præterea quoniam non omnia corpora fingunt
 In medium niti, sed terrarum, atque liquorum,
 Humorem ponti, magnisque è montibus undas,
 Et quasi terreno quæ corpore contineantur:
 At contra tenuis exponunt aëris auras,
 Et calidos simul à medio differri igneis,
 Atque ideò totum circumtemere æthera signis,
 Et folis flammam per calicæ carula pasci,
 Quod calor à medio fugiens ibi colligat igneis.
 Quippe etiam vesci è terra mortalia secla:
 Nec prorsum arboribus summos frondescere ramos
 Posse, nisi à terris paulatim cuique cibatum
 Terra det: at supra circumtegere omnia cælum,
 Ne volucrum ritu flammarum mœnia mundi

Diffugiant subito magnum per inane soluta,
 Et ne cetera consimili ratione sequantur:
 Nève ruant cæli tonitralia templa superne,
 Terræque se pedibus raptim subducant, & omnes
 Inter permistas terræ, cælique ruinas
 Corpora soluentes, abeant per inane profundum,
 Temporis ut puncto nihil extet reliquiarum,
 Desertum præter spatium, & primordia ceca.
 Nam quacunque prius de parti corpora cesse
 Constitues, hæc rebus erit pars ianua leti:
 Hæc se turba foras dabit omnis materia.
 Hæc si pernosces parua perfunctus opella,
 (Nanque alid ex alio clarescet,) non tibi cæca
 Nox iter eripiet, quin vltima naturæ
 Peruideas, ita res accendent lumina rebus.

TELVD IN HIS REBVS] Peripateticorum, & veterum Academi-
 corum & Stoicorum, & omnium denique, qui vnum mundum, eumque
 finitum esse volunt, hæc sententia est, omnia graua in medium ferri, leuia
 à medio ad extremum: Epicurus autem & ceteri, qui mundos censent esse
 innumerabiles, & omne infinitum: neque extremum, neque medium esse
 concedunt. Ita eorum ratione neque graua in medium, neque leuia ad ex-
 tremum mouentur. M. Tull. lib. 2. de nat. deor. Omnes enim partes mundi vir-
 dique medium locum capeffentes nituntur æqualiter. maxime autem corpora inter se
 iuncta permanent, cum quodam quasi vinculo circumdata colligantur: quod facit ea
 natura, quæ per omnem mundum omnia mente & ratione consciscens funditur, & ad
 medium rapit, & conuertit extrema. OMNIA] graua: nam sic definit Arist.
 graue lib. 1. de cælo: quod suaapte natura ad mediũ fertur: leue, quod à me-
 dio. NITI] incumbere, vergere. MUNDI NATVRAM] sicut. SVB
 TERRIS] sub medio terrarum puncto, quod centrum appellant. SVR-
 SVM] ad punctum medium: quod tamen Aristoteli est deorsum ferri.
 IN TERRAQUE RETRO REQUIESCERE POSTA] sic habent
 quinque lib. manuscr. & ita legendum, non vt in vulgatis in terræque retro
 requiesse reposta. RETRO] πάλιν, contra. ANIMALIA SVB TV VA-
 GAR] magna est hoc loco scripturæ varietas. in aliis enim codicibus scri-
 ptum est supra vagari, in aliis cuncta vagari, in aliis suaapta, in aliis suaapte. ego
 subtm' reposui: quæ lectio perspicue recta, & vera est. subtm' autem, id est
 sub pedibus nostris, & sub medio terræ puncto, in regione ἀπὸ τοῦ ποδῶν, &
 ἀπὸ τοῦ ποδῶν. RECEIDERE] sic lib. Paris. & Veneti antiquiores, à quibus

non discrepant manuscripti. **INFERIORA**] id est quæ loca sunt nobis inferiora: sed animalibus illis antichonibus, atque antipodibus superiora. contendunt (inquit) ea animalia, quæ sub pedibus nostris viuunt, nihilo magis recidere posse in cælum, quod est nobis inferius, quam nos possimus sponte nostra in cælum nostri hæmisphærij volare. **CAELI TEMPLA**] sic supra, *nec cæli lucida tēpla*. **ILLIC CVM VIDEANT SOLEM**] quattuor libri manuscripti habent *illi*. *illi* autem, si hæc scriptura placet, positum puto pro *illuc*, vt apud Terent. Phorm. *Incevea dum sedemus illi, interuenit adolefscens quidam*. ego tamen vulgatam scripturam secutus sum suspicatus. c. litteram vocis antecedentis postremam à librario esse omissam propter similem primam vocis subsequenti. quod sæpe reperimus factum in libris manuscriptis: cuiusmodi est illud apud Horat. saty. 3. lib. 2. *Qui species alias vert, scelerisque tumultu permixtas capiet*. vbi ego verissima & certissima cōiectura ductus, restitui *Qui species alias veris*, id est differēteis à veris. hoc igitur sentit Lucret. contendunt ij de quibus loquimur, cum homines, qui sub pedibus nostris viuunt, solem vident, id est cum eis dies est, nos sidera cernere, id est nobis esse noctem. **ET NOCTEIS PARILEIS AGITARE, DIES QVE**] sic omnes ferè vulgati, & nonnulli manuscripti habent, plures tamen item manuscripti, *parileis agitare diebus*: quibuscum congruunt Parisienses. ego tamen alteram scripturam potius secutus sum, quia videtur hoc dicere Lucret. eos homines qui sub pedibus nostris habitant, dies & nocteis nobis, seu nostris diebus ac noctibus, pares atque æquales agere, **SED VANVS STOL. HAEC OM. FINXERIT ERROR**] sic habent tres libri manuscripti: vulgati autem ferè omnes *parturit error*. à duobus aliis manuscriptis absunt sex versus, qui deinceps sequuntur. *finxerit* autem interpretor, fingendi ausam & causam præbuerit, & præbuisse credibile est. **AMPLEXI QVOD HABENT**] id est quia amplexi sunt, & tenent peruersè prima elementa, & primas vias naturæ inuestigandæ: quia statim ab initio non sunt ingressi veram naturæ cognoscendæ viam, sed longè diuersam. iam verò *amplexi habent* sic dictum vt à Virgil. lib. 2. *Æneid.* & *diuinum amplexæ simulacra tenebant*: & ab ipso Lucret. lib. 6. *Semina habent ignis redæ, stuppæque tenentes*. Neque enim probo lectionem vulgatam *Amplexi quod habent*, &c. *prima viæ* autem sic dictum, vt *ultima naturæ, abdita templi, acuta belli, abdita terræ, cærule cæli*, & similia. **NAM MEDIUM NIHIL**] *μέσον* (inquit Arist. lib. 4. de cælo, *ἐναντίον τῶ ἐξέταφ*), id est contrarium vltimo est. itaque si non est extremum, nec medium est. **QVAM QVAVIS AL. I. REGIONE**] nec si demus esse medium, (inquit) propter hanc causam in medio potius, quam in quouis alio loco quicquam consistere queat. corruptè habent libri quidam typis excusi, *alia longè ratione*. **CONCEDAT OPORTET AEQVE**] *concedat*, id est cedat. *æquè*, id est æqualiter. malè autem in vulgatis libris legitur, *Æquis pōderibus*. Nam præter auctoritatem veterum codicum, ex illo loco, qui est lib. 2. intelligere licet, hîc quoque legendum *Æquè*, non *æquis*. *Omnia quæ propter debent per inane quietum Æquè ponderibus non æquis concita ferri*. **MOTVS QVAC. FER.]** quidam vir doctus putat legendum, *ponderibus motis quacunque feruntur*.

feruntur. feruntur autem videlicet *pondera*. quidam, *motu quacunque feruntur*. **NEC QVIS QVAM**] id est nec quisquam locus inanis est, ad quem cum corpora peruenerunt, possint in eo inani stare tanquam pondere spoliata: nec verò inane corporibus subsistere vilo modo potest. **SUBSISTERE**] id est fundamenti loco esse, fundamenti vicem præbere, *ἐπιταξ*. sic lib. 2. *At contrà nulli de nulla parte, nec vilo Tempore inane potest vacuum subsistere rei*. **QVINSVA QVOD NAT. PETIT,**] id est, quin potius semper concedat, id est cedat, & viam, ac locum det corporibus: quod ipsius natura petit, ac postulat. **IN CONCILIO**] id est in congressu, in cœtu. **CUPPEDINE**] id est cupidine. **PRAETEREA QVONIAM, &c.]** si quis hunc locum vsque ad extremum attentè legat, non erit ei fortasse facile, quò referatur, & quam quasi *ἐν τῶ πρόδοτον* habeat, videre. Omnino nisi dicamus pendere è superioribus illis, *Sed vanus stolidis*, &c. hoc modo, *Amplexi quod habent peruersè prima viæ, &c. Præterea quoniam, &c.* **SED TERRARVM, ATQVE LIQVORVM**] tres lib. manuscripti. *sed terrarum atque liquoris*, vt legendū fortasse sit, *sed terræ, atque liquoris*. **EXPONUNT**] dicunt. **DIFFERRIER**] dissipari, dispergi, vt lib. 2. *Scintillas agere, & latè differre fauillam*. **CAELI CAERULA**] lib. 5. *cærule ponti*. & ibid. *cærule mundi*. **ET SOLIS FLAMMAM PER CAELI CAER. PASC]** (sup. *unde atber sidera pasci?* & lib. 5. *Quò cuiusque cibus vocat, atque inuitat cunctis*). **QVIPPE ETIAM**] quidam putant esse Lucretij verba ostendentis philosophos illos etiam in eo errare, quòd non omnia corpora fingant in medium niti, sed corpora terrarum, atque aquarum duntaxat. nam etiam corpora grauia (inquit Lucret.) videmus quodammodo sursum ferri, quando animalia mortalia è terra vescuntur, &c. Sed videtur potius eorum philosophorum esse ratio, per quam dicant leuia corpora, vt flammæ, & vapores sursum ferri, itque solè, & sidera pasci. Omnino locus est mihi quidem difficilis, atque obscurus. **MOENIA MVNDI**] id est ambitus mundi. metaphora. **CONSIMILIRATIONE SEQVANTVR**] secutus sum fidem quattuor librorum manuscriptorum, quibuscum faciunt cod. Veneti antiquiores & Parisienses. nam ceteri vulgati habent, *ferantur*. **TONITRALIA**] sic habent quattuor libri manuscripti: quos secutus sum. nam vulgati habent *penetrabilia*. *tonitralia* autem interpretor loca in quibus fit tonitru: *βρονχία* Græci nominant: vel in quibus habitat is qui tonat, Deus. **RAPTIVM**] id est rapiens in modum, seu celeriter, vt sup. *nil ab se quod possit mittere raptim*. Horat. epist. 2. lib. 2. *Exiguo, gratoque fruaris tempore raptim*. **SVDVCA T]** subtrahat. Virg. Menalca. *Et succus percipi, & lac subducitur omnis*. idem lib. 3. *Æneid.* *Tollimur in cælum curuato gurgite, & iidem Subducta ad maneis imos descendimus vnda*. **ET OMNES INTER PERM. TERRAE CAELI QVE**] hunc locum restitui coniectura ductus, ab vno tamen codice veteri adiutus, in quo vox *rerum* erat aliena manu scripta, & tota in litura merfa. sententia autem verborum hæc mihi videtur esse: & ne homines soluentes inter cæli, & terræ ruinas, corpora prima, ex quibus constant, id est in sua principia resoluti, abeant per inane profundum, quidam tamen *soluenteis* legunt casu quarto, vt coniun-

gatur cum voce *rimas*. vulgata autem scriptura *rerum, celsaque*, mihi nullo modo probatur. nam rerum appellatione etiam celum continetur. DE PARTI CORPORA CESSÉ] sic restitui ab vno codice manuscripto admonitus in quo scriptum erat, *corpora adesse*, nō sine litura: suspicatus primum scriptorem librarium peccasse quod vocalem a. bis scripserit, hoc modo *corpora acesse*, deinde supra litteram c. ab homine qui vocē *acesse* Latinam non esse videret, sed mendum tollere nequireret, d. positum esse: vt legeretur *adesse*: deinde ex illo verbo corrupto *acesse*, seu *adesse*, seu *adesse* factum *deesse* cum esset potius *cesse* reponendum: quod nos fecimus. Iam hoc *cesse* coniungo cum præpositione *de*, quæ antecedit, vt sit *decesse*, pro *decesse* sic. sic infra lib. 2. *Propterea quæ, quæ decedunt corpora cuique, Vnde abeunt, minuunt.* & lib. 3. *Aut aliquo cum iam succus de corpore cessit.* IANVA LETI] id est causa interitus: metaphora est. sic lib. 3. *Haud igitur lethi præclusa est ianua menti.* & lib. 5. *Haud igitur lethi præclusa est ianua celo.* Virg. Æn. 2. *pateet isti ianua leto.* sic Arnob. lib. 2. aduersus gentes. *Omnis enim passio, lethi atque interitus ianua est,* &c. PARVA PERFUNCTVS OPELLA] hæc est sine dubio vera, & germana scriptura à me restituta. ita autem Latini loquuntur *perfungi opera, labore, periculo.* Iam vox *opella* ab *opera* diminuta est: Horat. epist. ad Mæcen. 2. lib. 1. & *opella forensis Adducit febris.* ALID] aliud, vt sup. VLTIMA NATVRAI] *ultima naturæ, vt prima viæ* supra. vltima autem naturæ intellige vltimas seu primas naturæ causas.

DIONYS. LAMBIVS P. RONSAR-
do poëtarum Gallorum principi.



V M primum T. Lucretij Cari librum de natura rerum Errico Mæmmio propter grauissimas, & iustissimas causas dicassem, Ronsarde, hunc secundum me tibi donare debere non leuioribus causis adductus iudicavi. Primum enim poëtarum Gallorum sine controuersia princeps es, & habetis. Deinde quemadmodum noster Lucretius Latinorum primus naturam rerum, & philosophiam (mitto dicere quam: do etiam delirantem, & in multis impiam) Latinis versibus, iisque ornatissimis, ac politissimis illustravit: ita tu per amœnissima omnium poëtarum Græcorum, ac Latinorum nemora diu peruagatus, atque ex eorum liquidissimis, & purissimis fontibus infinita rerum nostris hominibus inauditam vbertate, hausta ea poëmata sermone Gallico in vulgus edidisti, quæ Homeri, Hesiodi, Pindari, Anacreontis, Apollonij, Theocriti, Callimachi, Virgilij, Horatij, Tibulli, Propertij, Ouidij, & ceterorum mundus, & præcipua redolent. Huc accedit, quod ego paullo te natu grandior te adolescentem (vt probe meminisse potes) ad Græcarum litterarum studia, quauis currentem, incitavi: tibi etiam (vt ipse prædicare soles) in scriptoribus Græcis ac Latinis versanti, quasi lumen sæpe prætuli. Deinde tu me elegantissimo quodam, & propè diuino carmine, quod immortale cum ceteris tuis scriptis, futurum esse confido, amplissime ornasti, memoriæque sempiternæ commendasti. Postremo amicitiam nostram ex optimis initiis ortam, & profectam cum absente me, assidua mei recordatione aluisti: tum post longinquas, & diuturnas peregrinationes meas patriæ reddito, plurimis, & illustribus amoris signis, summiisque erga me studiis amplificasti, atque auxisti. His igitur causis impulsus hunc secundum librum, in quo de primorū corporum motu, de figuris eorū varijs, & tamē finitis, numero infinito, natura simplicissima, omniumque colorum, atque adeo omnium primarum qualitatū experte, de mundis innumerabilibus, qui fortuito illorum corpusculorum concursu (rideamus licet Epicuri deliria) & oriuntur, & intereunt, hunc (inquam) librum amicitiae nostræ testem futurum sempiternum tibi libens, atque ex animo dono.

T. LVCRETII CARI
DE RERVM NATVRA,
LIBER SECVNDVS.



Vane, mari magno turbantibus æquora vêtis,
E terra magnum alterius spectare laborem.
Non quia vexari quenkua' st iucunda vo-
luptas,
Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere
suaue st.

Suaue etiam belli certamina magna tueri,
Per campos instructa tua sine parte pericli:
Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere
Edita doctrina sapientum templa serena:
Despicere vnde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palanteis quærere vitæ,
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Nocteis atque dies niti præstante labore
Ad summas emergere opes, rerumque potiri.
O miseris hominum mentibus, o pectora cæca:
Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periculis
Degitur hoc æui, quodcunque est! nonne videtis
Nil aliud sibi naturam latrare, nisi vt cum
Corpore seiunctus dolor absit, mente fruatur
Iucundo sensu, cura semota, metûque?
Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
Esse opus omnino, quæ demant quenque dolorem.
Delicias quoque vti nullas substernere possint:
Gratius interdum neque natura ipsa requirit.
Si non aurea sunt iuuenum simulacra per ædeis
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis vt suppeditentur,

Nec domus argento fulget, aurôque renidet,
Nec citharis reboant laqueata, auratæque templa:
At tamen inter se prostrati in gramine molli,
Propter aquæ riuum, sub ramis arboris altæ
Non magnis opibus iucundè corpora curant,
Præsertim cum tempestas arridet, & anni
Tempora conspergunt viridanteis floribus herbas.
Nec calidæ citius decedunt corpore febres,
Textilibus si in picturis, ostrôque rubenti
Lactæris, quàm si plebeia in veste cubandû st.

SVAVE MARI MAGNO, &c.] Videntur hæc ex illis Menandri sumpta, Ως ἴδι πῶ δάλατον ἀποθεῖν γῆς ὄρα, ὡ μῦτες ἔστι μὴ πλέοντα μῦδα μῦς: id est quàm suaue est, mater, procul è terra mare cernere, non nauigantem. non dissimile est illud Oppiani βιβλ. ε' ἀλλοῖσι. ἀλλὰ δάλασσα χεῖρε μοι ἐν γαίης, ἔκασθεν δὲ μοι ἡ πῶς εἶνε: id est At mare salue Ex terra mihi, longè autem mihi proprium sst. eodem pertinent illa M. Tull. lib. 2. epist. ad Attic. Nunc verd cum cogar exire de nauis non abiectis, sed ereptis gubernaculis, cupio istorum naufragia ex terra intueri: cupio, vt ait tuus amicus Sophocles, ἡ ἰσθμὸς στυγὴ πικρῆ Πικρῆς ἀκῶσαι Ἰεράδος ἐν δέσῃ φρενί. quem Sophoclis locum profert Stobæus ex Tympanist. paulo integriorem. πῆ τέτυ χάρμα μείζον ἀν λάβοις ποτὲ τῆ γῆς ἐπιλάωσασθ' ἰσθμὸς στυγὴ πικρῆ Πικρῆς ἀκῶσαι Ἰεράδος ἐν δέσῃ φρενί; id est quàm maiorem animo læritiam percipere queas, quàm terra potientem sub denso tecto imbrem crebrum audire mente quieta, & tranquilla? E TERRA MAGNUM ALT.] hunc versum testem producit Nonius Marcell. TVA SINE PARTE PERICLI] securus sum scripturam quattuor librorum manuscriptorum, quibus cum cõsentiant libri Parisienses, Aldini & Vicetini: atque hanc lectionem longè anteponunt vulgata: viri doctissimi: in his M. Antonius Muretus. vulgati autem habent tui sine parte pericli. BENE QVAM] ordo verborum est. quàm tenere edita templa, id est altas arceis benè munitas sapientum doctrina. tralatio est perpetua. DESPICERE VNDE] ex quibus templis, seu arcibus possis deorsum aspicere, &c. hoc enim propriè valet verbum despicere: Virg. lib. 1. Æneid. Despicens mare veliuolû, terrâsque iacentes. Et despectare. idem Virgil. lib. 10. Ille sedens victor flammâs despectat quanteis. sic & despectus, est è loco superiore aspectus. Cæf. lib. 2. de bello Gall. quod oppidû cum ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes, despectusque haberet, &c. PALANTEIS] vaganteis. palantis enim non patrij casus est, sed accusandi, numeri multitudinis. O MISERAS HOM.] Luctat. Firm. profert hos versus lib. 1. instit. sed legit O stultas hominum, &c. DEGITVR HOC ÆVI] apud Nonium Marcellum sic legitur hic versus, Degimus hoc æui, &c. NONNE VIDETIS, &c.] sic omnes libri vul-

gati: Veteres autem, & manuscripti ferè omnes, *nonne videre est, &c.* [LATERARE] id est poscere. Festus. *Latre Ennius propositere posuit.* NISI VTCUM CORPORE SHVNCTVS, &c.] hæc est recta & germana scriptura, quam partim coniectura, partim ex auctoritate trium librorum manuscriptorum restitui. Ordo autem & sententia horum verborum est, nonne videtis, seu nonne videre est, naturam nihil aliud sibi latrare, hoc est poscere, nisi ut cum dolor absit à corpore, etiam mente fruatur iucundo sensu, id est voluptate, semota ab omni cura, & metu? Omnes igitur libri manuscripti habent *mente*, sine vlla varietate: quibuscum congruunt nonnulli typis excusi, ut Parisienses, Veneti antiq. Vicetini. in eò autem dissentiunt & hi ab illis, & illi inter se, quòd alij habent *nisi ut qui*, alij *nisi ut cui*, alij *nisi vique*. ego ex *cui feci cum*. Iam participium *semota* refero ad vocem *natura*. Quòd si quis contenderet legendum esse, *nisi ut cui*, quemadmodum habent nonnulli typis impressi, & Vaticanus, & Memmianus, non pugnabo: sed participium *semota* quò sit referendum non video. nam cum voce, *natura* non facile poterit còherere, propter relatiuum *cui*, & propter eius antecedens, quòd subintelligitur, hoc modo, nisi ut is, cui absit dolor à corpore seiunctus, fruatur &c. Itaque qui hanc scripturam probabit, necesse etiam habebit ex participio *semota*, facere *semotus*, aut *semota*. quòd quibusdà viris doctis non displicet. Docet autem hoc loco Lucretius finè bonorum esse frui voluptate, & dolore carere. quòd probabat Epicurus, ut apparet ex M. Tull. lib. 1. de Finib. vbi Torquatus ostendit *Epicureos non eam solam sequi voluptatem, quæ suauitate aliqua naturam ipsam mouet, & cum iucunditate quadam percipitur sensibus, sed maximam illam eis videri voluptatē, quæ percipitur omni dolore detracto: ut idem placuisse nihil esse medium inter dolorem, & voluptatē: eumque, qui dolore caveat, summam voluptate perfriui: denique omnis doloris priuatione summam voluptatem terminari.* PAUCA VIDEMVS ESSE OPVS] pauca videmus esse necessaria. ut sup. li. 1. *In finita opus est vis vndiq. materia.* QVAE DEMANT QVEMQVE DOLOREM] vulgatos codices secutus sum: nam manuscripti, & Parisenses, & Veneti antiquiores habent, *quæ demant cumque dolorem*. quam lectionem si quis probabit, *cumque* interpretandum erit, quancumque, & quouis tempore. DELICIAS QVOQVE VTI NVLLAS] sic legendum, non ut in nonnullis libris est *multas*, neque ut in aliis *haud multas*, neque ut habebat Pontani codex *mollis*. sententia autem hæc est. quancumque etiam nullas delicias, nullasque voluptates superuacaneas adhibere possint, & quasi substernere, tamen ne natura quidē quicquam gratius desiderat. SI NON AVREA SVNT] hunc locum imitatus est Virgil. in Culice. *Si non Assyrio fuerint bis laeta colore Attalicis opibus data vellera: si nitor auri Sub laqueare domus animum nō tangit aurum,* Picturæque decus, lapidum nec fulgor in vlla Cognitus vtilitate manet, nec pocula gratum Alconis referunt, Bæti que toreuina, nec Indi Conchea bacca maris preciosa est: at pectore puro Sæpe super tenero prostermit gramine corpus, Florida cum tellus gemmantibus pila, Et per verbas Vere notat dulci distincta coloribus arua, &c. Et Georg. 2. *Si non ingentem foribus domus alta superbis Manè salutantum totis vomit adibus vndam, Nec varios inhiant pulchra testudine posteis, Illusaque auro vesteis, Ephyreæque*

era, Alba nec Assyrio fucatur lana veneno, Nec casta liquidi corrumpitur vsus oliui: At secura quies, & nescia fallere vita, Dives opum variarum: at laetis otia fundis, Spelunca, vni que lacus: at frigida Tempe, &c. notauit Macro b. lib. 6. cap. 2.

LAMPADAS IGNIFERAS MANIBVS] huiusmodi simulacra aurea in ædibus diuitum cadelaborum locum & vicē obtinent. LVMINA NOCTVRNIS] sumtuosiores, & apparatiores. cenæ apud veteres noctu factitabantur, & totam noctem producebantur. Horat. od. 21. lib. 3. ad Amphoram. *Te Liber, & si lata adert Venus, Segnesque nodum soluere gratia, Vnaq. producent lucerna, Dum rediens suget astra Phœbus.* NEC DOMVS ARGENTO FVLGET] secutus sum quique libr. manuscriptos, quibuscum consentiunt Vicetini. neque verò est quòd quenquam moueat syllaba postrema breuis in verbo *fulget*. hanc enim licentiam sibi interdum permittunt poëtæ, ut iambum pro spondeo ponant: ut Virg. lib. 5. *Ostentans artem pariter, arcumque sonantem: idem lib. 12. princip. Congredior fer sacra pater, & concipe fœdus.* Horat. saty. 3. lib. 2. *amator Exclusus quid distat, agit vbi secum, eat, an non?* &c. Lucret. lib. 4. *Ater imit oculos.* REBOANT] resonant. Virgil. lib. 3. Georg. *reboant siluæque, & magnus Olympus.* ATTAMEN INTER SE] hanc scripturam reperi adscriptam ad oram libri typis impressi, quem mihi commodauerat Vincentius Laureus Calaber: eamque secutus sum reiecta vulgata, *Cum tamen*: ex qua probabilis sententia elici non potest. quidam docti legi volunt: *Tum tamen*, propius accedentes ad vulgatam. Ad hunc locum pertinet illud Varronis *Ἀνθρωπῶν. Non sit thesauris, non auro pectus solutum: Non demunt animis curas, nec religiones Per sarum montes, non atria diuiti Crassi.* ARRIDEET] idonea, & opportuna est. translatio. NEC CALIDAE CITIVS] sic Horat. epist. ad Loll. 2. lib. 1. *Non domus, aut fundus, non aris aceruus, & auri Egroti domini deduxit corpore febreis, Non animo curas, &c.* OSTROQVE RVBENTIS] vestibus purpureis fragulis.

*Quapropter quoniam nil nostro in corpore gaze
Proficiunt, neque nobilitas, neque gloria regni:
Quod superest, animo quoque nil prodesse putandum:
Si non fortè tuas legiones per loca campi
Eruere cum videas belli simulacra cienteis:
His tibi tum rebus timefactæ religiones
Effugiunt animo pauide, mortisque timores:
Tum vacuum pectus linquunt, curaque solutum.
Quòd si ridicula hæc, ludibriaque esse videmus:
Re veraque metus hominum, curæque sequaces
Nec metuunt sonitus armorum, nec fera tela:
Audacterque inter reges, rerumque potenteis
Versantur: neque fulgorem reuerentur ab auro.*

Nec clarum vestis splendorem purpurearū:
 Quid dubitas, quin omne sit hoc rationis egestas?
 Omnis cum in tenebris præsertim vita laboret?
 Nam veluti pueri trepidant: atque omnia cæcis
 In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus
 Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quàm
 Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.
 Hunc igitur terrorem animi, tenebræque necessest
 Non radij solis, neque lucida tela diei
 Discussant, sed naturæ species, ratioque.

SI NON FORTE TVAS LEGIONES] *ειρωετα*, nisi forte (inquit) curæ, & religiones, & mortis formidines perterritæ legionibus, & turmis equitum effugiunt ex animo: quod nunquam futurum est. FERVERE CVM VIDEAS.] Nonius Marcell. testem producit versum ex hoc libro, huiusmodi, *Fervere cum videas classem, latèque vagari: quem nusquam repeti. Fervere à verbo fervo, quo sæpe utitur & Virg. vt. Georg. 1. Omnia tunc pariter venio, nimbis que videbis Fervere. Idem lib. 4. Æneid. cum littora fervere late Prospiceres. Lucillius etiam indicativo servit. Servit aqua, & servet: servit nunc: servet ad annum. HIS TIBI TVM REBUS TIMEFACTÆ] sic legendum, non vt in vulgatis quibusdam *tumefacto*, nam vt omittam, quod libri manuscripti habent *timefactæ*, sententia ipsa hanc lectionem flagitat. hoc enim sentit Lucretius, diuitias, nobilitatem, imperia, potentiam, nihil neque corpori nostro prodesse, neque animo: nisi forte timores, religiones, curæ, & ceteræ animorum pestes perterritæ armorum sonitu, & telorum horrore ex animis effugiunt. quod longe aliter est. QVOD SI RIDICVLA HÆC] Quod si hæc omnia, nempe gazas, gloriam regni, legiones, ridicula esse videmus, & si re vera metus & curæ non metuunt armorum sonitus, &c. REVERA QVE] sic Horat. od. 1. lib. 3. *sed timor & minæ scandunt eodem, quod dominus: neque Decedit arata trivemi, & Post equitem sedet atra cara. Idem od. 16. lib. 2. Scandit aratas vitiosa naueis Cura, nec turmas equitum velinquit, &c. VIN OMNESITHOCRAT. EG.] cod. Bertin. *quin omni sit hæc rationis egestas. NAM VELVTI IN TENEBRIS] iterantur hi quinque versus, qui deinceps sequuntur, & lib. 3. & princ. sexti. Sed quod hic dicit pueros in tenebris timere: idem ferè accidit omnibus: neque id temere. Nam cum videndi sensus omnium sensuum sit præstantissimus, oculis que tanquam corporis dux in capite sit collocatus: in tenebris autem suo manere fungi non possimus: sit vt in tenebris quasi eo, quo maxime nitimur & confidimus præsidio nudati, & ab omni ope derelicti paucamus. HUNC IGTUR TERROREM, &c.] hi tres versus, qui deinceps sequuntur, positi sunt sup. lib. 1.***

Nunc

Nunc age quo motu genitalia materiai
 Corpora res varias gignant, genitæque resoluant,
 Et qua vi facere id cogantur, quæ ve sit ollis
 Reddita mobilitas magnum per inane meandi,
 Expediam: tu te dictis præbere memento.
 Nam certè non inter se stipata coheret
 Materies: quoniam minui rem quanque videmus:
 Et quasi longinquo fluere omnia cernimus ævo:
 Ex oculisque vetustatem subducere nostris:
 Cum tamen incolumis videatur summa manere
 Propterea, quia quæ decedunt corpora cuique,
 Unde abeunt, minuunt: quo venere, augmine donant:
 Illa senescere, at hæc contrà florescere cogunt:
 Nec remorantur ibi: sic rerum summa novatur
 = Semper: & inter se mortales mutua viuunt:
 Augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur:
 Inq̄ breui spatio mutantur sæcla animantum,
 Et quasi cursores vitæ lampada tradunt.
 Si cessare putas rerum primordia posse,
 Cessandòque novos rerum progignere motus,
 Auius à vera longè ratione vagaris.
 Nam, quoniam per inane vagantur cuncta, necessest
 Aut gravitate sua ferri primordia rerum,
 Aut ictu fortè alterius. nam cita supernè
 Obuia cum fluxere: fit vt diuersa repente
 Dissiliant. neque enim mirum, durissima quæ sint
 Ponderibus solidis, neque quicquam à tergis obstet.

NUNC AGE] nunc aggreditur ad disputationem de motu. Est autem motus apud Epicurum triplex. motus deorsum omnium corporum, & ponderum proprius, ad lineam, seu ad perpendiculum: motus per plagam: motus per declinationem: de quibus mox plura dicemus. OLLIS] illis, vt supra, & sæpe alibi. QVONIAM MINUI REM] *αι ποροζια αι ποροζιας*. Vt probet esse motum, sumit, quod supra probatum est, materiam non esse inter se stipatam, sed rebus admistum esse inane. materiam autem non co-

O

hære inter se stipatam ex eo intelligere licet, quod res argentur, & minuuntur. αἰθέρις autem & φθισίς sunt motus κ' ποσόν. FLVBERE] sic lib. 4. Vsq̄ ad eò omnibus ab rebus res quaque flauerit fertur, & in cunctas dimittitur vndique parteis. & lib. 6. Nec mora, nec requies inter datur vlla fluendi. QVAE DECEDVNT CORPORA CVIQVE] sic legendum puto, non corpora cunq̄: quanuis quidã docti probent, vt sit tmesis, pro quacunque. VNDE ABEVNT, MINVNT] id, vnde abeunt, minuunt. QVO VENERE] id, quò accefferunt, augent. SIC RERVVM SVMMANOVATVR SEMPER] quia quod ex vno decedit, quoad eius fieri potest, per successiõnem rerum conseruatur. Itaque Homerus ἰλιζ. hominum ætatem cum foliorum ortu & natura comparat. Οἷον φύλλων γενεή, τοῖν ἀνθρώπων: id est, Nou alius multo est hominum ortus, quàm foliorum. Idem ἰλ. φ. de hominibus. Οἱ φύλλοισιν ἰσοκότες ἄλλοτε μῦθοι Ζαφλεγέες τελέθουσι ἀρέρης κερπὸν ἔδοντες, Ἀλλοτε δ' αὖ φθινύθουσι ἀχλεροί, id est Qui foliis similes interdum munere terra Vscentes, florent: interdum lumine cæsi Intercunt. Sic & Mimnermus. Ημεῖς δ' οἶάτε φύλλα φέει πολυάνθεμος ἔρη Ἐαρος, ὅτ' αἰὲ ἀνγῆ αἰθέρι περὶ ἡελίου. id est Nos autem, quales frondeis fert floriferum ver, Solis fulgor eas quando alit, atque fouet. Cum his congruunt & illa Lucretiana lib. 5. Sic voluenda, dies commutat tempora rerum: Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore. Porro aliud succedit, & è contemptibus exit. Idem lib. 3. Cedit enim rerum nouitate extrusa vetustas. MUTVA] id est mutud. & ita sæpe aliàs. ET QVASI CVRSORES, VITAI] sumtum à ludis, quos faciebant Athenienses, quòsque ἀγῶνας λαμπάδων appellabant: in quibus is, qui currebat, lampada tenebat, & cursu confecto, ei, qui postea cursurus erat, lampada tradebat. significabatur autem per hanc lampadem, & cursum, vitæ humanæ breuitas. qua de re vide Aristophanis scholiasten. Vsurpat hoc & Plato lib. 6. de legibus. Ἐπιφέροντες ἢ ἐπιτρέφοντες παῖδας κερτάδων λαμπάδων τὸν βίον παρεδίδοντες ἄλλοις ἐξ ἄλλων: id est gignentes & alentes liberos, vitam tanquam lampada aliis ex aliis tradentes. NECESSE EST AVT GRAVITATE, &c.] loquitur hic de duobus motibus duntaxat: quorum alter omnium ponderum est proprius, vocaturque motus deorsum, ad perpendicularum & ad lineam: alter fit per ictum, seu plagam, vocaturque motus sursum. Est & tertius motus κ' ἐγκλίσις, id est per declinationem, quem infra commemorabit Lucretius: qui quamobrem ab Epicuro fit excogitatus, docent M. Tull. & Plutarchus multis locis. M. Tull. de fato. Sed Epicurus declinatione atomi vitari fati necessitatem putat. Ita tertius quidam motus oritur extra pondus, & plagam, cum declinat atomus intervallo minimo, id appellat ἐλάχιςτον. quam declinationem sine causa fieri, si minus verbis, re cogitur constiteri. Sed de hac declinatione dicemus suo loco. de motu autem, qui fit deorsum, sic idem M. Tull. lib. 1. de finib. bon. & mal. Censet enim eadem illa indiuidua, & solida corpora ferri suo deorsum pondere ad lineam. hunc naturalem esse omnium corporum motum: Deinde ibidem homo acutus cum illud occurreret, si omnia deorsum è regione ferrentur, & vt dixi, ad lineam, nunquam fore, vt atomus altera alteram posset attingere: ita attulit rem cõmentitiã, declinare dixit atomum per paulum, quo nihil posset fieri minus: ita effici complexiones, & copulationes, &

adhæssiones atomorum inter se: ex quo efficeretur mundus, omnesque partes mundi, quæque in eo essent. Plutarchus item lib. 1. πρὸ τῶν ἀρεσκόντων. duos motus duntaxat ab Epicuro positos esse refert, motum ad lineam, seu motum deorsum è regione: & motum per declinationem. Sed dicendum est Plutarchũ, & M. Tull. in illo 1. libri de finibus loco, prateriisse motum, qui fit sursum per ictum, seu plagam, vtpote violentum, minimèque naturalem. Diogenes autem Laërtius triplicem atomorum motum ab Epicuro positum esse non obscure tradidit his verbis: κινεῖται δ' ἢ τὰ ἄτομα κέτω τὸτὲ μὲν κατὰ εὐθεμίαν, τὸτὲ δὲ κατὰ πρὸς κλίσις. κατὰ ἄνω κινεῖμενα κατὰ πλάγην ἢ πρὸς κλίσις, id est moueri autem corpora indiuidua nunc ad lineam, nunc per declinationem. ea autem, quæ sursum mouentur, ictu quodam & palpitatione, seu concussione quacum moueri. AVT ICTV FORTE ALTERIVS] veteres aliquot codices habent, aut ictu auferri alterius. ego tamen vulgatos sequor consentientibus præfertim aliis veteribus, & manuscriptis, nõ pugnaturus, si quis alteram lectionem huic anteponat. NAM CITA SVPERNE OBVIA CVM FLIXERE, FIT VT DIV.] huius scripturæ sententia perspicua est. flixere autem, id est per concursum se mutud contigerunt, & concusserrunt. Virg. lib. 5. Dant sonitum flixitu galeæ: pugna aspera surgit. in quibusdam libris manuscriptis reperi scriprum nam concita sæpe Obuia confluxere ita, vti diuersa repente Dissiliant, &c. quæ scriptura etiam probabilis est. DIVERSA REPENTE DISSIL.] hunc motum κ' πλάγην & κ' πρὸς κλίσις appellabat Epicurus: id est motum, qui fit per plagam & palpitationem. NEQVE QVICQVAN A TERGIS OBSTET] sic legendum non tergibus. Est enim verlus spondiacus habens non solum in quinta sede spondeum, verum etiam in quarta. vt hi Virgiliani lib. 7. Aut laues ocreas lento ducunt argento. & Georg. 3. Saxa per, & scopulos, & depressas conualleis. & Hom. ἰλ. α. Πρὸς τὲ δὲ τῶν μακρῶν, πρὸς τὲ δὲ τῶν αἰθρῶπων, & in catalogo δὲ τέκων Ἀσδόχαια βίη ἡ ἐγκλίσις.

Et quo iactari magis omnia materiã
 Corpora peruideas, reminiscere totius imum
 Nil esse in summa: neque habere, vbi corpora prima
 Consistant: quoniam spatium sine fine, modòque st,
 Immensumque patere in cunctas vndique parteis,
 Pluribus ostendi, & certa ratione probatu st.
 Quod quoniam constat, nimirum nulla quies est
 Reddita corporibus primis per inane profundum:
 Sed magis adsiduo, variòque exercita motu,
 Partim intervallis magnis conflictata resultant,
 Pars etiam breuibus spatiis nexantur ab ictu.
 Et quacunque magis condense conciliatu,

*Exiguus interuallis connexa resultant,
 Indupedita suis perplexis ipsa figuris:
 Hæc validas saxi radices, & fera ferri
 Corpora constituunt, & cetera de genere horum
 Paucula, quæ porro magnum per inane vagantur,
 Et cita disiliunt longè, longèque recurfant
 In magnis interuallis: hæc aëra rarum
 Sufficiunt nobis, & splendida lumina solis.
 Multaque præterea magnum per inane vagantur,
 Conciliis rerum quæ sunt reiecta, nec vsquam
 Confociare etiam motus potuerunt recepta.
 Cuius, vii memoro, rei simulacrum, & imago
 Ante oculos semper nobis versatur, & instat.
 Contemplator enim, cum solis lumina cumque
 Inserim fundunt radios per opaca domorum:
 Multa minuta modis multis per inane videbis
 Corpora misceri radiorum lumine in ipso,
 Et velut aeterno certamine prælia, pugnasque
 Edere turmatim certantia, nec dare pausam,
 Conciliis, & discidiis exercita crebris:
 Coniicere ut possis ex hoc: primordia rerum
 Quale sit in magno iactari semper inani.
 Duntaxat rerum magnarum parua potest res
 Exemplare dare, & vestigia notitiæ.*

REMINISCERE TOTIVS] repete (inquit) memoria nihil esse
 imum in summa totius, id est in omni, seu in vniuerso, ἐν τῷ παντί. Suprà
 enim libro primo docuit nihil esse extremum, nihil medium, nihil primū,
 ibi. *Omne quod est igitur nulla regione viarum Finitum est, &c.* CONSTAT] id est sine controuersia est. REDDITA] attributa, ut sæpe alias. CON-
 FLICTA RESULTANT] sic reposui secutus vnius manuscripti codi-
 cis auctoritatem: cum quo congruunt Florentini typis excusi. INTER-
 VALLIS MAGNIS CONFL. RESULTANT] Μακρὰν δὴσανται. Sic
 enim Epicurus (ut refert Laërtius) εἰ μὲν εἰς μακρὰν ἀπὸ ἀλλήλων δίστανται, αἰ-
 εὶ ἄυτὸν τὴν πάλιν ἰσχυροὶν ὄντων τύχῃσιν εἰς τιὰ ἀεὶ πλοκῶν κληθεὶσιν ὡς αἰ, ἢ σεραζόμε-
 γαι ὑπὸ τῶν πλεμπικῶν, id est aliæ atomi magnis interuallis inter se distāt, aliæ
 palpitationem cohibent, cum casus ita tulerit, in concilium, & copulatio-

nem conclusæ, aut ab atomis perplexis, & hamatis retentæ. NEXAN-
 TVR AB ICTV] id est copulantur, & cohærescūt per plagam & ictum.
 quidam libri manuscripti tamen habent *vexantur*: quos nō sum secutus. ne
 illud quidem dissimulabo in vno scriptum esse *vexantur a victu*: quod id-
 circò ascripti, ut meminerint studiosi litterarū homines librarios illos scri-
 ptores sæpe u pro b posuisse, & contra b pro u. quis enim non videt *auictu*
 pro *ab ictu* esse mendosè scriptum? atque hic locus me admonet mendo-
 rum illorum apud Non. Marcellum in nominibus *proluuium* & *proluuidi-*
nem, vbi legendum *prolubium*, & *prolubidinem*. ET QVAECVNQVE
 MAGIS CONDENS O] sic habent duo libri manuscripti, Vaticanus &
 Bertinianus, & impressi omnes. Sed Faëni & Scipionis, & impressi Flo-
 rentini, *contenso*. quam scripturam agnoscit Priscianus lib. 10. eo loco vbi
 docet à verbo *tendo* fieri *tensum*, & *tentum*. Ego condenso non improbo.
 sic & lib. I. *Quorum condenso magis omnia conciliatu Arctari possunt*. EX I-
 GUIS INTERVALLIS CONNEXA] sic legendum potius, quàm
coniecta, aut *coniecta*. nam ex *connexa* vera scriptura, factum *coniecta*: ex quo
coniecta. INDUPEDITA] impedita, atque implicata. PERPLEXIS]
 id est inter se connexis, & colligatis. Festus, *plexa, colligata significat ex Græco*:
cui nos etiam præpositionem adiicimus cum dicimus perplexa. Terent. Eunucho:
pergin' scelestæ perplexè? Virg. lib. 9. *Æneid. perplexam iter omne reuoluens Falla-*
cis siluæ. ET CETERA DE GENERE HORVM PAVCVLA.] sic
 distinguendum & interpungendum, ut sit hic Lucretij sensus: ea corpora
 indiuidua, quæ exiguis interuallis connexa & suis perplexis figuris impe-
 dita resultant, saxa, & ferrum & cetera huius generis paucula constituunt.

QVAE PORRO MAGNUM, &c.] id est ea porro, quæ magnū per inane
 mouentur, & vagantur, & cita disiliunt longè, longèque resiliunt, ea
 creant aëra, & solem, & similia. MAGNUM PER INANE] Virg. in Sile-
 no. *Namque canebat uti magnū per inane coacta Semina terrarūque, animæ que
 marisque fuissent*. ET CITA DISSILIVNT] sic legendum, non, ut vulgò
 legitur, *Cetera disiliunt*: quod mendum natum est ex indoctorum hominū
 arrogantia, aut certè stultitia, qui hunc locū non intelligētes, corruerunt.
 Quidam vir doctus putabat legi etiam posse *Citæque*. quod non displicet.
 SVFFICIUNT] suppeditant. MVLTAE QVE PRAETEREA, &c.] &
 præter illa corpora, quæ vel magnis interuallis, vel exiguis feruntur, ita ta-
 men ut connectātur, & copulentur, sunt alia quæ nondū congregi, neque
 connecti potuerūt. CONCILIIIS RERVM QVAE SVNT REIE-
 CTA] id est quæ cohærere & cōciliari, & confociari non potuerunt. CON-
 TEMPLATOR ENIM] sic idē lib. 6. *Contemplator enim cum motibus asimi-*
lata Nubila portabunt, &c. mutuatus est & Virg. lib. I. *Georg. Contemplator item
 cum se nux plurima siluis Induet in florem*. idem lib. 4. *Cōtemplator: aquas dulcis,
 & frondea semper Tecta petunt*. CVM SOLIS LUMINA CVNQVE,
 &c.] id est quodocunque solis lumina, &c. Sic Aristot. lib. 2. de Animo.
ὄντα τὰ κελεύμενα ἐν τῷ αἰεὶ ἕδωματα, ἀφαίρεται ἐν ταῖς διὰ τῶν θυετῶν ἀκτῶν: id est
 ut quæ appellantur in aëre ramenta, quæ cernuntur in iis, qui per fenestras
 transeunt, radiis. PER OPACA DOMORVM] per parteis domus

opacas. quidam legendum censent, *per aperta domorum*: sed errant meo quidem iudicio. Illud admonendus est lector, in vno cod. manuscripto ita legi. *Inferti fundunt radij*: quam scripturam tamen non probo. **NEC DARE PAVSAM**] nec ipsa cessare, nec aliis cessandi facultatem dare. *Pausa* nomen est à Græco verbo *παύω* deductam: quod quietem, & cessationem significat. utitur eodem & lib. 3. *Inter enim iecta est vitæ pausa, vagæque Deerrarunt passim motus ab sensibus omnes.* ibid. *Frigida quem semel est vitæ pausa secuta*: & item alibi, & Lucill. *Hæc vbi dicta dedit, pausam facit ore loquendi.* Ennius. *pausam facit ore fremendi.* **CONCILIIS, ET DISCIDIIS**] Sic legendum ex auctoritate trium librorum manuscriptorum, & nonnullorum impressorum. *discidium* autem quid sit supra diximus. **EXERCITA**] fatigata, agitata. sic Nonius in voce *exercitum*. Terent. Eunuch. *Ego te hodie exercebo silicernium.* Virgil. lib. 3. *Aeneid. nate Iliacis exercite fatis.*

*Hoc etiam magis hæc animum te advertere par est
Corpora, quæ in solis radiis turbare videntur:
Quod tales turbæ motus quoque materiæ
Significant clandestinos, cæcosque subesse.
Multa videbis enim plagis ibi percita cæcis
Commutare viam, retroque repulsa reuerti
Nunc huc, nunc illuc, in cunctas denique parteis.
Scilicet hic à principiis est omnibus error.
Prima mouentur enim per se primordia rerum:
Inde ea, quæ paruo sunt corpora conciliatu,
Ex quasi proxima sunt ad vireis principiorum,
Ictibus illorum cæcis impulsa cientur:
Ipsæque, quæ porro paullo maiora, laceffunt.
Sic à principiis ascendit motus, & exit
Paullatim nostros ad sensus, vt moneantur
Illa quoque, in solis quæ lumine cernere quimus:
Nec quibus id faciant plagis, appâret apertè.*

HOC ETIAM MAGIS HÆC] sic legendum, & ita scriptum est in tribus libris calamo exaratis. neque verò est, quod quisquam hoc loquendi genus improbet, vt insolens, *advertere animum hæc*, pro *advertere animum ad hæc*. sic enim loquebantur antiqui: cuiusmodi illa sunt, *adigere arbitrum*, & *adigere insuandum*, pro *adigere ad arbitrum*, & *adigere ad insuandum*. tale est illud Horatianum epist. 18. lib. 1. *Propugnat nugis*: id est *pugnat pro nugis*, ad quem locum, si tibi commodum est, lege quæ annotauimus. **TURBA-**

R' E] id est turbas excitare, tumultuari. nam turbare hoc loco absolutum est. sic Virg. lib. 6. *Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.* Et Terent. Phor. *dum ne reducam, turbent porro quàm velint, turbent* (inquit Donatus) id est *errent, & tumultuentur*. Lucret. eod. lib. inf. *Aut ex offensu cum turbant corpore in ipso Semina.* **CAECOS**] obscuros, & latenteis. Virg. *Aeneid. 6. Caca regens filo vestigia.* M. Tull. lib. 2. de orat. ad Qu. frat. *res cæcas & ab aspectus iudicio remotas.* Idem Lucret. infra proximo versu *plagis ibi percita cæcis.* & ita sæpe. **IN CUNCTAS DENIQUE PARTIBUS**] quidam lib. scripti manu, habent, *in cunctas vndique parteis.* **SCILICET HIC A PRINCIP.**] id est scilicet hoc modo iactantur, & errant cetera omnia ducto à principiis, seu à corporibus primis motionis initio: vel sic. hic vagus motus corpusculorum omnium, quæ sub sensus nostros cadunt, à primordiis, & corporibus primis nascitur. hæc mihi videtur huius vulgatæ scripturæ, quæ etiam in codicibus antiquis reperitur, sententia. **Quidam** autem sic legi volunt. *Scilicet hic & principis est omnibus error*, vt sit hæc sententia. **Quippe** etiam principia, id est corpora prima hoc modo iactantur, & vagantur, quo modo minuta illa corpuscula, quæ in solis radiis inter se certare, & depreliari videntur. **PARVO SVNT CONCILIATV]** id est parua mole constant: paucorum primordiorum congressu concreta sunt. **IPSAQVE, QUAE PORRO]** id est & hæc ipsa, ea dico, quæ sunt ab aliis iecta, & impulsa, laceffunt ea, quæ deinceps paullo sunt maiora. in duobus libris manuscriptis reperi scriptum *Ictibusque, quæ, &c.* quam scripturam non sum secutus, interpretationem verborum Lucretianorum esse suspicatus, ab aliquo studioso lectore ascriptam: deinde ab imperito librario in locum reætæ suppositam. Nam ipsa intelligenda sunt ea corpora, quæ ictibus aliorum impulsa cientur, seu, vt tribus verbis dicam, corpora ab illis iecta.

*Nunc, quæ mobilitas si reddita materiæ
Corporibus, paucis licet hinc cognoscere Memmi.
Primum aurora nouo cum spargit lumine terras:
Et variæ volucres nemora auiæ poruolitantes
Aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent:
Quàm subito soleat sol ortus tempore tali.
Conuestire sua perfundens omnia luce,
Omnibus in promptu, manifestumque esse videmus.
At vapor is, quem sol mittit, lumenque serenum,
Non per inane meat vacuum: quo tardius ire
Cogitur: aërias quod sol diuerberat vndas:
Nec singillatim corpuscula quæque vaporis,
Sed complexa meant inter se, cónque globata.*

Quapropter simul inter se retrahuntur & extra
 Officiuntur, ut cogantur tardius ire.
 At, quæ sunt solida primordia simplicitate,
 Cum per inane meant vacuum, nec res remoratur
 Vlla foris, atque ipsa suis è partibus vnum,
 Vnum in quem cœpere locum, connixa feruntur:
 Debent nimirum præcellere mobilitate,
 Et multo citius ferri, quàm lumina solis:
 Multiplexque loci spatium transcurre eodem
 Tempore, quo solis peruolant fulgura cælum.
 Nam neque consilio debent tardata morari:
 Nec perscrutari primordia singula quæque,
 Ut videant, qua quidque genatur cum ratione.

NUNC QUÆ MOBILITAS] Nunc docere parat quanta mobili-
 tate prædita sunt prima corpora idque argumento, seu comparatione à mi-
 nori. REDDITA] id est attributa, ut supra hoc eod. lib. nimirum nulla
 quies est Reddita corporibus. ibid. non longe à principio quæve sit ollis Reddita
 mobilitas. & infra eod. lib. Præterea si nulla coloris principis est Reddita natura.
 & lib. 1. Si non, materies quia rebus reddita certa est Gignendis. ibid. Denique iam
 quoniam generatim reddita finis Crescendi rebus constat, &c. ibid. Porro si nulla est
 frangendis reddita finis Corporibus. & lib. 3. Si non certa loca ad nascendum reddi-
 ta cuique Sunt. & lib. 5. Non (inquam) simplex bis rebus reddita causa est. PRI-
 MVM AVROA NOVO, &c.] hunc locum mutuatus est Virg. lib. 4.
 Æneid. Et iam prima novo spargebat lumine terras Titboni croceum linquens auro-
 ra cubile, NEMORA AVIA PERVOLITANTES] etiam hunc mutua-
 tus est lib. 8. Æneid. in princip. Omnia peruolat late loca, iamque sub auras
 Erigitur. Iterum Lucret. infra. Et quæ peruolant nemora avia peruolitantes.

CONVESTIRE] trãslatio. sic poëta quidam verus apud M. Tull. Tuscul.
 3. verbis præta conuestirier. OMNIBVS IN PROMTV] ante oculos om-
 nium positum, omnibus apertum: ἐμπροσθεν ὄντι. AT VAPOR] id est ca-
 lor, ut sæpe aliàs. argumentum est, ut dicebam, à minori hoc modo. si ca-
 lor, & lumen solis, quæ ipsa constant ex corporibus primis tam citò meant
 per spatium, quod non est inane: quanto citius credibile est, corpora pri-
 ma per inane deorsum moueri? ad hanc autem sententiam pertinent illa
 quæ sunt lib. 6. Et tempestates terra, cæloque coorta E celo emota, terræque repente
 facessunt, AERIAS QUOD SOL DIVERB.] sic habent tres libri ma-
 nuscripti, & aliquot typis impressi. vtrique Aldini, Parisienses, vtrique Lug-
 dunenses. Pontanus legebat ærias quasi dum. atque hæc scriptura reperitur
 in cod. Bertin. & Memm. ex qua si coniecturam facere liceat, ego existima-
 rim

rim legendum ærias quasi tum diuerberet vndas. Veruntamen eam, quam se-
 cutus sum, scripturam rectam & veram esse puto: cuius sententia non est
 obscura. hoc enim significat. vapor, id est calor, quem sol mittit, non tran-
 sit per inane vacuum. iccirco tardius ire cogitur. Nam vndas ærias, id est
 humidum ærem permeando diuertat. CORPVSCVLA QVÆ
 QVÆ VAPORIS] sic legendum, non vapores, ut habent omnes ferè co-
 dices vulgati, & nonnulli veteres. sed veritas & ratio vaporis efflagitant.

COMPLEXA] compositum nomen est à con & plexa. ut perplexa, implexa,
 non participium à verbo complector. SIMVL INTER SE RETRA-
 HVNTVR] sic legendum ex auctoritate quatuor librorum manuscri-
 ptorum, quibuscum consentiunt impressi Paris. Veneti antiquiores. deni-
 que hanc scripturam agnoscit Priscianus lib. 8. OFFICIANTVR] mirè
 ex verbo absoluto, officio, patiens fecit, officior. officiantur autem valet, ob-
 stando, & officiendo impediuntur. sic M. Tull. à verbo obstrepor, obstre-
 por. sic enim ille Orat. pro M. Marcello. aut dum leguntur, obstrepi clamore mi-
 litum videntur. SVIS È PARTIBVS VNVM] id est effecta vnum cor-
 pus, atque vnum totum è suis partibus. hoc dicit non quòd significare ve-
 lit corpora prima partibus constare, sed ut ostendat esse infracta, ac solidif-
 sima. sic supra lib. 1. Quæ minimis stipata coherent partibus arte: Non ex vllorum
 conuentu conciliata, Sed magis æterna pollentia simplicitate. CONNIXA] sic le-
 gendum, non connexa. quanquam reclamantibus omnibus libris manu-
 scriptis, & impressis præter Venetos recentiores. MULTIPLEXQUE
 LOCI SPATIUM] cod. Vaticanus habet Multiplicisque: ex qua scriptura
 suspicari possit aliquis legendum Multiplicisque loci spatium: ego tamen vul-
 gatam lectionem retineo. PERVOLANT] celebrant, complent. SO-
 LIS FVLGVR] solis fulgores, seu lumina. nam fulgur, & fulgor idem
 valent, præsertim apud Lucret. CONSILIO] τὴν ἀεγυπέσσην, mendosè in
 quibusdam libris legitur Concilio. significat enim non esse ἀεγυπέσσην, id est,
 consilium in corporibus primis, neque illa consultò aut moueri, aut tarda-
 ri. NEC PERSCRVTARI PRIMORDIA] id est nec primordia de-
 bent singula quæque perscrutari, ut videant &c. In nonnullis libris vul-
 gatis, & antiquis legitur, Nec persectari. GENATVR] gignatur.

At quidam contra hæc, ignari, materiæ
 Naturam non posse deum sine numine ventur
 Tantopere humanis rationibus, ac moderatis
 Tempora mutare annorum, frugisque creare:
 Et iam cetera, mortaleis quæ suadet adire,
 Ipsaque deducit dux vitæ dia voluptas,
 Ut res per Veneris blanditum sæcla propagent:
 Ne genus occidat humanum: quorum omnia causa
 Constituisse deos fingunt: sed in omnibus rebus

*Magnopere à vera lapsi ratione videntur.
 Nam quamuis rerum ignorem primordia quæ sint:
 Hoc tamen ex ipsis cæli rationibus ausim
 Confirmare, aliisque ex rebus reddere multis,
 Nequaquam nobis diuinitus esse creatam
 Naturam mundi: quæ tanta est prædita culpa.
 Quæ tibi posterius Memmi faciemus aperta.*

AT QUIDAM] hæc disputantur in Platonem, & in Stoicos: qui mundum à Deo creatum esse, & eius prouidentia gubernari volunt, nõ vt Epicurus, qui ex atomorum concursione fortuita hunc mundi pulcherrimum, ornatum esse perfectum, & sine vlla diuina prouidentia, aut opera æquabilem & ratum, & immutabilem rerum omnium ordinem conseruari existimat. quam Epicuri sententiam sic insectatur & refellit M. Tull. lib. 2. de nat. deor. *An cum machinatione quadam moueri aliquid videmus, vt spheram, vt horas, vt alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis: cum autem impetum cæli admirabili cum celeritate moueri, veritque videamus, constantissimè conscientem vicissitudines anniuersarias cum summa salute, & conseruatione rerum omnium, dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam, diuinæque ratione?* Idem eod. lib. paullo superius. *Isti autem quemadmodum asseruerant ex corpusculis non colore, non qualitate aliqua, quam ποίησις Græci vocant, non sensu præditis, sed concurrentibus temerè, & casu mundum esse perfectum, vel innumerabileis potius in omni pucto temporis alios nasci, alios interire? Quod si mundum efficere potest concursus atomorum: cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? quæ sunt minus operosa, & multo quidem faciliores? Heraclitus autem νόσμον (inquit) ἔτι τις θεῶν, ἢ τις ἀνθρώπων ἐποίησαν, id est mundum neque quisquam deorum, neque quisquam hominum effecit. Quasi metueret (inquit Plutarch.) ne à deo re abiudicata, id est hoc iudicato Deum non esse mudi opificem, suspicari posset aliquis hominem esse eius effectorem. Sed præstat nos (inquit ille) Platoni fidem habentibus & prædicare, & canere hunc mundum à Deo esse conditum. Mundus enim omnium, quæ sunt, pulcherrimum quiddam est: Deus omnium causarum efficientium, causa est optima. AC MODERATIS] ordo verborum est. rentur materiæ naturam non posse annorum tempora mutare, frugesque creare sine deorum numine, rationibus tantopere humanis, id est tam humanis, tamque prope ad rationem humanam accedentibus, & tam moderatis, id est tam temperatis, constantibus, ratis, & certis. ET IAM CETERA MORTALEIS &c.] id est iam etiam cetera, ad quæ diua voluptas homines quasi manu ducit, nempe vt per res venereas genus suum propagent, ne genus humanum funditus intereat, repete ἀπὸ νόου, rentur illi materiæ efficere aut cõsequi non posse sine deorum nutu, voluntate, ac prouidentia. Quidam legendum putant. *Nec iam cetera, subintelligentes, rentur naturam materiæ posse &c.* RES PER VENERIS] per complexum Venereum, sic lo-*

quitur inf. eod. lib. *Aut tuuat egrediens genitaleis per Veneris res. ibid. Inter sese vllam rem gignere conueniendo Per Veneris res, &c. & lib. 5. Nec reperire cibum, nec iungi per Veneris res.* BLANDITIM] id est blandiendo. blanditum dictum, vt exultum, exfertum, cursum, raptum. blanditum autem esse legendum conieci ex scriptura, quæ reperitur in vno vetustis. codice, *blanditur, blanditur* enim factum ex *blanditur*: quod valet *blanditum*, vt supra *raptus ex raptum*. reperi & in alio *blanditum*. QVORVM] in nomine possessiuo humanum, primitiuum inclusum est, *hominum*, vt fit *genus humanum*, pro *genus hominum*: & ita conueniet prouocabulum relatiuum *quorum*. NAM QVAMVIS RERVM] etiam lib. 5. hi qui deinceps sequuntur, sex versus ponuntur. EX IPSIS CÆLI RATIONIBVS] sic loquitur lib. 1. *Nam tibi de summa cæli ratione, Deumq; differere incipiam.* REDDERE] ἀποδείξαι ostendere, ob oculos ponere, colligere. NEQVAQVAM NOBIS DIVINITVS, &c.] sic lib. 3. in princip. *Nam simul ac ratio tua cepit vociferari Naturam rerum baud diuinitus esse coortam, &c.*

*Nunc id quod superest de motibus, expediemus.
 Nunc locus est (vt opinor) in his illud quoque rebus
 Confirmare tibi nullam rem posse sua vi
 Corpoream sursum ferri, sursumque meare.
 Ne tibi dent timeo flammæ corpora fraudem:
 Sursum enim vorsus gignuntur, & augmina sumunt.
 Et sursum nitide fruges, arbustaque crescunt:
 Pondera, quantum in se est, cum deorsum cuncta ferantur:
 Nec cum subsiliunt ignes ad tecta domorum,
 Et celeri flamma degustant tigna, trabesque:
 Sponte sua facere id sine vi subigente putandum est.
 Quod genus è nostro cum missus corpore sanguis
 Emicat exsultans altè, spargitque cruorem.
 Nonne vides etiam, quanta vi tigna, trabesque
 Respuat humor aquæ? nam quam magi mersimus altè
 Directa: & magna vi multi pressimus agrè:
 Tam cupidè sursum reuomit magi, atque remittit:
 Plus vt parte foras emergant, exsiliantque.
 Nec tamen hæc, quantum est in se, dubitamus, opinor,
 Quin vacuum per inane deorsum cuncta ferantur.
 Sic igitur debent flammæ quoque posse per auras*

*Aëris expressæ sursum succedere, quanquam
Pondera, quantum in se est, deorsum deducere pugnent.
Nocturnasque faceis cæli sublimè volanteis
Nonne vides longos flammarum ducere tractus,
In quasunque dedit parteis natura meatum?
Non cadere in terram stellas, & sidera cernis?
Sol etiam summo de vertice dissipat omneis
Ardorem in parteis, & lumine conserit arua.
In terras igitur quoque solis vergitur ardor:
Transuersosque volare per imbreis fulmina cernis:
Nunc hinc, nunc illinc abrupti nubibus ignes
Concurfant: cadit in terras vis flammea vulgò.*

NUNC LOCUS EST] nunc conatur docere omnia corpora, sua vi & natura deorsum ferri: quod si qua sursum interdum ferantur, eum motum esse violentum, atque ab ipsorum natura alienum. NE TIBI DENT FRAVDEM] id est ne te inducant, ne tibi sint fraudi, & cogant te credere non omnia corpora sua sponte deorsum ferri. AVGMINA SVMVNT] id est augetur. ET SVRSVM NITIDAE FRUGES] respondet hoc modo. quid tum postea si flammæ sursum mouentur? Etiam fruges & arbores sursum crescunt, cum tamen omnia corpora quantum in ipsis est, deorsum moueantur. SVBSILVNT] sursum saliant. DEGVSSTANT] translatio est. depascuntur, absumunt, lambunt, vt loquitur Horat. saty. 5. lib. 1. Nam vaga per veterem dilapsa flamma culinam. Vulcano summum properabat lambere tectum. SINE VI SVBIGENTE] sic restitui ab vno codice manuscripto adiutus, cum in aliis omnibus libris legeretur sine vi subiecta, planè mendosè. QVOD GENVS] id est quale est, seu cuius generis est. sic sæpe alibi loquitur, exempli gratia lib. 3. Quod genus est, Bacchi cum flos euauit, aut cum, &c. ibid. Quod genus in nostris membris, & corpore toto Mistra latens animi vis est, animæque potestas. ibid. Quod genus in somnis sopiti ubi cernimus alta Exhalare vapore altaria, ibid. Quod genus est, animo malefacti cum prohibetur. lib. 4. Quod genus illa foris que verè transpiciuntur Ianua cum per se transpèctum præbet apertum. & lib. 5. Quod genus in nobis quædam licet in statione Membra manere tamen, cū sint ea, que moueant nos. & M. Tull. lib. 2. de Inuent. Id faciet, si ostendet aliqua eius nota, & communia officia: quod genus in parenteis, cognatos, amicos, &c. Idē ibid. Nam est quiddam, quod sua vi nos alluciat ad sese nõ emolumèto captans aliquo, sed trahens sua dignitate: quod genus virtus, sciētia. Lucill. saty. lib. 6. Crebra vt scintilla in stricturnis: quod genus olim Feruenti ferro, &c.

NONNE VIDES ETIAM, &c.] delectatus videtur Lucretius hoc versuum principio, vt eadem pagina. Nonne vides longos flammarum ducere tractus? & lib. 4. in extr. Nonne vides etiam guttas in saxa cadenteis, &c. & lib. 5.

Nonne vides etiam quàm laudè paruus aquæ Prata riget fons interdum, campis que re-
redundet? ibid. Nonne vides etiam diuersis nubila ventis, Diuersas ire in parteis, in-
ferna supernis? & lib. 6. Nonne vides etiam terra quoque sulfure in ipsa Gignere?
&c. NAM QVAM MAGI' MERSIMVS ALTE] sic restitui par-
tim ex auctoritate veterum codicum, partim ex cōiectura. quàm magis, tam
magis: sic loquebantur politi illi scriptores, vt supra admonuimus. iam hoc
mersimus aliè significanter & propriè dictum. itaque quæ merfa hîc dicun-
tur, mox dicuntur emergere. vulgata autem scriptura *irguimus*, inepta est.

REVOMIT] alibi scriptum est *remouet*. SIC IGITUR DEBENT,
&c.] quemadmodum (inquit) ligna sponte quidem sua deorsum ferun-
tur, sed per expressionem quandam, & vi subigente sursum mouentur, &
in aquam merfa, reuomuntur, ac reiiciuntur: ita dicendum est flammam non
suapte natura, sed vi aliqua expressas per auras subuolare. *debent succedere*, id
est credibile est succedere: quod est sursum cedere: & sursum moueri.

EXPRESSAE] ἐκδιφθεῖται] per expressionem emissæ. QVANTVM
IN SE EST] sua vi. DEDUCERE] deprimere & deferre flammam.
PUGNENT] contendant. translatio est. SVBLIME VOLANTEIS] sic
habent omnes libri tum manuscripti, tum typis excusi. quod eò dico, ne
quis putet legendum *sublima*: quod scio quosdam conatos esse, verentis
ne syllaba vltima, longa sit. quod longe aliter est. sic enim idem lib. 4. *Que
multis formata modis sublime feruntur*. & lib. 6. *Propterea quia concurrunt subli-
me volantes Ætheriæ nubes*. & item Virg. lib. 3. Georg. 3. *Iamque humiles, iamque
elati sublime videntur*. Idem lib. 10. *Æneid. Sed sublime volans nubi se immiscuit
atra*. NON CADERE, &c.] Virg. *suadentque cadentia sidera somnos*. atqui
stellæ in terram non decidunt, sed sicci quidam halitus, solis & atheris
ignibus accensi. DISSIPAT] id est dissipat, & dispergit. Vtitur & M.
Tull. in Lælio. *ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam*. ET LUMINE
CONSERIT ARVA] translatio. *conserit* enim positum translato pro cō-
plet, & collustrat. VERGITUR] propendet, profunditur. Virg. lib. 6.
Æneid. inuergit vina sacerdos. ad quem locum notat Seruius veteres in sa-
cris inferorum, vinum ita libare solitos, vt partera in partem læuam conuer-
teretur: quod *vergere* dicebāt. quidā tamen legunt *spargitur ardor*. TRANS-
VERSOSQUE VOLARE, &c.] quemadmodum globi ferrei expri-
muntur ex fistulis æneis. ABRVPTI NUBIBVS IGNES] sic Virgil.
lib. 3. *Æneid. ingeminant abrupti nubibus ignes*. Ne quis autem hoc loco le-
gendum putet, *abruptis*, testificor in quattuor libris manuscriptis, & in ple-
risque excusis legi *abrupti*, non *abruptis*. Et quod vulgò in codicib. Virgilia-
nis legitur eo, quem supra testem produxi, loco *abruptis*, antiqua exempla-
ria docent legendum, *abrupti*.

*Illud in his quoque terebus cognoscere auemus:
Corpora cum deorsum rectum per inane feruntur
Ponderibus propriis: incerto tempore firmè,
Incertisque locis spatia decedere paullum,*

Tantum quod momen mutatum dicere possis.
Quod nisi declinare solerent: omnia deorsum,
Imbris uti gutta, caderent per inane profundum:
Nec foret offensus natus, nec plaga creata
Principiis: ita nil unquam natura creasset.
Quod si forte aliquis credit grauiora potesse.
Corpora, quo citius rectum per inane feruntur,
Incidere è supero leuioribus: atque ita plagas
Gignere, quæ possint genitales reddere motus:
Auius à vera longè ratione recedit.
Nam per aquas quæcunque cadunt, atque aëra deorsum,
Hæc pro ponderibus casus celerare necessest
Propterea, quia corpus aquæ, naturæque tenuis
Aëris haud possunt aequè rem quanque morari:
Sed citius cedunt grauioribus exsuperatæ.
At contra nulli de nulla parte, neque vllò
Tempore inane potest vacuum subsistere rei:
Quin, sua quod natura petit, concedere pergat.
Omnia quapropter debent per inane quietum
Aequè ponderibus non aequis concita ferri.

ILLUD IN HIS QVOQUE] Nunc incipit disputare de motu ter-
 tio, qui fit per declinationem, seu *κλίση*: quam excogitauit Epicurus
 duas ob causas. Primum quod si corpora prima suapte natura ad perpendi-
 culum mouerentur duntaxat, neque paulum declinarent: nunquam inter
 se copularentur, nunquam cohererent, nunquam confligerent: & ita nun-
 quam quicquam gignerent: deinde ut fati necessitatem vitaret. qua de re
 sic M. Tull. lib. 1. de nat. Deorum. *Cum videret Epicurus, si atomi ferrentur in*
locum inferiorem suapte pondere, nihil fore in nostra potestate, quod esset earum motus
certus & necessarius, inuenit quomodo necessitatem fati effugeret: quod videlicet De-
mocritum fugerat. ait atomum, cum pondere & grauitate directò deorsum feratur, de-
clinare paululum. hoc dicere turpius est, quam illud, quod vult, non posse defendere.
 Sed proprius huius disputationis locus est infra ibi. *Denique si semper motus*
conectitur omnis, Et vetere exoritur semper vsuus ordine certo, Nec declinando fa-
ciunt primordia motus Principium quoddam, quod fati fœdera rumpat, &c. ad quem
 locum plura dicimus. COGNOSCERE AVEMVS] nō celabo lecto-
 rem, quod leue ac nugatorium fortasse cuiquam videatur: sed ei tamen, qui
 versatur in lectione librorum calamo exaratorum, magni sit momenti: in

quattuor libris manuscriptis legi, *cognoscere habemus*: perspicuè mēdosè: quod
 eo consilio notauit, ut sciat lector minus tritus in huiusmodi libris, primum
 in eis aspirationis notam sæpe esse superuacaneam: & contra sæpe deside-
 rari: deinde sæpe b. pro u. & u pro b scriptum reperiri: quemadmodum &
 supra breuiter admonui, nullo exemplo proposito. Itaque nūc duo exem-
 pla huius rei insignia afferam: vnum est in oratione Cluentiana, quæ vulgò
 inscribitur pro A. Cluentio Habito: in quaque passim A. Cluentius Habitu-
 tus cognomento appellatur, cum & pro A. Cluentio Auito legendum sit,
 & A. Cluentius cognomento Auitus sit appellandus. alterum est, in Cato-
 ne maiore vbi vulgò legitur, *Audire te arbitror, Scipio, hospes tuus habitus Mas-*
sanissa, quæ faciat hodie, &c. cum legendum sit, *hospes tuus auitus*: de quibus lo-
 cis me admonuit Io. Faber Tolosanus vir doctiss. cū vnā Romæ effemus.
 Sic infra in principio lib. 3. cod. Vaticanus habet *Quod te imitari habeo, quid*
enim contendat hirundo Cygnis? cum perspicuum sit legendum esse, *auco*.
 P O N D E R I B V S P R O P R I I S] innata grauitate. F I R M E] sic ha-
 bent libri veteres, de qua scriptura iudicet lector ingeniosus. nam ex vul-
 gatis alij habent *fermè*: alij *ferri*. S P A T I O. D E C E D E R E P A V L L V M]
 omnes quos vidi, libri manuscripti habent *spatio se pellere*: Parisienses, & Ve-
 neti antiquiores, & Vicetini *depellere*: quos non sum secutus: cum præfer-
 rim quidam testentur *decedere* scriptum reperiri in exemplaribus antiquis-
 simis: quemadmodum legitur in Florentinis & Veneris recentioribus. non
 displicet tamen cuiusdam docti viri coniectura, qui existimat legendum
secedere. T A N T V M Q V O D M O M E N M V T A T V M D I C. P O S S.]
 sic reposui secutus antiquæ scripturæ vestigia. Nam tres quidem manu-
 scripti codices habent *Tantum quod momen mutare dicere possis*. Bertinianus
 autem & Memm. sine vlla litura, aut dissensione, ita ut excudendum cura-
 ui, *Tantum quod momen mutatum dicere possis*: cum quibus congruunt Floren-
 tini vulgati. Iam verò momen idem valet, quod momētum, id est exiguus
 motus, *πονή*. quidam docti putant legendum *Tantum quo ad momen*, &c. alij
 quidam *Tantum quod minimum momentum dicere possis*. Appellabat enim mi-
 nimum illud spatium *ἐλάχισον*, ut testatur M. Tull. lib. de Fato. N E C F O -
 R E T O F F E N S V S N A T V S] id est nec corpora prima unquam inter se
 offendissent, & conflixissent: non esset nata occurratio, aut offensio ato-
 morum. *offensus*, id est, ut Græci appellant, *ἀπέναντος*. vtitur eodem voca-
 bulo infra eod. lib. *Aut ex offensu cum turbant corpore in ipso*. & lib. 4. *Cogit be-*
bestere enim crebris offensibus aër. & lib. 6. *Non igitur multis offensibus in remo-*
rando Hæstat. Q V O D S I F O R T E] Occupatio est. Si quis (inquit) forte
 existimat grauiora corpuscula, quo citius directò per inane feruntur, eo ma-
 gis incidere posse in ea quæ sunt leuiora, & ita plagas quasdam gignere,
 quæ motus genitales reddere queant, errat. Nam si non esset inane, per
 quod mouentur corpora prima, sed omne esset plenum, & in eo pleno mo-
 uerentur principia rerum, valeret hæc ratio, & diceret aliquid, qui ea nite-
 retur, cum perspicuum sit, aquam & aërem facilius cedere corporibus gra-
 uioribus, quam leuioribus. nunc autem cum probauerimus corpora pri-
 ma per inane moueri, dicendum est æquè celeriter moueri corpora prima

leuissima, atque ea quæ sunt grauiſſima. POTËSSE] antiquum & tamen integrum, pro posse, vt supra diximus. INCIDERE E' SUPERO LEVIORIBVS] id est incidere in corpora leuiora, & propter leuitatem tardiora. sic loquitur infra paucis post versibus. *Haud igitur poterunt leuioribus incidere vnquam Ex supero grauiora, neque ictus gignere per se.* ATQVE ITA PLAGAS GIGNERE] sic restitui reclamantibus codicibus omnibus, veritate ipsa hanc scripturam flagitante. hoc enim significat verendum esse, si omnia corpora prima æquè celeriter per inane ferantur, ne nunquam alia aliis incidant: atque ita plagas seu ictus non gignant, ex quibus ictibus motus genitales oriantur. meam coniecturam adiuuat similis ille locus, quem paullo antè testem produxi. *neque ictus gignere per se, Qui variant motus, per quos natura genat res.* PRO PONDERIBVS] pro ratione ponderum, id est pro vt grauiora, aut leuiora sunt. NATVRAQVE TENVIS] in voce tenuis duæ syllabæ breues habentur pro vna longa: vel u fit consonans: quod item fit locis innumerabilibus. HAUD POSSVNT AEQVE REM QVANOVE] haud æquè, id est non æqualiter, non similiter. nam aqua magis subsistit corporibus, quàm aër: hinc fortasse fit, vt homines natate possint, qui didicerint: volare nunquam possint. lignum in aqua extat, neque mergitur in aère non extat, neque quiescit, sed deorsum fertur in terram. QVIN SVA QVOD NATVRA PETIT, &c.] usurpauit hunc versum, supra in extremo primo libro. AEQVE PONDERIBVS NON AEQVIS] ex hoc versu emendauit illum, qui est in libro primo, eo, quem modò commemorauit, loco.

*Haud igitur poterunt leuioribus incidere vnquam
Ex supero grauiora, neque ictus gignere per se,
Qui variant motus, per quos natura genat res.
Quare etiam atque etiam paullum inclinare necesse est
Corpora, nec plus quàm minimum, ne fingere motus
Obliquos videamur, & id res vera refutet.
Nanque hoc in promptu, manifestumque esse videmus,
Pondera, quantum in se est, non posse obliqua meare,
Ex supero cum præcipitant, quod cernere possis.
Sed nihil omnino recta regione viam
Declinare quis est, qui possit cernere, sese?
Denique si semper motus connectitur omnis:
Et vetere exoritur semper nouus ordine certo:
Nec declinando faciunt primordia motus
Principium quoddam, quod fati foedera rumpat,*

Ex

*Ex infinito ne causam causa sequatur:
Libera per terras vnde hæc animantibus extat,
Vnde est hæc, inquam, fatis auulsa voluntas,
Per quam progredimur, quò ducit quenque voluptas?
Declinamus item motus nec tempore certo,
Nec regione loci certa, sed vbi ipsa tulit mens.
Nam dubio procul his rebus sua cuique voluntas
Principium dat: & hinc motus per membra rigantur.
Nonne vides etiam patefactis tempore puncto
Carceribus, non posse tamen prorumpere equorum
Vim cupidam tam desubito, quàm mens auet ipsa?
Omnis enim totum per corpus materiai
Copia conquiri debet, concita per artus
Omneis: vt studium mentis connexa sequatur.
Vt videas initum motus à corde creari:
Ex animique voluntate id procedere primum:
Inde dari porro per totum corpus & artus.*

PER QVOS NATVRA GENAT RES] perspicuè hoc loco legendum genat, non gerat. nam quos paullo antè motus genitales dixit, per eos motus nunc ait naturam res gignere: quæ idem valent. PAVLLVM INCLINARE] in vno libro manuscripto legitur paullum clinare: quam scripturam probo: eamque puto esse corruptam ab eo, qui putaret verbum clinandi non esse Latinum, cum ab eo nascatur vox clinamen, qua infra vtitur ibi, *Id facit exiguum clinamen principiorum.* NEC PLUS QVAM MINIMUM] id appellabat Epicurus ἐλάχιον, vt testatur Laërtius, & M. Tull. lib. de Fato. verba M. Tull. sunt hæc. *tertius motus, cum declinat atomus interuallo minimo.* id appellat ἐλάχιον. NE FINGERE MOTVS] huc pertinent illa M. Tullij lib. i. de Finib. *Nam & ipsa declinatio ad libidinem fingitur.* ait enim declinare atomos sine causa: quo nihil turpius physico: & illum motum naturalem omnium ponderum è regione inferiorem locum petentium sine causa eripuit atomis. Nec tamen id, cuius causa hæc sinxerat, affecutus est. Nam sine omnes atomi declinabunt, nullæ vnquam coherescent: siue aliæ declinabunt, aliæ suo nutu rectè ferentur: primum erit hoc quasi prouincias atomis dare, quæ rectè, quæ obliquè ferantur: deinde eadem illa atomorum, in quo etiam Democritus hæret, turbulenta concursu, hunc mundi ornatum efficere non poterit. SED NIHIL OMNINO, &c.] ordo est, sed quis est, qui possit cernere, corpora prima nihil omnino se de recta regione declinare? Verbum declinare hoc loco iungitur cum quarto casu, & est ἐπερπικόν. vt apud Virgil. lib. Æneid. 4. *Nec dulci declinat lumine somno.* & apud M. Tull. de Fato. *Quæ ergo noua causa in natura est, quæ de-*

Q

clinat atomum? NEC DECLINANDO FACIUNT PR. M. P. Q
 QVOD FATI FOED. RVMP.] id est quod tollat fatum, seu fati neces-
 sitatem. Hac de re sic M. Tull. lib. de Fato. *Sed Epicurus declinatione atomi vi-
 tari fati necessitatem putat. Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus & pla-
 gam, cum declinat atomus intervallo minimo: id appellat ἐλάχιον. Quam declinatio-
 nem sine causa fieri, si minus verbis, re cogitur confiteri. non enim atomus ab atomo
 pulsa declinat. nam quæ potest pelli alia ab alia, si gravitate feruntur ad perpendiculari
 corpora individua rectis lineis, ut Epicuro placet? Sequitur enim, ut, si alia ab alia nū-
 quam depellatur, ne contingat quidem alia aliam. Ex quo efficitur, etiam si sic atomus,
 eaque declinet, declinare sine causa. hanc rationem Epicurus induxit ob eam rem, quod
 veritus est, ne, si semper atomus gravitate ferretur naturali ac necessaria, nihil liberum
 nobis esset, cum ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur. legito, si vacas,
 cetera quæ sequuntur. Huc eodem pertinet locus ille ex libro primo de na-
 tura deorum, quem paullo antè testem produximus. *velut Epicurus cum vi-
 deret, si atomi ferrentur in locum inferiorem suoque pondere, nihil fore in nostra pote-
 state, quod esset earum motus certus & necessarius, invenit quo modo necessitatem fa-
 ti effugeret, &c.* Eadem de re sic Plutarch. lib. *πότ' ἔστι τῶν ἁπάντων φενημώτερον. ἔστι
 δ' αὐτοὶ τῶν ἐπιπέδων διδασκόντες τῶν μεγίστων συγκροτῶν καὶ φάλλον, ἀτομον
 σφαιρικόν, ἢ μίαν ἐπιτάλαχιστον, ὅπως ἄσπρα καὶ ζῶα, καὶ τῶν παρρησέλθῃ καὶ τὸ ἐφ' ἡμῶν μὴ
 ἀπόληται.* Id est, neque enim ipsi (Stoici) dant Epicuro rerum maximarum
 causa rem tam parvam & leuem, atomum unam declinare minimo inter-
 uallo, ut astra & animalia & fortuna recipiatur: & ut ne libera voluntas, ac
 potestas nobis pereat. EX INFINITO NE CAUSAM CAUSA SE-
 QVATVR.] atque ita sit fatum. nam fatum nihil aliud est quam εἰρηός, seu
 συμπολιτὸν αἰτίας τῶν ἐπιπέδων: id est series seu connexio causarum ordinata. Iam
 qui introducunt causarum seriem ordinatam, ac sempiternam, ij mentem
 hominis libera voluntate spoliaram fati necessitate denunciant, ut scribit
 M. Tull. de Fato. FATIS AVOLSA VOLVNTAS] id est fati non al-
 ligata. Sic autem legendum hoc loco, non, ut in vulgatis, *avolsa voluptas*: ut
 contra proximi versus scriptura recta est. *Per quam progredimur, quod ducit
 quenque voluptas.* tale enim est illud Virgilianum in Alex. *trahit sua quenque
 voluptas.* NAM DVBIOPROC. HIS. R. S. CVIQVE VOL.] Volun-
 tas est principium motus in nobis. sic Arist. Physic. ET HINC MO-
 TVS. PER MEMBRA RIGANTVR.] sic habent omnes libri typis ex-
 cusi, quos quidem viderim. quam scripturam si probabimus, erit translatio:
 & hunc locum sic explicabo. *hinc*, id est à voluntate, *motus rigantur*, id est cō-
 plentur, aluntur, amplificantur, & propagantur. lib. 5. *Quod maria, ac terras
 omnes, calūmque rigando Compleat.* in duobus libris manuscriptis scriptum est,
per membra vagantur: cuius scripturæ sententia plana est: cāmque ne quid
 dissimulem, ceteris antepono. quidam legēdum censent *per membra regun-
 tur*, atque ita legitur in cod. Memmiano, & Tethiano. ex qua scriptura, si
 coniecturæ locus est, libenter facerem *genuntur*, id est gignuntur. quasi di-
 ceret Lucretius, in nobis à voluntate motus proficisci, atque oriri. quod
 quidem idem valet, atque id, quod & paullo antè dictum à nobis est, &
 Aristoteles item tradidit, voluntatem esse principium & originem motus.*

in nobis. fuit autem lapsus proclivis, ut ex *genuntur* fieret *genuntur*, deinde
 ex *genuntur* modò *reguntur*, modò *rigantur*. NONNE VIDES ETIAM,
 &c.] Virg. Geor. I. *Ut cum carceribus sese effudere quadrigæ, &c.* TAM DESV-
 BIT O] idem lib. 3. *Sape ita de subito permixta cade calenteis.* Ennius. *Cum de su-
 bito me orat mulier, lacrymāsque ad genua accidit.* Plautus Bacch. *Quid si apud
 te veniat desubito prandium, aut potatio? &c.* QVAM MENS AVET IPSA]
 profert hunc locum Nonius. sed corruptè. scriptum est enim in exemplis
 Nonij *quam mens habet ipsa*. b pro u cum aspiratione superuacanea. quæ
 duo sæpe peccantur in codicibus manuscriptis, ut supra diximus. CON-
 QVIRI DEBET] in quibusdam libris manuscr. *concuri*. quod non temere
 admoneo, sed ut sciant studiosi lectores sæpe à librariis illis positū reperi-
 ri c pro qu. ut *aca pro aqua*. CONNEXA SEQVATVR] sic habet omnes
 libri vulgati: quidam scripti *connixa*. UT VIDEAS INITVM MOTVS,
 &c.] sic habent cod. Aldini recentiores, & Paris. & Lugdunenses vtriq; &
 manuscripti Bertin. Memm. Tethian. *initum* autè interpretor ingressum,
 seu introitū, ut lib. 1. *Significant initum percussa corda tua vi.* alij habent *initū*,
 ut manuscriptus Vaticanus, & excusi Vicetini ac Florētini: quam postero-
 rem scripturā si recipimus, in voce *initium* i & u coeunt in vnam syllabā: sic
 idē lib. 3. *Et mobilis illa vis, initū motus ab se qua diuidit ollis.* DARI POR-
 R O] dari porro, id est amplificari, ac dilatari, seu permanere, distribui, didi.

*Nec similest, ut cum impulsu procedimus ictu,
 Viribus alterius magnis, magnoque coactu.
 Nam tum materiam totius corporis omnem
 Perspicuumst nobis inuitis ire, rapique,
 Donec eam refrenavit per membra voluntas.
 Iamne vides igitur, quanquam vis extrema multos
 Pellit: & inuitos cogit procedere saepe:
 Precipitesque rapit: tamen esse in pectore nostro
 Quiddam, quod contra pugnare, obstareque possit:
 Cuius ad arbitrium quoque copia materiai
 Cogitur interdum flecti per membra, per artus:
 Et proiecta refrenatur, retróque residit?
 Quare in seminibus quoque idem fateare necessest,
 Esse aliam præter plagas, & pondera causam
 Motibus: vnde hæc est nobis innata potestas:
 De nihilo quoniam fieri nil posse videmus.
 Ponderum enim prohibet, ne plagis omnia fiant,
 Externa quasi vi. sed ne mens ipsa necessum*

*Intestinum habeat cunctis in rebus agendis:
Et deuicta quasi cogatur ferre, patique:
Id facit exiguum clinamen principiorum.
Nec regione loci certa, nec tempore certo.*

NEC SIMILE EST, &c.] quia hoc fit ab inuitis: illud sponte & voluntate nostra. Vide Aristor. lib. 3. ἡδμκ. Νικολμ. vbi disputat περὶ ἐκκλίσεως καὶ ἀκκλίσεως. VIRIBVS ALTERIVS] significat id quod Aristoteles eo quem modò dixi loco, βίαιον, id est violentum nominat: quod sic definit ille. βίαιον ἔστι ἀρχὴ ἐξωθεν μὴ δὲν συμβαλλομένη τῷ κινήσει τούτου. Violentum est id cuius principium est extrinsecus nihil adiuuante eo, quod agit. sumit autem partem ἀκκλίσεως. nam ἀκκλίσειον diuiditur ἐς τὸ δι' ἀγνοίαν, ἐπίλυτον δὲ καὶ ἐπὶ μελέμελειᾳ, καὶ ἐς τὸ βίαιον. id est in id quod fit per ignorantiam, quod postea molestum fit, cuiusque pœniteat: & in violentum. DONEC EAM] materiam. nonnulli libri habent *Donec clausa refert. fortasse legendum Donicum eam.* VIS EXISTIMAM.] nonnulli libri habent, *extera.* COGIT] βιάζεται, ἀναγκάζει. QUIDDAM,] nempe voluntatem fati necessitate solutam. ET PROIECTA REFERT.] & profusa reprimitur, & recto quiescit? ESSE ALIAM PRAET. PL. ET POND. CAVS.] nempe declinationem. Perspicue igitur hoc loco Lucretius ex Epicuri sententia tertium genus motus, qui fit per declinationem, ponit. PRAETER PLAGAS] per quas fit motus sursum. PONDERA] ex quibus oritur motus deorsum, qui proprius est omnium corporum. VNDE HAEC EST NOBIS] à qua declinatione nata est in nobis libertas agendi, fati necessitate soluta. M. Tull. lib. 1. de nat. deor. *Epicurus cum videret, si atomi ferrentur in locum inferiorem suo pondere, nihil fore in nostra potestate, quòd esset earum motus certus, & necessarius, inuenit quomodo necessitatem effugeret.* legendum est autem, vt excudendum curauimus, *nobis innata potestas, vt scriptum est in codice manuscr. Vaticano & Memmiano. non vt habent plerique libri excusi, ollis innata potestas.* DE NIHILO QVONIAM, &c.] at de nihilo esset hæc nobis innata quilibet agendi potestas, si non esset atomorum declinatio. PONDVS ENIM PROH] per quod corpora deorsum mouentur per se, & sua sponte: & cum æquali celeritate moueantur, nunquam alterum ab altero tangi potest. SED NE MENS IPSA] sic restitui reclamantibus libris omnibus, ratione hanc scripturam efflagitante. NECESSVM INTESTINVM] necessitatem intestinam, cuius causa efficiens esset motus atomorum naturalis certus & necessarius, qui fit deorsum. EXIGVVM CLINAMEN] id est minima declinatio atomorum. *clinamen* autem à verbo *clino*, *as*. ex quo *acclinis*. Horat. saty. 2. lib. 2. *Acclinis falsis animus, &c.*

*Nec stipata magis fuit vnquam materiai
Copia, nec porro maioribus interuallis.
Nam neque adaugefcit quicquam, nec deperit inde.*

*Quapropter quo nunc in motu principiorum
Corpora sunt, in eodem antea acta etate fuere:
Et posthac semper simili ratione ferentur:
Et quæ consuerunt gigni, gignentur eadem
Conditione: & erunt, & crescent, inq̄ valebunt,
Quantum cuique datum est per fœdera naturæ.
Nec rerum summam commutare vlla potest vis.
Nam neque quòd possit genus vllum materiai
Effugere ex omni, quicquid est: neque rursus, in omne
Vnde coorta queat noua vis irrumperere, & omnem
Naturam rerum mutare, & vertere motus.*

ET QVÆ CONSERVANT] sic legendum, & ita habent duo libri manuscripti: alij *consuerunt.* EADEM CONDITIONE] eadem lege, eodè pacto. IN QVÆ VALEBUNT] & inualebunt, seu inualescent. τῶνδ' ὡς, vt Virgil. lib. 9. *Æneid. Inque salutatem.* & Lucret. *conque globata, inque pedata, disque supatis,* & simil. sexcetera. QVANTVM CVIQVE DATVM EST] verbum est, quod aberat à plerisque vulgatis, reposui auctoritate manuscr. codicum, & aliorum vulgatorum fretus. NEC RERVM SVMMAM, &c.] id est nec τὸ πᾶν, id est vniuersum, seu omne, vt sæpe ipse appellat, vis vlla commutare potest. longe igitur aliud est omne, quàm mundus. Nam mundus interibit etiam ex sententia Epicuri. immò. verò idem sentit infinitos quotidie mūdōs & oriri, & interire. lib. 5. *Quod superest, ne te in promissis plura mouemur. Principio maria, ac terras, calumque tuere.* Horum naturam triplicem, tria corpora Memmi, Treis species tam dissimileis, tria talia texta *Vna dies dabit exitio, multòsque per annos sustentata ruet moles, & machina mundi.* idem ibidem infra. *quapropter maxima mundi Cum videam membra, ac parteis consumta regigni, Scire licet cali quoque idem, terræque fuisse Principiale aliquod tempus, clademque futuram.* EX OMNI] ex summa, ex vniuerso, ἐκ τῆς παντός. vt paullo antè diximus. NEQVE RVRSVS, IN OMNE VNDE] ordo est. neque rursus quicquam est, vnde, id est ex quo noua vis coorta in omne irrumperere queat. IN OMNE] ἐκ τῆς παντός.

*Illud in his rebus non est mirabile, quare,
Omnia cum rerum primordia sint in motu:
Summa tamen summa videatur stare quiete,
Præterquam, si quid proprio dat corpore motus.
Omnis enim longè nostris ab sensibus ipsa
Primorum natura iacet, quapropter vbi illa*

*Cernere iam nequeas, motus quoque surpere debent:
Præsertim cum quæ possimus cernere, celent
Sæpe tamen motus, spatio diducta locorum.
Nam sæpe in colli tondentes pabula læta
Lanigeræ reptant pecudes, quò quanque vocantes
Inuitant herba gemmantis rore recenti:
Et satiati agni ludunt, blandèque coruscant.
Omnia quæ nobis longè confusa videntur:
Et veluti in viridi candor consistere colli.
Præterea magnæ legiones cum loca cursu
Camporum complent belli simulacra cientes:
Et circumuolitant equites, mediòsque repente
Transmittunt valido quatientes impete campos:
Fulgur ibi ad cælum se tollit, totaque circum
Aere renidescit tellus, subterque virum vi
Excitur pedibus sonitus, clamorèque montes
Icti reiectant voces ad sidera mundi:
Et tamen est quidam locus altis montibus, vnde
Stare videtur, & in campis consistere fulgur.*

ILLVD IN HIS REBVS] *ἀδύποποιήσι*. non est (inquit) mirū ipsam vniuersum, atque ipsam summā rerum videri stare & quiescere, cum principia rerum perpetuo motu agitentur. PRAETER QVAM SI QVID] vt cælum, aër, aqua, &c. LONGE NOSTRIS AB SENSIBVS IPSA] sic legendum, non *ab sensibus infra*. QVAPROPTER VBI ILLA] cum in duobus libris calamo exaratis scriptum reperissem, *vbi illum* ego ex voce *illum*, feci *illa*, vt intelligamus corpora prima, quòd si quis mallet legi *illam*, vt subintelligamus primorum naturam, non magnopere repugnabo. sed tum versu proximo legendum erit *surpere debet*. SURPERE] pro surripere. sic Horat. od. 12. lib. 4. *quid habes illius, illius, Quæ spirabat amores: Quæ me surpuerat mihi?* PRAESERTIM CVM QVAE] argumentū ductū à rebus quæ videndi sensu percipiuntur: cuius argumētū hæc vis est. Si earum rerum, quas cernere possumus, motus aspectum nostrum fugiunt propter longum locorum interuallum: quāto verisimilius, & magis cum ratione consentaneum est, principiorum, quæ sub sensum oculorum non cadunt, motus non cerni? IN COLLI] in colle. sic alibi *partii, contagi* &c. pro parte, & *contage*, ponere solet. REPTANT] translatio. Horat. etiam ad homines transtulit epist. ad Tibull. lib. 1. *An tacitum siluas in-*

ter reptare salubris, &c? GEMMANTES] id est rore perfusæ, & ita gemmarum speciem præ se ferentes. idem lib. 5. *Aurea cum primū gemmantis rore per herbas, &c.* BLANDEQUE CORUSCANT] secutus sum cod. manuscriptos Vaticanum & Bertinianum, & typis excusos Florentinos. nam ceteri vulgati ferè omnes habent partim *choruscant*, partim *coruscant*. iam *coruscant* interpretor dimicant cornibus scilicet: cornibus se mutuo petentes coruscationem quandam referunt. Sic fere Virgil. nisi quòd *coruscant* vsurpauit Aeneid. 12. *Cumstanti telum Aeneas fatale coruscet*. idem lib. 8. *duo quisque Alpina coruscet Gæsa manu*. vel interpretare simpliciter *coruscant*, *trepidant*, huc & illuc mouentur, saltitant. sic ferè Plautus Rud. *Equidem me ad velitationem exerceo*. Nam *omnia corusca præ tremore fabulor*. BELLSIMVLACRA CIENTES] Virgil. lib. 5. *Quæ ludo nitentus bello simulacra ciebat*. ibid. *pugnæ que cieri simulacra sub armis*. ET CIRCVMVOLITANTE QVITES] hos duos versus aliò translato, in suum locum restitui.

TRANSMITTUNT VALIDO] libri manuscr. duo & Aldini antiqui habent, *Tramittunt*. hunc locū profert Macrobi. lib. 6. Saturn. vbi ostendit hinc effectum, atque imitatum esse illud Virgilianum lib. 4. Aeneid. *alia de parte patenteis Transmittunt cursu campos, &c.* sic & Valer. Flaccus lib. 3. *Iamque ipse recenti Stat tumulto placida transmittens agmina lauro*. IMPETE] id est impetu: qua voce pluribus locis vtitur, vt lib. 4. *Despectum præbet sub terras impete tanto, &c.* & lib. 5. *Aut hominem tanto membrorum esse impete natum*. & lib. 6. *Extructis aliis alias super impete miro*. quòd item nomen indicat A. Gellius lib. 19. cap. 6. à Næuio, poëta esse vsurpatum. FVLGVR] id est fulgor: sic item infra sexto versu. videtur enim Lucret. altero pro altero promiscuè, & *ἀδραφῶς* vti. lib. 4. *Et quasi protelo stimulat fulgure fulgur*. & lib. 2. *Neque fulgorem reuerentur ab auro*. lib. 5. *nullo qui sit fulgore notatus*. FVLGVR IBI AD CAELVM SE TOLLIT] Homer. *ἰλ. β. ἔγχετον δὲ τὴν φαί-
νεται ἀγρῆναι τῶν ἐρχομένων ἀπο χαλκῆν θεαπέτοιο Αἴγλην παρφαυδῶτον δὲ αἰθέρεσσι ἕρ-
νῶν ἦκα*. RENIDESCIT] splendore armorum perfusa hilaritatem quandam præ se fert, & quasi risu diffundit spectatorem. SUBTERQUE] & subter pedes, sub pedibus. REIECTANT VOCES] referunt voces. in quibusdam cod. manuscriptis reperi scriptum *clamor quoque montes Icti, & ciebat voces ad sidera mundi*.

*Nunc age iam deinceps cunctarum exordia rerum
Qualia sunt, & quam longè distantia formis,
Percipe, multigenis quàm sint variata figuris:
Non quòd multa parum simili sint prædita forma,
Sed quia non volgò paria omnibus omnia constant.
Nec mirum, nam cum sit eorum copia tanta,
Vt neque finis (vti docui) neque summa sit vlla,
Debent nimirum non omnibus omnia profusa*

Esse pari filo, similique affecta figura.
 Præterea genus humanum, mutæque natantes
 Squammigerum pecudes, & læta arbusta, feræque,
 Et variæ volucres, lætantia quæ loca aquarum
 Concelebrant circum ripas, fontisque, lacusque:
 Et quæ peruolgant nemora auiæ peruolitantes:
 Horum vnum quoduis generatim sumere perge:
 Inuenies tamen inter se distare figuris.
 Nec ratione alia proles cognoscere matrem,
 Nec mater posset prolem: quod posse videmus,
 Nec minus, atque homines inter se nota cluere.
 Nam sæpe ante deum vitulus delubra decora
 Turicremas propter mactatus concidit aras,
 Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen.
 At mater virideis saltus orbata peragrans,
 Linqvit humi pedibus vestigia pressa bisulcis,
 Omnia conuifens oculis loca, si queat vsquam
 Conspicere amissum fætum: completque querelis
 Frondiferum nemus ad sistens, & crebra reuifit,
 Ad stabulum, desiderio perfixa iuueni.
 Nec teneræ salices, atque herbæ rore vigentes,
 Fluminæque vlla queunt summis labentia ripis
 Oblectare animum, subitæque auertere curam.
 Nec vitulorum aliæ species per pabula læta
 Deriuare queunt aliò, curæque leuare:
 Vsque ad eò quiddam proprium, notumque requirit.
 Præterea, teneri tremulis cum vocibus hædi
 Cornigeras norunt matres, agniquæ petulci
 Balanteis pecudes. ita, quod natura reposcit,
 Ad sua quisque ferè decurrunt vbera lactis.
 Postremò quoduis frumentum, non tamen omne
 Quodque suo in genere inter se simile esse videbis,
 Quin intercurrat quædam distantia formis.

Concharumque

Concharumque genus parili ratione videmus
 Pingere telluris gremium, quæ mollibus vndis
 Littoris incurui bibulam lauit aquor arenam.
 Quare etiam atque etiam simili ratione necesse est,
 Natura quoniam constant, neque facta manu sunt
 Vnius ad certam formam primordia rerum,
 Dissimili inter se quædam volitare figura.

NONC AGE IAM] hinc incipit docere primùm atomos formis, seu figuris inter se differre: deinde ostendet figurarum dissimilitudines esse finitas: postremò singularum figurarum corpora prima esse infinita. NON QVOD MVLTAPARVM] non quòd parum multa sint corpora simili figura nata, (nam tantum abest, vt pauca sint, vt etiam sint infinita) sed quia omnia corpora non sunt simili inter se figura prædita. VT NEQVE FIN. VT ID. NEQVE SVMMASIT VLLA] nequæ numerus sit vllus. Nam τὸ πᾶν dicebant Democritus & Epicurus esse infinitum & magnitudine infiniti, & multitudine atomorum. ESSE PARI FILO] simili textura. translatio à tela. sic dicimus poëma & orationem esse tenui filo, crasso filo, subtili filo. idem lib. 4. Quæ volgò volitant subtili prædita filo. filum significat etiam interdum extremum cuiusque rei lineamentum, vt lib. 5. Perparuum quiddam interdum mutare videtur. Alterutram in partem filum. PRÆTEREA GENVS HVMANVM] argumentum ab effectis. animantes ipsæ, quæ constant ex atomis, animantes, in quâ, eiusdem generis, & speciei inter se differunt figura. non enim omnes equi, non omnes tauri, non omnes canes, (& item de ceteris sentiendum) simili sunt figura præditi: alioqui mater prolem non agnosceret. at mater prolem agnoscit, vt equa suos pullos, canis suos catulos, cerua suos hinulos, & contra: ergo atomorum non vna est figura. hunc versum cum eo qui proximè sequitur, citat Non. Marcellus in voce pecudes, probans non solum quadrupedes, verum etiam pisces, pecudes appellari. Idem infra eod. lib. sic denique mutas Squammigerum pecudes. &c. MVLTAEQVE NATANTES] duo epitheta maximè piscium propria mutæ & natantes: Ita Græci πλεῖστον γένος τῶ ἀφρονον dicunt. sed tamen non omnes piscis esse mutos tradiderunt Aristoteles, & alij nonnulli. lege si vacas, quæ annotauimus in commentariis nostris Horatianis ad illum locum od. 3. lib. 4. O mutis quoque piscibus Donatura cycni, si libeat, sonum. ET VARIÆ VOLVCRE] vel dissimiles, vel varij coloris, & ποικίλαι. Idem lib. 4. Tum variæ fugiunt volucres, &c. CONCELEBRANT] colunt, celebra reddunt: vt lib. 1. quæ terras frugiferentes Concelebras. INVENIES TAMEN INTER SE DIST. FIGVRIS] duo libri manuscripti habent distare figuris. Bertinianus autem differre figuris: & ita Memm. NOTACLVERE] nota apparere, nota esse. ANTE DEVM DELVBRA] id est ante deorum simulacra & statuas. nam delubrum dictum est quasi delibrum. estque fustis delibratus: id est lignum, cui cortex detractus est: quod

R

venerabantur pro deo. Festus. TVRICREM. PR. M. C.] Virg. lib. 4. *Vidit turicremis cum dona imponeret aris, &c.* Macrobius lib. 6. AT MATER VIRID. SALT.] hunc affectum matrum omnium communem, ac naturalem erga fetus suos etiam Oppianus *Αμειλ.* a. describit sub finem his verbis. *Οἶον δ' ἐλακομέναις αἰδῶ πόρπας ἀχαιδάσαι* Μητέρες; ἢ ἀπάτερες; γυναικείων σενάχουσι *Κωνσταντῶν, αὐτῶν δὲ σωμαλγύουσι γούνας:* &c. nam satis est mihi locum indicasse. & item apud Ouid. lib. 4. Fastrorum Ceres amissam filiam lamentabili voce requirens, cum vacca vitulum suum raptum gementem comparatur. *Et vitulo mugit sua mater ab ubere raptο, Et querit fetus per nemus omne suos, &c.* BISVLICIS] *διχίλοις*, bifidis. ET CREBRA REVISIT] crebra, id est crebro. Virg. Georg. 3. *Et pede terram Crebra ferit.* idem lib. 4. *nec sera comantem Narcissam.* sic apud Hom. *κραιπνὸν προ κραιπνῶν.* & similia. AD STABVLVM] *ξεμιστῖ* ad stabulum, honestè dictum, ut illud Terent. Hecy. nunc ad eam visam. idem Lucret. lib. 6. *Nam quicumque suos fugitabant visere ad agros, &c.* NECTEN. SA. ATQVE H. RORE VIGENTES] quæ ex rore vigorem, & vireis colligunt. nonnulli tamen legi malunt virentes. non admodum, dissimile est illud supra *Inuitant herba gemmantis rore recenti.* cum hoc loco congruit ille Virg. Georg. 3. *Non umbra altorum nemorum, non mollia possunt Prata mouere animum, nec qui per saxa volutus Puvior. electro campum petit annis, &c.* DERIVARE QVEVNT ALIO] id est conuertere aliò: ut loquitur lib. 4. extr. *atque aliò conuertere mentem.* Cum in duobus libris manuscriptis reperissem scriptum *Deriuare queunt aio,* & cum sæpe me autem hic locus cruciasset, quòd sciebam Latinos ita loqui non solere, *deriuare animum,* pro auocare animum à molesta aliqua cogitatione, aut cura: non dubitavi hac scriptura attentè considerata, quin ita legendum sit, ut ego restitui. sic autem loquitur M. Tull. *aliò responsonem suam deriuauit.* idem pro Milone: *Dicam enim nò deriuandi criminis causa, sed ut factū est.* CURA QVE LEVARE] sic habent libri veteres: alij *curamque lenare.* quanquam parum refert utro modo scribatur. AGNIQVE PETVLICI] *petulantes* & *petulci* appellantur (inquit Festus) *qui proteruo impetu, & crebro petunt ledendi alterius gratia.* Virg. Georg. 4. *neque oues, hadique petulci Floribus insultent.* citat Macrobius lib. 6. BALANTEIS PECVDIS] oueis. sic autem esse legendum, non ut habent libri vulgati, *Balatim pecudis,* arguunt veteres codices. sic loquitur lib. 6. *etiam pecuis balantibus agros.* QVOD NATVRA REPOSUIT] quidam docti legendum censent, *quoad natura reposcit.* præterea quidam libri vulgati habent, *quod natura peposcit.* VBERA LACTIS] vbera lactea supra lib. 1. *lanigera quali sunt vbera lactis.* POSTREMO QVODVIS] sic Stoici. M. Tull. lib. 2. Acad. *Stoicum est id quidem: nec admodum credibile, nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius: nullum granum, hoc refelli possunt: sed pugnare nolo. ad id enim, quod agitur, nihil interest, omnibusne partibus visares nihil differat, an internosci non possit, etiam si non differat.* Idem ibid. *Videsne ut in prouerbio sit ororum similitudo? tamen hoc accepimus, Deli fuisse complures saluis rebus, illis, qui gallinas alere solebant. hi cum ouum inspexerant, quæ id gallina peperisset, dicere solebant.* PINGERE] variare, ornare. translatio. MOLLIBVS] molles vnda dicuntur; quia facile cedunt aliis corporibus.

Virg. *Æneid.* 10. *Accepit venientem, & mollibus extulit vndis.* sic iterum Lucret. lib. 1. *Quam cum mollis aqua fertur natura repente Flumine abundanti, &c.* LITTORIS INCVRVI] hunc versum profert Nonius in voce *lanit*, ut probet hoc verbum à veteribus usurpatum esse in tertia coniugatione. quod item admonuimus in comm. Horatiani ad. Oden. 3. lib. 2. Veruntamen in cod. Bertin. scriptum est, *bibulam pauit aquor arenam.* pauire autem, est ferrere. BIBVLAM ARENAM] Virg. Georg. 1. *Collectum humorem bibula deducit arena.* VOLITARE] moueri, ferri. translatio.

*Perfacile est iam animi ratione exsoluere nobis,
Quare fulmineus multo penetratior ignis,
Quam noster fluat è tedis terrestribus ortus.
Dicere enim possis caelestem fulminis ignem
Subtilem magis è paruis constare figuris:
Atque ideò transire foramina, quæ nequit ignis
Noster hic è lignis ortus, tedaque creatus.
Præterea lumen per cornu transit: at imber
Respuitur. quare: nisi luminis illa minora
Corpora sunt, quam de quibus est liquor almus aquarū?
Et quamuis subito per colum vina videmus
Perfluere: at contra tardum cunctatur oliuum,
Aut quia nimirum maioribus est elementis:
Aut magis hamatis inter se, perque plicatis.
Atque ideò fit, uti non tam deducta repente
Inter se possint primordia singula quæque,
Singula per cuiusque foramina permanare.*

PERFACILE EST IAM ANIMI RAT.] sic excudendum curati cum à vulgatis absit particula iam. RATIONE ANIMI] id est intelligentia. supra lib. 1. *Nec, ratione animi quam quisquam possit apisci.* PENETRATOR IGNIS] sic cod. Bertinianus & Memm. E TEDIS] teda sextum genus est arborum cognatarum, quæ picem, & resinam gignit. sunt enim hæc sex, pinus, pinastrer, abies, picea, latex, teda. lege Plin. lib. 16. cap. 10. CAELESTEM FVLMINIS IGNE] cod. Bertin. & Memmian. habent *caelestis fulminis ignem.* NOSTER HIC E LIGNIS] sic restitui secutus codices Ald. antiquos, Vicetinos, Parisiens. Lugdunens. quibuscum consentiunt manuscripti Bertin. & Memm. iam hic pronomen quin breue sit, non dubium est. Virgil. lib. 4. *Æneid.* *Solus hic inflexit sensus, &c.* PER CORNV TRANSIT] sic habent libri manuscripti tres:

quibuscum congruunt utriusque Aldini, Vicet. Paris. Florent. codex Bertinian. *cornum*, per cornu autem laternam corneam intellige. ET QVAMVIS SVBITO] id est quantumvis subito. PER COLVM] vas ad colendum aptum, ex lapide, aut argilla. AVT MAGIS HAMATIS] quæ ἀγασπιδῆν nominat Epicurus. PER QVE PPLICATIS] & valde perplexis. timetis: ut inque peditis, conque globatis, & simil. NON TAM DVCTA] sic legendum, non diducta. atque hanc scripturam confirmant codex Vatic. Bertin. & excusi Vicetini, ac Paris. *deducta* autem interpretor subtilia, atque attenuata. Virg. *deductum dicere carmen*. Afran. *respondit voce deducta*. Pompon. *Vocem deducas oportet, ut mulieris videantur verba*. lege Macrob. lib. 6. Saturni. SINGVLA QVAEQVE, SINGVLA] πάλιλλογία, ut apud Virgil. Sileno. *timidisque superuenit Aegle, Aegle naiadum pulcherrima*.

*Huc accedit, uti mellis, lactisque liquores
Incundo sensu lingua tractentur in ore.
At contra tetra absinthi natura, ferique
Centauri fædo pertorquent ora sapore.
Ut facile agnoscas è leuibus, atque rotundis.
Esse ea, quæ sensus incunde tangere possunt:
At contra quæ amara, atque aspera cunque videntur,
Hæc magis hamatis inter se nexa teneri,
Propterea que solere vias rescindere nostris
Sensibus, introituque suo perumpere corpus.
Omnia postremo bona sensibus, & mala tactu,
Disimili inter se pugnant perfecta figura:
Ne tu forte putes ferræ stridentis acerbum
Horrorem constare elementis leuibus æquè,
Ac musæa mele, per chordas organici quæ
Mobilibus digitis expergefata figurant:
Neu simili penetrare putes primordia forma
In naribus hominum, cum tetra cadauera torrent,
Et cum scena croco Cilici perfusa recens est,
Aræque Panchæos exhalat propter odores.
Nève bonos rerum similis constare colores
Semine constituas, oculos qui pascere possunt:
Et qui compungunt aciem, lacrymaræque cogunt:*

*Aut fæda specie tetri, turpèsque videntur.
Omnis enim sensus quæ mulcet causa, iuuatque,
Haud sine principali aliquo leuore creata est:
At contra quæ cunque molesta, atque aspera constat,
Non aliquo sine materia squallore reperta est.*

FERRIQVE CENTAVRI] & feri Centauri natura: id est cetaureum, seu centaurium productis iis syllabis, quæ sunt ante ultimas. Ferum autem appellat proprie, respiciens Chironem centaurum partim equum, partim hominem: & ita immanem, agrestè, & non humanum. *Centaurium* (inquit Festus) *medicamentum à Chirone centauro inuentum*. Virg. Georg. 3. *græue olentia centaurea*. Lucret. lib. 4. *Abrotanique graues, & tristia centaurea*. PERTORQVENT ORA] id est efficiunt ut qui ea gustat, ac mandit, os distorqueat: quemadmodum aiunt eos qui herbam Sardoam degustarit, ore distorto mori: vnde risus Sardonius. Hom. *Σαρδόνιος δ' ἐξέλασσε*. QVAE AMARA] in voce quæ diphthongus æ corripitur, neque eliditur. quod sæpe fieri solere admonuimus in commentar. Horat. *quæ amara, & c. cumque pro quacunque amara, & c. timetis*. VIAS RESCINDERE] sic habent duo cod. manuscr. & typis excusi Paris. Florent. vni Lugdun. al. *restringere*. SERRAE STRID. ACERB. HORR.] *acerbum horrorem*, tralatio est à gustandi sensu, ad auditum. Nam acerba sunt, quæ sunt linguæ & palato ingrata propter insitam immaturitatem: ferræ horror autem non gustatū, sed auditum offendit. M. Tull. lib. 5. Tuscul. *surdi vocem ciuitarum non audiunt: ne stridorem quidem ferræ audiunt tum cum acuitur*. MVSÆA MELE] citharas musicas, sic cycnæa mele dicit sexta ab hinc pagina: *Et cycnæa mele, Phœbæaque Dadala chordis*. μέλι vox Græca, vnde poëta melici, qualis Simonides. Plin. lib. 7. cap. 24. *inuenta memoria est à Simonide melico*. de eod. Quintil. lib. 11. cap. 2. videntur autem hi poëta melici appellati quæ eorum carmina non ad lyram, sed ad alia organa musica canerentur. Idem Lucret. lib. 5. *modò organici melicos peperere sonores*. ORGANICI] qui digiti pulsantes organorum chordas, seu neruos, suauis eliciunt sonos. Idem lib. 5. *modò organici melicos peperere sonores*. quem locum iam iam protuli. MOBILIBVS DIGITIS] sic legendum, non *nobilibus*. EXPERGEFACTA] excitata. FIGVRANT] conformant, *συνδέλλοσι*. SCENA] scio hoc nomen passim in veteribus marmoribus & mēbranis scribi cum diphthongo æ *scæna*: veruntamen vsus secutus sum, præsertim cum sit Græcū σκηνή: autem vertetur in a longum. CROCO CILICI] crocū Cilicium laudatur, ut oleum Venafranum, vinum Falernum. Ouid. Fast. 4. *Térque lauet nostras spica Cilissa comas*. Plin. lib. 27. cap. 6. *prima nobilitas est croco Cilicio in Coryco, & c. perfundebatur autē scæna croco*. Horat. epist. ad August. *Retè, nècne crocum, florèsque perambulet Aitæ Fabula si dubitem, clament periisse pudorem, & c.* PANCHÆOS] Arabicos. Virgil. Georg. 4. *Panchæis adoleseunt ignibus aræ*. OCYLOS QVI PASCERE] delectare. tralatio. sic

Terent. Phorm. restabat aliud nihil, nisi oculos pascere, sectari, in ludum ducere, & reducere. Virgil. lib. 4. Æneid. atque animum pictura pascit inani. Lucret. lib. 1. Pascit amore avidos inhians in te dea visus. TETRI TURPES-
QVE VID.] nonnulli legunt. fœdi, turpēsque: in quibusdam libris scriptū est. turpes, olidique. sed hoc olidi deprauatum esse puto. OMNIS ENIM, SENSUS QVÆ MVLCET CAUSA, IVVATQVE] in eo codices manuscriptos secuti sumus, quod mulcet, reiecto illo multat excudendum curauimus. quibuscum consentiunt vulgari Veneri antiq. Vicetini, Parisienses. in hoc non sum securus, quod habent, cunque videntur vitiosè, non ut legendum est, causa, iuuatque. HAVD SINE PRINC. AL. LAEVO-
RE] sic legebat hunc versum Pontanus, & ita habent cod. Aldini antiq. & Parisienses. ita denique emendatum est ad oras codicum Lugdunensium: læuorem principialem intellige, leuorem primorum corporum, seu principiorum, ut contrà statim dicit materiæ squallotem. vsus est eadem voce lib. 5. Scire licet cali quoque idem, terræque fuisse Principiale aliquod tēpus, cladē-
que futuram. AT CONTRA QVÆCVNQUE] sic legendum, & ita habent cod. Aldini antiq. & Paris. post versum proximū in omnibus vulgatis libris, (Aldinos, & Vicetinos excipio) reperiuntur duo versus inepti, & superuacanci. Itaque eos reieci, præsertim cum abiant à manuscriptis, & in codice Iouiani Pontani deleti sint.

Sunt etiam quæ iam nec læuia iure putantur
Esse, neque omnino flexis mucronibus vnca:
Sed magis angellis paullum prostantibus: & quæ
Titillare magis sensus, quæ in lædere possunt:
Fæcula iam quo de genere est, inulæque saporis.
Denique iam calidos igneis, gelidamque purinam,
Disimili dentata modo compungere sensus
Corporis, indicio nobis est tactus vterque.
+Tactus enim, tactus, (pro diuūm numina sancta.)
Corporis est sensus, vel cum res externa sese
Insinuat, vel cum lædit, quæ in corpore nata est:
Aut inuat egrediens genitales per Veneris res:
Aut ex offensu cum turbant corpore in ipso
Semina, confunduntque inter se concita sensum:
Ut si forte manu quamuis iam corporis ipse
Tute tibi partem ferias, æquè experiare.
Quapropter longè formas distare necessest
Principiis: varios quæ possunt edere sensus.

Denique quæ nobis durata, ac spissa videntur,
Hæc magis hamatis inter sese esse necessest,
Et quasi ramosis altè compacta teneri.
In quo iam genere in primis adamantina saxa
Prima acie constant, iētus contemnere sueta:
Et validi silices, ac duri robora ferri,
Aeræque, quæ claustris restantia vociferantur.
Illa quidem debent ex læuibus atque rotundis
Esse magis, fluido quæ corpore liquida constant.
Nec retinentur enim inter se glomeramina quæque:
Et procurfus item in procline volubilis extat.
Omnia postremo, quæ puncto tempore cernis
Diffugere, ut fumum, nebulas, flammæque, necessest,
Si minus omnibus sunt è læuibus, atque rotundis:
At non esse tamen perplexis indupedita,
Pungere vti possint corpus, penetraræque saxa.
—Nec tamen hæere inter se: quod quisque videmus
—Sensibus esse datum: facile ut cognoscere possis
—Non è perplexis, sed acutis esse elementis.
Sed quod amara vides eadem, quæ fluuida constant:
Sudor vti maris est: minime id mirabile habendum.
Nam quod fluuidum est, è læuibus, atque rotundis
Est: at læuibus, atque rotundis mista doloris
Corpora: nec tamen hæc retineri hamata necessum.
Scilicet esse globosa, tamen cum squallida constant:
Prouolui simul ut possint, & lædere sensus.
Et quo mista putes magis aspera læuibus esse
Principiis, vnde est Neptuni corpus acerbum:
Est ratio secernundi, seorsumque videndi,
Humor dulcis vbi per terras crebrius idem
Percolatur, ut in foueam fluat, ac mansuescat.
Liquit enim super à tetri primordia viri
Aspera: quo magis in terris hærescere possunt.

SVNT ETIAM, QVAE] Etiam corpuscula quaedam esse dicit media inter laevia, & aspera. ANGELLIS] in quibusdam libris vulgatis reperitur *angululis*, quod idem valet. TITILLARE] *παραμιζεν*. tralatio. nam titillare est certae partis corporis humani contactu, nempe eius, quae sub alis est, risum vel invito excitare. itaque solus homo titillatur. hic autem tralatio posuit pro eo, quod est, contactu neque prorsus iucundo, neque plane aspero, & molesto sensus hilarare, & quasi diffundere. FABCVLA IAM QVODEG.] Horat. saty. 8. lib. 2. *acria circum Rapula, lactuca, radices: qualia lassum Peruelliunt stomachum: sifer, alec, facula Coa.* INVLAEQVE SAPORES] sic restitui ex auctoritate duorum cod. manuscript. tametsi Bertinianus habeat *inuiæ*, Memmianus *initia*, non *inula*. sed culpa est scriptorum libratorum. Inulam Horatius & Plinius dicunt amarum. Horat. saty. 8. lib. 2. *Erucae virideis inulis ego primus amaris Monstravi incoquere.* duo alij item manuscripti habent *vicia* quae saporis. vicia leguminis genus. Virg. Georg. 1. *Aut tenues fetus vicia, tristisque lupini.* vulgati ferè omnes habent, *vinique saporis.* DISSIMILI DENTATA] sic habent quinque lib. manuscr. & ita legendum? TACTVS VTERQVE] tactus ignis, & pruinae. quidam doctus legendum putat *tactus vtriusque*, id est tactus vtriusque. TACTVS ENIM TACTVS] *διακοπη* vt sup. princ. lib. 1. *Te, Dea, te fugiunt venti.* PRO DIVVM NUMINA SANCTA] pro dij immortales, pro diuina atque hominum fidem. his exclamationibus vti solemus in indignationibus, quasi hominibus diffisi ad Deos confugientes. M. Tull. in Laelio. *Nam quis est pro Deum fidem, atque hominum, qui velut, vt neque diligit quenquam, neque ipse ab ullo diligitur, circumfluere omnibus copiis, &c.* innumera sunt alia apud Plautum & Terent. exempla. sic idem Lucret. infra eod. lib. *Nam pro sancta Deum tranquilla peffora pace, Quae placidum degit auum, vitamque serenam, &c.* Quod autem ad huius loci sententiam attinet, supra lib. 1. docuit tactum sensum esse maxime corporis proprium, ibi. *Tangere enim & tangi, nisi corpus, nulla potest res: contra inane neque facere quicquam, neque pati posse, sed duntaxat motionis facultate corporibus praebere: quod his verbis docuit Epicurus, το δὲ κενὸν ὅτε ποῖν(ου) ἔτε παθεῖν δύναται, ἀλλὰ κίνησι μόνον δι' ἑαυτὸ τοῖς σώμασι παρέχεται.* AVTEX OFFENSU] sic legendum, & ita habent quattuor libri manuscripti. vsus est eadem voce sup. *Nec foret offensus natus, nec plaga creata.* CVM TURBANT] id est turbas excitant, vt accipiamus absolute, quomodo & sup. *Corporea, quae in solis radiis turbare videntur.* ad quem locum lege, quae annotata sunt. vel coniunge cum voce, sensum, quae sequitur, hoc modo: cum semina turbant & confundunt sensum, vt sit *ἐνεργητικόν.* HAMATIS] M. Tull. lib. 2. Acad. *vt ille qui asperis, & laevibus: hamatis, vinctisque corporibus coepta haec esse dicat interiecto mani.* ET QVASIRAMOSIS] sic restitui secutus codicem Bertinianum, & alios duos manuscriptos. ICTVS CONTEMNERE SVETA] sic Plin. de adamantib. lib. 37. cap. 4. *incudibus deprehenduntur ita respuentes ictum, vt ferrum vtrinque dissiat, &c.* Virg. lib. 6. *Porta aduersa ingens, solidoque adamante columna, Vis vt nulla virum, non ipsi excindere ferro Calicula valeant.* ROBORA FERRI] tralatio est, ab inanimato ad aliud inanimatum. nam robur proprie de quercu dicitur.

dicitur. sic sup. *Robore cum in saxi frangitur.* CLAVSTRIS RESTANTIA] vectibus, aut clauibus resistentia sonitum edunt. quidam legunt *quae claustris extantia*, & interpretatur aera quibus portae sunt inductae, atque opertae. ILLA AVTEM DEBENT] sic legendum, non *illa quidem*. ESSE MAGIS FLUIDO QVAE CORPORE LIQ. C.] sic habet omnes fere vulgati, quibuscum consentiunt duo manuscripti. sed cod. Scip. Tethij, & Faerni habent: *Esse magis, liquido quae corpore fluida constant.* NEC RETINENTVR ENIM] inter hunc versum & superiorem interpositus fuerat à nescio quibus hominibus versus ineptiss. & ab huius loci sententia alienissimus. *Namque papaueris haustus item est facilis, quod aquarum.* cum ego deleui. sententia autem huius loci haec est: ea (inquit) ex laevibus, & rotundis principiis constant oportet, quae sunt liquida, & fluida. cui rei argumento est, quod eorum glomeramina quaeque, id est corpuscula globosa, & rotunda, seu particulae glomeris in morem globosae, non retinentur inter se, id est non cohaerent inter se, neque manent constipatae, aut compactae. ET PROCURSVS ITEM] id est & cursus eorum productus, & porrotenus continuatus, item id est similiter in procliuem & pronum locum volabilis est. similiter autem, nempe vt glomeramina inter se non retinentur. procurrere est porro currere, vt progredi, proferre, &c. porro gradi, & porro ferre, seu in publicum gradi & ferre. in quibusdam libris tamen scriptum reperi: *Et percursus item.* Ne hoc quidem reticebo, à codice Bertiniano abesse praepositionem in qua est ante nomen *procliuem*. quae scriptura si cui placebit, *procliuem* erit aduerbium. neque est quod quenquam moueat syllaba vltima. nam breuem esse licet. cuius modi est. *sublime volantes*, & similia. PUNCTO TEMPORE] id est breuissimo tempore. puncto participium est. alij legunt *puncto tempore*. ego nihil muto. SIMINVS OMNIBVS SVNT] doctus quidam legendum putat *Si minus omnibus* suat: non vt vulgò *Si minus omnia sunt*. Nam supra dixit *Omnia possidem*, vt hic iterare eandem vocem sit *ταυτολογεῖν*. PUNGERE VT] in quibusd. libris scriptum est *Pandere*, in nonnullis impressum *pangere*, vtrūque mendose. NEC TAMEN HAERERE, &c.] hunc versum, & duos, qui deinceps sequuntur, *βελίζω*, ac delendos censeo, tanquam inculatos, adulterinos, neque Lucretianos germanos. quod cur ita sentiam, cum possim pluribus aliis argumētis firmissimis probare, his tribus contentus sum, quorum, hoc est primum, quod sint superuacanei: alterum, quod sententiam corrumpant: tertium est, quod horum versuum scriptor dicat cognosci posse res illas fumum, nebulas, flammam, & sim. constare ex acutis elementis, cum dicere debeat, ex laevibus & rotundis. nam acuta elementa in iis rebus locum non habent. SED QVOD AMARA] occurrit tacitae obiectioni, poterat enim quispiam dicere: si quae fluida sunt, constant primordiis laevibus & rotundis: amara autem, & cetera, quae laedunt sensum, ex asperis, hamatis, & squallidis, quid aqua marina fiet, quae liquida est simul & amara? SVDOR VTI MARIS EST.] aqua marina. Empedocles dicebat mare esse sudorem terrae, vt testatur Aristot. lib. 2. *μετεωρ.* cap. 3. cum reprehendens his verbis, *ὁμοίως δὲ γελῶν ἢ εἶπεν εἰπὼν ἰδρῶτα τῆς γῆς εἶναι τῆν*

δαλατῶν, οὐταί π' αὐτὸς εἰρηλάναι, καὶ δ' αὖτ' Εμπεδοκλῆς. αὐτὸς ποίησεν γὰρ ἔπος εἰπὼν, ἴσως εἰρηλάνει ἰκανῶς. ἢ γὰρ μεταφορὰ ποιητικὴν: αὐτὸς δὲ τὸ γινώσκει πλὴν φύσιν, ἐχ' ἰκανῶς, id est similiter autem ridiculum est etiam, si quis cum dixerit terræ sudorem esse mare, existimet se plani & manifesti aliquid dixisse: quemadmodum Empedocles. Nam ad poësin quidem ita locutus satis dixit: sed ad cognoscendam maris naturam, parum. MINIME ID MIRABILE HABENDVM] sic habent plerique codices typis excusi: quos secutus sum. nam manuscripti hoc loco deprauati sunt. NAM QVOD FLVVIDVM EST] hic. m. non eliditur. qua de re supra diximus lib. I. Respondet iis quæ obiecta fuerant, hoc modo. non est quod quisquam miretur, eadem interdum esse & amara, & fluida: quanuis dixerimus fluida constare è læuibus, & rotundis elementis: amara, ex asperis, squallidis, & moléstis. Nam in his quæ sunt amara simul & liquida: dicendum est primordiis rotundis, politis, & læuibus esse admista quædam doloris, & molestiæ corpora, id est horrida, aspera, & squallida: quo fit vt prouolui possint simul, & sensus lædere.

DOLORIS CORPORA] id est aspera, & squallida. NEC TAMEN HÆC RETINERI HAMATA] id est nec tamen hæc hamata inter se retineri, & hæere necesse est. sic sup. locutus est. Nec retinentur enim inter se glomeramina quæq;. SCILICET ESSE GLOBOSA, TAMEN CVM SQVALL. CONST.] sic habent omnes libri & manuscr. & typis excusi: neque est quod quisquã dubitet de integritate scripturæ. scilicet autem positum pro scire licet: vt apud Terēt. Heaut. scilicet facturum me esse. ibid. Continud inieciſſe verba tibi Dromonem scilicet. sic apud Plautū videlicet pro videre licet, in Rudente. Videlicet parcum illum fuisse senem, qui dixerit. ibidem paullo post. Videlicet illum fuisse nequam adolescentem, qui illico, &c. sic Lucret. sup. Esse videlicet in terris primordia rerum: Quæ nos, &c. Ita totius huius loci hæc sententia est. Scire licet ea principia, ex quibus constat aqua marina, esse globosa, cum tamen consent, id est sint squallida. debet autem distinctionis nota scribi post vocem globosa, vt tamen cum sic intelligamus, quasi dictum sit, cum tamen. VND E] à quibus, nempe principiis asperis. EST NEPT. CORP. ACER.] aqua marina, salta, & amara est. infra eod. lib. Hic si quis mare Neptunū, Cerevémq;, vocare Constituet fruges, & Bacchi nomine abuti Mauult, quàm laticis proprium proferre vocamen: Cœcedamus vt, &c. acerbum improprie posuit, pro amaro: vel acerbū intellige linguæ iniucundū, ingratum, ac molestū, vt sup. EST RAT. SECERN.] id est ratio & via est aliqua secernēdi eius, quod dulce est, ab eo quod est amarū. HVM. DVLCIS, VBI, &c.] ordo est: ita (subintellige) vt humor dulcis in foueam fluat, & mansuescat, vbi idem humor nēpe dulcis, crebrò percolatur. id est permanat, & pertranſit. Sed videtur legendū Humor acerbus: vt sit hic ordo. vbi humor acerbus percolatur crebrius ita, &c. LINQ. EN. SVP. TET. &c.] Nā aqua marina, inquit, superà, id est in superiore parte terre, primordia terræ viti, id est humoris naturalis marini. Ita autē legendū esse, quemadmodū excudendū curauimus, vincūt lib. tres manuscr. & Ald. antiq. & Paris. nisi qd in Paris. & vno manuscr. legitur. Liquit enim terræ superà prim. Prisc. autē lib. hunc versum paullo aliter profert. sic enim ille Liquit enim superà terræ ve-

stigia viri. sed vel aliud agebat Prisc. vel scriptoris librarij peccatum est.

Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ

Ex hoc apta fidem ducat, primordia rerum

Finita variare figurarum ratione.

Quod si non ita sit: rursum iam semina quædam

Esse infinito debebunt corporis auctu.

Namque in eadem vna cuiuscuius breuitate

Corporis, inter se multum variare figuræ.

Non possunt. fac enim minimis è partibus esse

Corpora prima: tribus, vel paullo pluribus auge.

Nempe vbi eas parteis vnus corporis omnes

Summa atque ima locans, transmütans dextera læuis,

Omni modis expertus eris, quam quisque det ordo

Formæ speciem totius corporis eius:

Quod superest, si fortè voles variare figuras,

Addendum parteis alias erit: inde sequetur

Adsimili ratione, alias vt postulet ordo,

Si tu fortè voles etiam variare figuras.

Ergo formarum nouitatem corporis augmen

Subsequitur: quare non est vt credere possis,

Esse infinitis distantia semina formis:

Ne quædam cogas immani maximitate

Esse, supra quod iam docui non posse probari.

Iam tibi Barbaricæ vestes, Melibæaque fulgens

Purpura Theſſalico concharum tincta colore, &

Aurea pauonum ridenti imbuta lepore

Sæcla, nouo rerum superata colore iacerent:

Et contemptus odor myrrhæ, mellisque saporis,

Et cycnea mele, Phæbeaque dædala chordis

Carmina consimili ratione oppressa silerent.

Namque aliis aliud præstantius exoreretur.

Cedere item retrò possent in deteriores

Omnia sic parteis, vt diximus in meliores:

Nanque aliis aliud retrò quoque tetrius esset
 Naribus, auribus, atque oculis, orisque sapor.
 Quæ quoniam non sunt in rebus reddita, certa &
 Finis utrinque tenet summam: fateare necessest
 Materiem quoque finitis differre figuris.
 Denique ab ignibus ad gelidas, hiemisque pruinas,
 Finitu'st, retròque pari ratione remensu'st.
 Finit enim calor, ac frigus, mediique tepores
 Inter utrunque iacent ex plentes ordine summam.
 Ergo finita distant ratione creata:
 Ancipiti quoniam mucrone utrinque notantur,
 Hinc flammis, illinc rigidis infessa pruinis.

EX HOC APTA FIDEM DVCIT] apta, id est pendens & ἀνιπτη μέτρον
 ex hoc, vel huic connexa: etiam ex hoc ipso fidem, hoc est argumentum &
 & probationem ducit. Ita ex hoc bis sumo. quod est frequens apud scri-
 ptores. FINITA VARIARE FIGURARVM RATIONE] sic le-
 gitur hic versus in quinque lib. manuscriptis, nisi quòd in vno scriptum est
 variata non variare. In codicibus autem Aldinis, antiq. Vicet. Parif. & ce-
 teris vulgatis Finitas variare figurarum rationes. quarum lectionū vtra sit po-
 tior, iudicet lector. verbum variare quidem neminem mouere debet, si hoc
 loco absolute poni præter morem videatur. nam etiam alibi eodem modo
 vsurpatur, vt infra eod. libro, quinto ab hinc versu. Nunc ad huius loci sen-
 tentiam veniamus. Posteaquam docuit primorum corporum figuras dis-
 simileis esse, ac dispares: docet iam eas ipsas figurarum dissimilitudines ac
 varietates finitas esse. qua de re sic Laërt. ex sententia Epicuri. Πεδὸς δὲ τῆ τοῖς
 τὰ ἄτομα τῶν σωματίων ἢ μετὰ, ἢ ἄνευ αἰ συγκρίσεις γίνονται, ἢ εἰς ἃ διαλύονται, τῆ ἐνε-
 γεία ἀπειρήτα ἢ ἐπὶ ταῖς διαφοραῖς τῶν ἡμιότων, ἢ ἢ διὰ τὴν ἡμιότων ποσάυτως διαφο-
 ραῖς ἐν σχηματίων ἐνεργεία ἀπειρήτων, &c. id est Præterea corpora indiuidua,
 & plena, ex quibus res compositæ, cōcretæque gignuntur, & in quæ dis-
 soluantur, comprehendi non possunt re, & vñ: figurarum autem differen-
 tiis possunt. Non enim fieri potest, vt tot rerum naturalium differentiæ ex
 figuris re comprehensis nascantur. In vnaquaque autem figuratione sim-
 pliciter infinita sunt corpora indiuidua: differentiis autem non sunt infini-
 ta, sed eò tantum quod re cōprehendi non possunt, infinita. Sic propemo-
 dum Plutarch. περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλο. εἶναι δὲ τὰ σχήματα τῶν ἀτόμων ἀπει-
 ρήτα, ἢ ἀπειρα. id est figuras autem atomorum re comprehendi non pos-
 se: non tamen esse infinitas. QVOD SI NON ITA SIT] ta-
 le est argumentum Lucretij. Si essent infinitæ atomorum figuræ, essent
 aliquæ atomi immani & immensa magnitudine: hoc falsum: ergo & il-
 lud. minorem propositionem sic probat. NANQVE IN EA

DEM VNA CVIVSCVIYS BREVITATE] secutus sum in hoc
 versu religiose codices veteres, nisi quòd ex cuiusvis feci cuiuscuius, id est
 cuiusque vt quicquid pro quicque vsurpari solet & apud hunc poetam, &
 apud alios scriptores. FAC ENIM] sic habet cod. Bertinianus, quem se-
 cutus sum. alij face enim. OMNIMODIS EXPERTVS ERIS]
 libri manuscrip. sic habent. alij Omnimode expertus fueris. ADDENDVM
 PARTEIS ALIAS ERIT] id est addere oportebit: quod loquen-
 di genus notauimus supra lib. I. ad illum versum. Eternas quoniam penas
 in morte timendum, & item ad illum, Multa nouis verbis præsertim cum sit agen-
 dum. sic Varro lib. 8. de lingua Latina. Sic omneis repudiandum arteis, quòd
 in medicina, & in musica, & in aliis multis discrepant scriptores. ADSIMI-
 LI RATIONE] sic restitui librorum manuscriptorum auctoritate fre-
 tus. Virgil. lib. 6. Quos super atra silex iam iam casura, cadentique Imminet as-
 similis. QVARE NON EST VT CRED. P.] ἐκ ἑστὶ ὅπως πείθει, id est
 non potest, vel non debet fieri, vt credas. IMMANI] id est ingenti, vt
 apud eundem immania templa. MAXIMITATE] vox rara, maximitas, quā
 vt probet esse Latinam, hunc versum profert Nonius Marc. BARBAR.
 VEST.] id est Babylonicæ. idem lib. 4. Cum Babylonica magnifico splendore vi-
 gantur. vestes sunt purpureæ textiles, aut acu pictæ ex Babylonia auectæ.
 vel dic Phrygiæ significari. MELIBŒA QVE] Festus. Melibœa purpura
 à nomine insule, in qua tingitur, est dicta. Virgil. lib. 7. Aeneid. Purpura Mæandra
 duplici Melibœa cucurrit. Melibœa autem Thessaliæ est vrbs, de qua Strabo
 lib. 9. & item Stephanus de vrbib. TINCTA COLORE, ET AVREA]
 aberat à vulgatis omnibus copulatio & post vocem colore, quam restitui
 coniecturâ ductus, cum reperissem scriptum in duobus cod. manuscr. co-
 loret. AVREA PAV. RIDENTI IMB. COL. SÆCLA NOVO,
 &c.] sic habent cod. manuscripti, & ita legendum. quod item iam pridem
 admonuit P. Victorius annot. in epist. 19. lib. 15. sæcla autem, id est genera.
 CYCNEA MELE] cantiones cycnorum. cycnos traditum est mori-
 bundos suauissimè canere. Plato in Phædone. Κύκνοι ἀποθανέμενοι τότε δὴ μά-
 λιστα ἄδουσιν ἡμετέρας ὅτι μέλλουσιν παρὰ τὸν θάτον εἰσελθεῖν, ἢ εἰσὶ θεοῦ παρτες: id est cycni
 morituri tum maximè canunt lætantes quòd ad Deum accessuri sunt eum
 cuius sunt ministri. μέλιη autem Græcum est. sic sup. Ac Musæa mele, &c.
 DAEDALA CHORDIS] variata, πεποικιλμένα chordis: quæ varios so-
 nos reddunt chordis: vel varietate grata, & iucunda. Phœbaa autem intel-
 lige quæ cithara canuntur. Nam poetæ Phæbum cithara canentem faciūt.
 Homer. Ουμὴν φέρμιγρος ἀεὶ καλλέος, ἦν ἔχ' Ἀπόλλων. QVARE QVON. N. S.
 IN REB. REDD.] id est quæ quoniam in rebus locum non habent: vel
 non sunt rebus attributa, vel in rebus nō reperiuntur. CERTA ET FI-
 NIS] & quoniam certa finis, &c. alij legunt certaque finis, vt sit versus hy-
 permeter, sed errant. VTRINQVE] & ab iis rebus, quæ sensus vehem-
 enter offendunt, & ab iis quæ magnopere delectant: vel à duobus extre-
 mis contrariis. AB IGNIBVS] à caloribus æstiuis. FINITVM EST]
 spatium. RETRÓQVE] à frigidibus hibernis ad calores æstiuos. FI-
 NIT ENIM] declarat quod obcurius dixerat. finit autem legendum, non

finis. Sed aliter hac de re M. Tull. lib. 6. de Rep. & Virgil. & ceteri. quam Lucret. de summa rerum agit, seu de omni: M. Tull. de mūdo. Epicurei enim non vnum mundum, sed plures, & innumerabileis esse volūt. sic igitur M. Tull. *Cernis autem terram quasi quibusdam redimitam & circumdatam cingulis: è quibus duos maxime inter se diversos, & celi verticibus ipsis ex vtraque parte subnixos obriguisse pruina vides: medium autem illum, & maximum solis ardore torreri.* Virgil. Georg. 1. *Quinque tenent celi zona, quarum vna corusco, &c.* ANCIPI TI QVON. MVRONE] calore, & frigore. *macro-ne id est sine, & ita Adr. Turnebus. INSESSA PRVINIS] si hęc scripturam recipimus, vt rectam, & germanam, infessa interpretabimur obfessa & circumfusa, aut obfecta: atque ita habet libri ferè omnes vulgati præter Aldinos antiq. in quib. impressum est *inensa*. In manuscriptis autè aliis scriptum reperi *inensa*, & ita habent Vicetini: in aliis *infessa* quæ scripturæ varietas facile declarat locum esse corruptum. ego aliquando existimaui legendum *infesta* pruinis. sic enim loquuntur Latini. *via latrociniis infesta, etas aliorum libidine infesta, mare prædonibus seu piratis infestum*, pro infestatum. sed Adr. Turn. cuius iudicium plurimi, vt debeo, facio, ait scripturam antiquorum codicum defendi posse, si intelligamus *infessa pruinis* dictum pro fessa in pruinis. id est defaenctia in pruinis, seu finita pruinis.*

*Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ
Ex hoc apta fidem ducit, primordia rerum,
Inter se simili quæ sunt perfecta figura,
Infinita cluere. etenim distantia cum sit
Formarum finita, necessest, quæ similes sint,
Esse infinitas, aut summam materiai
Finitam constare: id quod non esse probavi.*

EX HOC APTA FIDEM DVCIT] sic supra. & M. Tull. Tusc. lib. 5. *Fulgens gladium è lacunari seta equina aptum demitti iussit.* idem Acad. lib. 2. *mundus vndique ex se aptus.* Idem de Finib. lib. 4. *ordo rerum conseruatus, & omnia inter se apta, & connexa.* ab hoc loco incipit docere cuiusque figuræ primordia inter se similia, esse infinita. quod hoc modo probat. dissimilitudo, seu distantia figurarum finita est, vt antè probatum est. at si similes principiorum figuræ, erunt etiam finitæ: ita fiet, vt summa materia sit finita. hoc fallum: contrarium enim supra probatum est. ergo & illud.

*Quod quoniam docui, nunc suauiloquis, age, paucis
Versibus ostendam, corpuscula materiai
Ex infinito summam rerum vsque tenere,
Vndique protelo plagarum continuato.*

*Nam quodd rara vides magis esse animalia quedam,
Facundamque minus naturam cernis in illis:
At regione, locoque alio, terrisque remotis,
Multal licet genere esse in eo, numerumque repleti.
Sicuti quadrupedum cum primis esse videmus
In genere anguimanos elefantos, India quorum
Milibus è multis vallo munitur eburno,
Vt penitus nequeat penetrari: tanta ferarum
Vis est, quarum nos perpauca exempla videmus.
Sed tamen id quoque vti concedam, quamlibet esto
Vnicares quedam natiuo corpore sola,
Cui similis toto terrarum non sit in orbe:
Infinita tamen nisi erit vis materiai,
Vnde ea progigni possit concepta: creari
Non poterit: neque, quod superest, procrefcere, alique.
Quippe etenim sumant oculi, finita per omne
Corpora iactari vnus genitalia rei:
Vnde, vbi, qua vi, & quo pacto congressa coibunt
Materiae tanto in pelago, turbæque alienæ?
Non (vt opinor) habent rationem conciliandi:
Sed quasi naufragiis magnis, multisque coortis
Disiectare solet magnum mare, transtra, gubernæ,
Antennas, proram, malos, tonsasque natanteis,
Per terrarum omneis oras fluitantia aplusra
Vt videantur, & indicium mortalibus edant,
Insidi maris insidias, vireis que, doliumque
Vt vitare velint: nè ve vlllo tempore credant,
Subdola cum ridet placidi pellacia ponti:
Sic tibi si finita semel primordia quedam
Constitues: ænum debebunt sparsa per omne
Disiectare æstus diuersi materiai:
Nunquam in concilium vt possint compulsæ coire:
Nec remorari in concilio, nec crescere adaucta.*

Quorum vtrunque palam fieri manifesta docet res:

Et res progigni, & genitas procrefcere poffe.

QVOD QVONIAM DOC. NVNC SVA VIL.] Nunc incipit docere infinita materiei corpuscula ab aeterno tempore vsque continuata plagarum impulsione summam rerum continere, & ita res omneis naturaleis singulareis ab aeterno vsque tempore progignere, & procreare. PROTEL O] id est impulsu, seu tenore, vt interpretatur Donatus in Phorm. vbi hunc versum Lucret. profert ad illum locum, *Ne te iratus suis scui dictis protel.* docetque protelum dictum esse vel à $\rho\tau\epsilon\lambda$ & $\epsilon\lambda\epsilon\upsilon$, vel ab absiduo telorum iactu. Vtitur eadem voce idem Lucret. lib. 4. *Et quasi protelo stimulat* fulgure fulgur. *protelare longe propellere* (inquit Festus) *ex graco videlicet $\pi\lambda\epsilon$, quod significat longè.* Turpil. apud Nonium. *Propter peccatum paucillum indignissime patria protelatum esse scuitia patris.* lege & Nonium in verb. *protelare.*

NAM QVOD] $\alpha\upsilon\tau\acute{o}\tau\omicron\pi\omicron\epsilon\sigma$. Dicit aliquis (inquit) esse quaedam animalia alia aliis rariora, verbi gratia, elephantos, monocerotes, phœnices. Cum igitur elephantum rari sint, debent eorum corporum primorum, ex quibus constant, figuræ esse raræ & finitæ: ergo quaedam corporum primorum figuræ sunt finitæ. hæc est $\epsilon\pi\omicron\pi\omicron\epsilon\sigma$, seu obiectio. FABC VNDAM QVE MINVS] sic necessariò legendum. loquitur enim de animalibus raris duntaxat, in quibus natura sit minus fecunda. AT REGIONE, LOCO QVE ALIO] hæc est solutio obiectio. MVLTALICET GENERE ESSE IN EO] id est possunt esse multa: vel nihil obstat, quo minus multa sint animalia singularia in eo genere, alio in loco, etiã apud nos pauca, & rara sint. genere autem legendum, non *genera.* ANGVIMANOS] quibus manus est tortilis, flexibilis, lubrica, volubilis serpentis in morem. M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. *manus etiam data elephantis, &c.* Iterum Lucret. lib. 5. *Inde boues Lucis turvito corpore tetros Anguimanos belli docuerunt volnera Pœni Sufferre, &c.* Elephantum autem manus est proboscis, sed de elephantis lege Plinium libro 8. cap. 10. INDIA QVORVM MIL. E MVLT.] nam (vt scribit Plin. lib. 8.) postium vicem in domiciliis præbent dentes elephantorum, sæpèisque in iis & pecorum stabulis pro palis fieri ex his dentibus Polybius tradidit. SED TAMEN ID QVQVE] huius loci hæc sententia est. verum esto, demus vnam rem vnus generis in toto orbe terrarum esse natam. nisi erunt tamè infinita materię corpora similia, & eiusdè formæ, ex quibus ea res conflata in lucem præferri queat: neque creari, neque creata procrefcere, & ali poterit. IN ORBE] nihil mutauit quauis libri duo manuscripti habeant in orbi. Satis est mihi admonuisse lectorem, vtrunque vsurpatum esse à veteribus. ONNE] $\tau\omicron\ \pi\acute{\alpha}$. VNVS GENITALIA RE] quæ ad vnam rem gignendam valeant. MATERIAE TANTO IN PELAGO] id est in tanta atomorum infinitate. TURBA QVE ALIENA] id est in turba atomorum dissimilis figuræ. RATIONEM CONCILIANDI] lib. Vaticanus habet *conciliari*, ego tamen nihil muto. MANENIS, MVLTIS QVE COORTIS] sic reposui secutus libros omneis manu

manuscriptos, cum in vulgatis legatur, *venisque coortis*: quæ scriptura quauis videatur speciosa, & probabilis: sic enim locutus est lib. 6. *Ventus vbi, atque anima subito vis maxima quadã Aut extrinsecus, aut ipsa ab tellure coorta est,* &c. placet tamen mihi magis antiqua. TRANSTRA, GYBERNA,] sic restitui secutus vestigia veteris scripturæ. nam cum reperissem in tribus libris manuscriptis, *transtra, cauerna*, in vno *transtra curua carina*: statim conieci *cauerna* corruptum fuisse ex *guberna*: atque ex *guberna* factum esse *gubernæ*, u. pro b: deinde *cauerna*: deinde *cauerna*: postremò *carinas*. quæ meam coniecturam spero doctos viros, eosque maximè, qui versati sunt in lectione membranarum antiquarum, probaturos. vsus est Lucret. eadè voce lib. 4. *Et recta superne gubernæ.* *gubernæ* autem idem valet, quod gubernacula. quæ de voce plura ad illum locum dicemus. TONSASQVE MATANTIBUS] id est remos fluctanteis. Virgil. lib. 7. *Æneid. & in lento luctantur marmore tonse.* Ennius: *Pone petunt: exin referunt ad pectora tonsas.* Idem *Poste recumbite, vestraque pectora pellite tonsis.* *Tonfa* (inquit Festus) *remus, quod quasi tondeatur ferro.* APLVSTRA] *Aplustra* (inquit Festus) *navium ornamenta, quasi amplustria, quia erant amplius, quàm essent vsu necessaria.* Cic. in Arato *Nauibus absuntis fluitantia querere aplustra.* quemadmodum autem Lucretius, & M. Tull. dixerunt *fluitantia aplustra*: sic Virgil. lib. 10. *fluitantia transtra.* PELLACIA] id est fallacia à pelliciedo. Vtitur eadem voce etiam lib. 5. *Nec poterat quenquam placidi pellacia ponti Subdola pellicere in fraudem videntibus vndis.* *Pellicere* (inquit Festus) *in fraudem inducere.* idè alibi in verbo *Lacit*, *Lax fraus est.* Virg. li. 2. *Æn. inuidia postquam pellacis Vlyssæi.* (*Haud ignota loquor*) *superis cœcessit ab oris.* AEVVM DEB. SP. PER OMNE] quidam lib. scripti habent, *æuum deb. sp. per omnem.* IN CONCIL. VT P. C. COIRE] in concilium coire: id est conciliari, congregari.

*Esse igitur genere in quouis primordia rerum
Infinita palam st, vnde omnia suppeditantur.
Nec superare queunt motus vti que exitiales
Perpetuo, neque in aeternum sepelire salutem:
Nec porro rerum genitales, autificique
Motus perpetuo possunt seruare creata.
Sic equo geritur certamine principiorum
Ex infinito contractum tempore bellum:
Nunc hic, nunc illic superant vitalia rerum:
Et superantur item: miscetur funere vagor,
Quem pueri tollunt visentes luminis oras.
Nec nox vlla diem, neque noctem aurora secuta st,
Quæ non audierit mistos vagitibus agris*

Ploratus, mortis comites, & funeris atri.

GENERE IN QVOVIS] vel ex hoc loco apparet supra legendum
Multa licet genere esse in eo, &c. NEC SUPERARE QVEVNT M O T.
 VTIQ. EXITIALES] id est nec utique motus exitiales, & pestiferi, res
 genitas superare, & funditus perimere possunt, quin extinctæ aliquando re-
 nascantur: nec genitales, & ad gignendum vtilis, & salutares queunt eas-
 dem in perpetuum servare. in eod. in omnibus libris scriptum, & impres-
 sum est *exitiales*. legendum enim exitiales in recto casu. SIC AEQVO
 GERITVR, &c.] Sic æquali (inquit) principiorum certamine seu proelio
 bellum geritur ab æterno tempore. Nam neque res genitæ manent æternæ,
 neque in perpetuum intereunt: sed & res quæ genitæ sunt, intereunt
 & quæ interierunt, renascuntur. Ita fit vt summa rerum sit æterna, cum res
 singulares quotidie nascantur, & moriantur: oriuntur & occidunt. CON-
 TRACTVM] idem lib. 4. *Nauta cum ventis contractum degere bellum.*
 VITALIA RERVM] id est res vitales. quemadmodum apud Horat.
 epist. ad Scævam. *tu postis vilia rerum*: id est res viles: quem locum nos in
 omnibus libris corruptum, restituiimus ex auctoritate codicum manuscr.
 Res vitales autem intellige, quæ ad vitam aliquid conferunt, & adiuuant.
 VAGOR.] vagitus. Festus *vagorem pro vagitu posuit Ennius lib. 16. Qui clamo-*
rem oppugnatis vagore volanti. Et Lucret. lib. 2. *Et superantur item, misceatur, &c.*
 producit testem hunc eundem Lucret. vers. Nonius, sed corruptum. VIS EN-
 TES LVMINIS ORAS] nascentes. lib. 1. *dias in luminis oras Exoritur.*

*Illud in his obsignatum quoque rebus habere
 Conuenit: & memori mandatum mente tenere,
 Nil esse in promptu, quorum natura videtur,
 Quod genere ex vno consistat principiorum:
 Nec quicquam, quod non permixto semine constet.
 Et quàm quicque magis multas vis possidet in se,
 Atque potestates: ita plura principiorum.
 In sese genera, ac varias docet esse figuras.
 Principio tellus habet in se corpora prima,
 Vnde mare immensum voluentes flumina fontes
 Assiduè renouent: habet, ignes vnde oriuntur.
 Nam multis succensa locis ardent sola terræ.
 Eximiis verò furit ignibus impetus Aetnæ.
 Tùm porrò nitidas fruges, arbustaque læta,
 Gentibus humanis, habet vnde extollere possit.*

*Vnde etiam fluidas frondeis, & pabula læta
 Montiuago generi possit præbere ferarum.*

OBSIGNATVM] id est memoriæ mandatum, in pectore conditum.
 translatio ducta à tabulis obsignatis. ea enim obsignare solemus, quæ ab
 aliis videri nolumus, quæque diligentissimè custodienda esse putamus. ET
 MEM. M. M.] declarat quod obscurius dixerat, *quod epuruerat.* NIL ES-
 SE, &c.] docet nihil esse in promptu positum, nihil natum, nihil genitum,
 quod ex vno genere principiorum, aut quod ex omnibus vnus figuræ, &
 similibus principiis constet. nil esse in promptu autè, subintell. eorum, quo-
 rum &c. QVORVM NATVRA TENETVR,] sic habent libri ma-
 nuscripti: vulgati *quorum natura videtur.* ET QVAM QVICQVE MA-
 GIS MVLTAS VIS, &c.] Prisc. hunc versum profert lib. 6. (quanuis
 eum paullo aliter legat,) docens vis à Lucr. numero multitudinis vsurpa-
 tum esse: vt etiam à Sallust. lib. 3. histor. *Malo iam assuetum ad omnes vis con-*
trouersarum. vtitur eadem voce in eodem numero & lib. 3. *Et quasi multa vis*
vnus corporis extant. Animaduertat litterarum studiosus etiam vsitatū fuisse
 bonis scriptoribus hoc loquendi genus, *quàm magis, ita magis: quàm magis,*
ita plura. nam vsitatus illud de quo alibi diximus, *quàm magis, tam magis.* Sic
 autem citatur hic versus à Prisc. *Et quam multarum rerum vis possidet in se.*
 ITA PLVRYA] sic legendum. Nam sic reperio veteres esse locutos, quod
 quidam semidocti, & arrogantes non videntes, supposuerunt hoc loco
 plurima. quod & alibi fecerunt. ASSIDVRENOVENT] sic legen-
 dum. & ita scriptum est in lib. manuscriptis: nisi quod Vaticanus librarij
 culpa habet, *remouent.* HABET, IGNES VNDE] habet corpora, ex
 quibus ignes oriuntur. EXIMIIS VERO] sic habent omnes lib. manu-
 scripti. omnes ferè vulgati, *Ex imis.* quos non sum secutus. *Eximiis* autem
 interpretor, egregiis, insignibus, non vulgatis, neque vsitatis. IMPETVS
 AETNAE] sic puto impetum Aetnæ dictum esse, vt impetum cæli lib. 5.
Principio quantum cæli tegit impetus ingens. De Aetnæ autem ignibus copiosè
 disputabit lib. 6.

*Quare magna deum mater, materque ferarum,
 Et nostri genetrix hæc dicta est corporis vna.
 Hanc veteres Graiùm docti cecinere poetæ
 Sublimem in curru biungos agitare leones:
 Aëris in spatio magnam pendere docentes
 Tellurem, neque posse in terra sistere terram.
 Adiunxere feras: quod quamuis effera proles
 Officiis debet molliri victa parentum.
 Muralique caput summum cinxere corona,*

Eximius munita locis quod sustinet vrbeis.
Quo nunc insigni per magnas prædita terras
Horrificè fertur diuinæ matris imago.
Hanc variæ gentes antiquo more sacrorum
Idæam vocitant matrem, Phrygiâsque cateruas
Dant comites, quia primum ex illis finibus edunt
Per terrarum orbem fruges cœpisse creari.
Gallos attribuunt, quia numen qui violarint
Matris, & ingrati genitoribus inuenti sint:
Significare volunt indignos esse putandos,
Vnam progeniem qui in oras luminis edant.
Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum:
Concaua, raucisonoque mimantur cornua cantu:
Et Phrygio stimulat numero caua tibia menteis:
Telâque præportant violenti signa furoris:
Ingratos animos, atque impia pectora volgi
Conterreere metu quæ possint numine diuæ.
Ergo cum primum magnas inuecta per vrbeis
Munificat tacita mortaleis muta salute:
Aere atque argento sternunt iter, omnia circum
Largifica stipe ditantes, ninguntque rosarum
Floribus, umbrantes matrem, comitumque cateruas.
Hic armata manus (Curetas nomine Graij
Quos memorant Phrygios) inter se tæque, quaterque
Ludunt, in numerumque exsultant sanguine læti.
Terrificas capitum quatientes numine cristas,
Dictæos referunt Curetas: qui Iouis illum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur:
Cum pueri circum puerum pernice chorea
— Armati in numerum starent: pernice chorea
Armati in numerum pulsarent æribus æra,
Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,
Aeternumque daret matri sub pectore volnus.

QVARE MAGNA DEVM MATER] hæc eadem Cybele à poetis
 appellatur, & Cybeli cultrix, & Dindymene, & Bererintia. Arnob. lib. 3.
 aduers. gentes. Terram quidam è vobis, quod cunctis sufficiat animantibus victum,
 matrem magnam esse dixerunt: eandem hanc alij quod salutarium seminum frugem
 gerat, Cereem esse pronunciarunt: nonnulli Vestam, quod in mundo stet sola, ceteris
 eius partibus mobilitate in perpetua constitutis, &c. Idem lib. 7. Sed & magna ma-
 ter accita ex Phrygio Pefsinunte iussis consimiliter vatum, salutaris populo & ma-
 gnarum causa lætitarum fuit &c. sequitur statim. nihil quidem aliud scribitur
 missum ab Attalo Rege, nisi lapis quidam non magnus, ferri manu hominis sine vlla
 impressione qui posset: coloris furui atque atrii, angulis prominentibus inæqualis: &
 quem omnes hodie ipso illo videmus in signo oris loco positum, indolatum, & asperum,
 & simulacro faciem minus expressam simulatione præbentem, &c. de eadem lege
 Herodianum lib. 1. & Ouid. Fast. 4. SVBLIMEM IN CVRRV] sic
 hunc versum restitui reclamantibus libris omnibus, coniectura sola ad hæc
 scripturam, nisi fallor, rectam, & veram ductus. Atque hæc meæ coniectu-
 ræ ratio est. Ita scriptum erat in emendatis illis, & antiquissimis libris *Su-
 blimem in curru*, annotatum est postea ab aliquo studioso ad oram libri è re-
 gione huius loci, idque signis duobus similibus appositis, *sedentem*: quæ erat
 interpretatio vocis *sublimem*: Deinde, qui ex illo codice aliud exemplum
 descripsit scriptor librarius, existimans vocem *sublimem* esse mendosam, &
sedentem in eius locum substituendum, ita fecit: deinde semidocti, hunc
 versum legentes cum animaduertent, primam syllabam vocis *sedentem*
 esse breuem, neque huic loco conuenire, reposuerunt satis temere *sedibus*.
 ita ex *Sublimem, Sedibus*, factum esse puto. hæc mea coniectura est. quæ mihi
 ita demum *deus* videbitur, si doctis probabitur. sin minus, primum fate-
 bor me parum vidisse: deinde rogabo vt aliquid melius reperiât. nam mea
 quidem sententia vox *sedibus* hoc loco inepta est. Dictum est autem à Lu-
 cretio *sublimem in curru*, & item à Sex. Iulio Frontino lib. 1. Stratagematum,
 cap. 9. ita vt à Virgil. *Sublimes in equis* lib. 7. Æneid. Idem Virg. videtur huc
 locum imitatus lib. 6. *qualis Berecintia mater Inuebitur curru Phrygiæ turrita*
*per vrbeis Lata Deum partu centum complexa nepotes, Omnes calicolas, omnes su-
 pera alta tenentes.* ad quem locum notat Seruius, *quia ipsa est terra, quæ vrbeis*
sustinet, iocircò designari ei coronam cum turribus. BIIYGOS AGIT. LEO-
 NES] Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 21. *Quis enim ambigat matrem Deum, terram*
*haberi? Hæc dea leonibus vebitur, validis impetu, atque feruore animalibus: quæ na-
 tura cæli est: cuius ambitu aer continetur.* Aliam mox causam subiungit Lucret.
 ADIVNHERE FERAS, QVOD] Ouid. lib. 4. Factorum aliam vult
 causam esse. *Cur huic genus acre leonum Præbeat insolitas ad iuga curua iugas?*
Deseram: cœpit: feritas mollita per illam Creditur. id curru testificata suo est. Arno-
 bius lib. 5. aliam rationem affert. QVANVIS] quantumuis. MVR-
 LIQVE] sic ab Ouid. *turrisera*, à Virg. *turrita* appellatur. dabatur autem mu-
 ralis corona ei qui primus murum subiisset: quæ erat aurea. EXIMIIS MV-
 NITA LOCIS] sic habent libri manuscripti: vulgati ferè omnes *Ex imis*.
 ego antiquam probo, veruntamen iudicet lector. QVO NVNC INSI-
 GN] corona. IDÆAM VOCITANT MATREM] Phrygiâ, è Phry-

gia auctam. GALLOS ATTRIBVNT] Festus. Galli, qui vocantur matris magnae comites, dicti sunt à flumine, cui nomen est Gallo, quia, qui ex eo biberint, in hoc finire incipiunt, ut se priuent virilitatis parte. Alij putant idè eos sibi genitalia incidere, quia violauerint nomen patris, matrisve, ne possint ipsi fieri parentes. lege Quid. hac de re eodem lib. QVI IN ORAS] in voce qui i, vocalis non eliditur, & corripitur. TYMPANA TENTA TONANT] profert hunc versum Nonius Marcellus in voce tenta. ET CYMBALA CIRCVM CONCAVA] cymbala dicta sunt ἀπὸ τοῦ κύπειν, quasi κύπελα, quia incurua, & caua. Itaque epithetum addidit valdè accommodatum. MVNIFICAT] donat, beat. STIPE] nummo signato, vt docet Festus. cui rei testimonio (inquit) est, quod datur militi stipendium: & quod cum spondetur pecunia, stipulari dicitur. NINGVNT QVE] & tantam rosarum copiam effundunt atque asperguant, vt ningere, seu ninguere videantur. translatio est. à ninguo fit ninguidus. Aufon. epist. 2. ad Paull. iam ninguida tinguit Oppida Iberorum. CVRETAS] Virg. Georg. 4. pro qua mercede canoros Curetum sonitus, crepitantiq; aera secuta, &c. Callimach. εἰς Δία. Οὐλα δὲ κουρήτες καὶ ἀεὶ ἀρῶν ἀρχήσαντο, Τέυχεα πεπλήροντες, ἵνα κρόνος ἀυασὴν ἠχὴν Ἀσπίδος εἰσαῖν, καὶ μὴ σέο κείζοντος. iidem Corybantes nominantur. Ouid. lib. quem supra dixi: pars manibus clypeos, galeas pars fundit inaneis. Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus, &c. Virgil. lib. 3. Æneid. Hinc mater cultrix Cybeli, Corybantia q; aera. hi sunt pueri & sacerdotes magnæ matris Deorum: de quibus lege Diodorum Sicul. lib. 1. & 5. & Strabonem lib. 10. cuiuslibet mihi hæc pauca verba ascribere. τῆς δὲ ἀγομαζον κερήτας νέας πινὰς, ἐνόπλιον κίνησον μετ' ἀρχήσας ἀποδιδόντας, ἀεσισηαίωροι μύθον τὸν ἀεὶ τῆς τοῦ Διὸς γενέσεως: ἐπὶ δὲ τὸν μὲν κρόνον εἰσαύγουσι εἰδισμένον κατὰ πίνειν τὰ τέκνα ἀπὸ τῆς γενέσεως ἐυδύς: τὴν δὲ Πέαν περιωμένην ἐπικρύπτει δὲ τὰς ἀδύνας, καὶ τὸ ψυγνῶν βρέφος, ἐν ποδῶν ποιῆν, καὶ ἀεσισηαίωροι εἰς δῶμα μιν, ἀεὶ τὸ σιωπερῶς λαβεῖν τὰς κερήτας, οἱ μετὰ τιμπαίων, καὶ τοιούτων ἄλλων φόρων, καὶ ἐνόπλιον χορείας, καὶ δορυβία ἀεσισηαίωροι τὴν θεὸν, ἐκπλήξουσιν ἑμαλλον τὸν κρόνον, καὶ λήσουσιν ἑποσάσαντες ἀπὸ τὸν παῖδα: id est hos autem Curetas nominabant, adoleſcentibus quosdam, armatam saltationem referenteis, proferentes de Iouis ortu fabulam: in qua Saturnum quidem introducunt liberos suos statim vt nati sunt, deuorare solitum: Rheam autem partus dolores celare, & puerum editum summouere & seruare conantem: atque ad hanc rem Curetas assummentem, qui cum tympanis, & talibus aliis rebus sonoris, & saltatione armata, & strepitu deam officiosè circumseuntes terreat Saturnum, furtimque ei suum filium subſtrahant. INTER SE TERQVE QVATERQVE] sic restitui coniectura ductus. venit enim mihi in mētem scriptum esse in libro aliquo antiquo, terce, caterce, pro tēque, quatēque. (sæpe enim c, pro qu reperitur scriptum in membranis antiquis) ex caterce postea factū esse caterce, ex terce forte. LAET] libri veteres, Pletti. QVI IOVIS ILL. VAG.] hoc pulchrè describit Callim. iis versibus, quos pauldò antè protuli. ita & Ouid. eod. lib. Tutus vt infanti vagiat ore puer. ARMATI IN NVM. STARENT] hunc versum delendum cenſeo. PVLSENT AERIBVS AERA] citat Charisius lib. I. NE SATVRNVS EVM MALIS MANDARE] id est ne maxillis permitteret, & ita deuoraret. Nam Saturnus, vt ostendimus ex Strabone, filios suos deuorare solitus esse sin-

gitur. vnde etiam à Latinis Saturnus dictus est. M. Tull. lib. 2. de nat. deor. Saturnus autem appellatus est, quod saturetur annis. ex se enim natos comesse fingitur solitus, quia consumit ætas temporum spatia, annisque præteritis infaturabiliter expletur. Ex huius loci similitudine versus poëta cuiusdam veteris, quos profert M. Tull. lib. 4. Tuscul. quæst. & lib. 3. de orat. ad Qu. fratrem, qui in omnibus, quos quidem viderim libris, corruptè leguntur, sic restitui: Impius hortatur me frater, vt meos malis miser Mandem natos. vulgò enim legitur manderem, pro mandem. Atque vt aliud ex alio incidit, fateor non tam librarj culpa, quàm mea factum esse, vt versus ille Horatianus, qui est saty. 3. lib. 2. Cum rapies in iura malis ridentem alienis, non fuerit cum multis aliis locis emendatus. Habebam enim scripturam codicum manuscriptorum in meis aduersariis, sed cum suspensus atque occupatus essem pluribus curis, & cogitationibus, in eo versu dormitavi, eumque ita, vt legitur in vulgatis libris, excudi neglexi. Sed legendus ita est Cum rapies in ius malis ridentem alienis. Iam malis alienis: id est maxillis alienis. malis autem sem maxillis alienis videre, vt docet Eustath. ad illum locum, est non libenter, neque ex animo ridere, & ita ridere, quasi non tuis, sed alienis maxillis rideas. quod sumtum esse ex illo Homeri versu Ο'δυσ, υ. οἱ δ' ἤδη γράθμοισι γελῶν ἀλλοστρίοισι, id est, Illi autē malis iam ridebant alienis: indicauit mihi Io. Auratus collega meus, vir doctiss.

*Propterea magnam armati matrem comitantur,
Aut quia significant diuam prædicere, vt armis,
Ac virtute velint patriam defendere terram,
Præsidioque parent, decorique parentibus esse.
Quæ bene, & eximie quamuis disposita ferantur,
Longè sunt tamen à vera ratione repulsa.
Omnis enim per se diuina natura necessest
Immortali æuo summa cum pace fruatur,
Semota à nostris rebus seiuncta que longè.
Nam priuata dolore omni, priuata periculis
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.
Terra quidem verò caret omni tempore sensu:
Et quia multarum potitur primordia rerum,
Multa modis multis effert in lumina solis.
Hic si quis mare Neptunum, Cereremque vocare
Constituet fruges, & Bacchi nomine abuti.*

*Manult, quàm laticis proprium proferre vocamen:
Concedamus vt hic terrarum distitet orbem
Esse deum matrem, dum re non sit tamen apse.*

PROPTEREA MAGNAM] sic habent omnes lib. manuscripti præter Vaticanum, in quo scriptum est, *Præterea. PATRIAM DEF. TERRAM] na. r. id. r. d. DECORIQVE] & ornamento. DISPOSTA] id est disposita, vt semper alibi reposita, composita, & simil. pro reposita, & composita. OMNIS ENIM PER SE] hi versus positi iam sunt sup. lib. 1. in principio. ET QVIA MULT.] quidam legunt *Sed quia. HIC SI QVIS] in quibusd. libris legitur, Huc si & c. quidam docti legi volunt hinc si quis, & c. DVM RE NON SIT TAMEN APSE.] id est dum tamen re apse, quod valet, re ipsa, non sit. sic restitui coniectura ductus. Nam cum reperissem in omnibus libris manuscriptis, *dum vera re tamen ipse*, facile suspicatus sum, primum cum declarans aliquis illud *apse*, tanquam obscurum, ascripserat ad oram libri *vera*, translatum esse hoc *vera* in contextum verborum Lucretij: deinde ex *apse* factum esse *ipse*. ita totus versus corruptus est. *reapse* autem dixisse veteres, testatur Festus, vtiturque testimonio Pacuuij in armorum iudicio. *Si non est ingratum reapse, quod feci bene. usurpat & M. Tull. lib. 1. de Diuinatione. Formæ reapse nulla sunt: speciem tantum animis offerunt. & lib. 1. de Finib. Quamobrem ordiamur ab eo, quod primum posui: quod idem reapse primum est. idem in Lælio: securitas specie quidem blanda, sed reapse multis locis repudianda. Plaut. Rud. minus, quàm reapse experiundo, & c.***

*Sæpe itaque ex vno tondentes gramina campo
Lanigeræ pecudes, & equorum duellica proles,
Buceriæque greges, sub eodem tegmine cæli,
Ex vnoque sitim sedantes flumine aquâ
Dissimili viuunt specie, retinētque parentum
Naturam, & mores generatim quæq; imitantur:
Tanta est in quouis genere herbæ materiâ
Dissimilis ratio: tanta est in flumine quoque.
Hinc porrò quauis animantem ex omnibus vnâ
Ossa, cruor, venæ, calor, humor, viscera, nerui
Constituunt: quæ sunt porrò distantia longè
Dissimili perfecta figura principiorum.
Tum porrò quæcunque igni flammata cremantur,
Si nil præterea, tamen ex se corpora tradunt,
Vnde ignem iacere, & lumen summittere possint:*

Scintil-

*Scintillâsq; agere, ac latè differre fauillam.
Cetera consimili mentis ratione peragrans
Inuenies intus multarum semina rerum
Corpore celare, & varias cohibere figuras.
Denique multa vides, quibus est odor: & sapor vna:
Religione animum turpi cum tangere parto.
— Reddita sunt, cum adoles in primis pleraq; dona.
Hæc igitur variis debent constare figuris.
Nidor enim penetrat, quâ succus non it in artus:
Succus item seorsum, & rerum sapor insinuatur
Sensibus, vt noscas primis differre figuris.
Dissimiles igitur formæ glomeramen in vnum
Conueniunt: & res permisto semine constant.
Quin etiam passim nostris in versibus ipsis
Multa elementa vides multis communia verbis,
Cum tamen inter se versus, ac verba necesse est
Confiteare alia ex aliis constare elementis.
Non quo multa parum communis littera currat:
Aut nullâ inter se duo sint ex omnibus isdem:
Sed quia non volgò paria omnibus omnia constant:
Sic aliis in rebus item communia multa
Multarum rerum cum sint primordia: longè
Dissimili tamen inter se consistere summa
Possunt: vt meritò ex aliis constare ferantur
Humanum genus, ac fruges, arbutâque læta.*

DVELLICA PROLES] duellica, id est bellica. Nam duellum idem valet, quod bellum, & dvis idem quod bis. Festus. *duellum bellum, videlicet quod duabus partibus de victoria contendentibus dimicatur.* in voce *duellica* u & e. in vnâ syllabam coeunt. alij dicunt in voce *equorum* m. elidi, vt in metiendo versu ita legamus, & *equorum duellica proles.* iam per equorum duelliam prolem equos intellige. equus enim animal est bellicum. Virg. *Æne. 3. Bello armantur equi, & c. BUCERIAEQVE GREGES]* citat hunc versum Nonius in voce *buceria*, & in voce *greges*, docens greges reperiri etiam in genere famineo. *Bucera* (inquit Festus) *de bobus dicimus.* Est autem *Bucera* vox ducta è duabus Græcis *βός* bos, & *κέρας* cornu. TANTA EST]

Empedoclea. I AM VERO QUAMVIS ANIMANTEM EX OMNIVNAM] sic habet libri manuscripti. EX SE CORPORA TR.] sic hunc locum restitui cum in cod. manuscriptis *corpora* scriptum reperissem. quidam vir doctus legendum putat *ex se corpore*: id est ex suo corpore. VNDE] id est ex quibus corporibus, &c. DIFFERRE] *disperere*, in diuersas partes ferre. MENTIS RATIONE] sic dictum *mentis ratione*, ut alibi, *animi ratione*. *Perfacile est iam animi ratione exsoluere nobis*, &c. CORPORE CELARE] in corpore suo inclusa, & abdita habere. COHIBERE] continere in suo corpore inclusas. DENIQUE M. V. QUIBUS EST ODOR, ET SAVOR VNA,] secutus sum in hoc versu libros vulgatos: qui omnes sic habent, exceptis antiq. Veneris. manuscripti autem sic. *quibus & color, & sapor una*. quos quamobrem non simus secuti, mox dicemus.

RELLIGIONE ANIM. TURPICVM TANG. PARTO] sic huc versum restitui partim auctoritate veterum codicum fretus, partim coniectura ductus. Nam cum reperissem in codicib. manuscriptis aliis *Religione animu turpi contingere parato*, aliis *contingere patro*, in nonnullis excusis, ut Paris. *contingere porro*, ex *contingere*, feci *cum tangere*, ex *parato* aut *patro*, feci *parto*. (quæ vox reperitur integra in cod. Venet. antiq.) approbate atq; adeo mihi preeunte nostro Ad. Turn. hunc igitur versum sic declaro: Cū tangere animu religione, id est cum timore deorum corurbaris atque æstuas, *turpi parto*, ob turpe partu, id est propter ea lucra, quæ tu mentiendo, peierando, fraudando, & malis artibus fecisti: seu cum ob tuas iniurias, furta, & rapinas Diis immortalibus sacrificas, ut eos tibi propitios & placatos reddas. hæc est huius versus sententia. sed libet nunc mihi de toto hoc loco, quid sentiam, expromere. Non te diutius suspensum, lector, tenebo. versum *Reddita sunt cum adoles in primis pleraque dona*: vel, ut in nonnullis libris reperitur, & maxime manuscr. *Reddita sunt cum odore*, &c. adulterinum esse puto: atque ita à Lucretio scriptum esse arbitror, quemadmodum excudendum curavi: totiusque huius loci hæc mihi videretur esse sententia. Denique multa vides odore simul, & sapore prædita, nempe quo tempore tua turpia lucra animum tuum mordent, vrunt, & cruciant: id est cum hostiis immolâdis Deos placare studes: hæc igitur, quæ tu immolas, quæ prædita sunt odore simul, & sapore debent variis constare figuris. Sed quartat aliquis, unde in contextu carminis Lucretiani irrepsit hic alienus versus. dicam, quod mihi venit in mentem. ad hunc versum *Religione animum turpi cum tangere parto*, studiosus aliquis, fortasse annotauit .i. *cum adoles dona. Diis oblata*: seu *cum sacrificas*. hanc annotationem arripuit alius, & ex ea, additis quibusdam, quæ ad superiorem versum pertinere possent, versum illum fecit ineptum: *Reddita sunt, cum adoles*, &c. ex quo postea concinnauit alius *Reddita sunt cum odore*, &c. & eadem opera corrupit superiorem, in quo erat, *quibus est odor, & sapor una*, & substituit, *quibus & color, & sapor una*, &c. cum hic Lucretius de duobus tantum loquatur, nempe odore, & sapore, seu nidore, & succo: cumque ex sententia Epicuri colorum varietas non fiat ex dissimilitudine figurarum, sed ex varia & dissimili positura, ordine, motu, &c. ut mox docebit ipse Lucret. HÆC IGITUR VARIIS DEBENT, &c.]

hæc igitur, quibus est odor, & sapor una, dicendum est variis figuris constare. NIDOR] quem paullo antè dixit odorem, nunc nidorem dicit. nidor, inquit, ea via penetrat in artus, qua succo, seu rerum saporis præclusus aditus est: & contra succus seorsum in sensus insinuatur. ex quo intelligere licet nidorem, & succum: seu odorem & saporem non eiusdem figuræ principiis constare. GLOMERAMEN IN VNVM] in vnum concilium, & cœterum. QVIN ETIAM NOSTRIS, &c.] vsus est eadem similitudine, atque adeo iisdem versibus. sup. lib. I. EX OMNIBVS ISDEM] sic legendum, nisi malis legere *isdem. isdem* M. Tull. in perfecto oratore vsurpatum tradit ab Ennio. *templis isdem. isdem erat verius* (inquit) *nec tamen opimius. male sonabat isdem. impetratum est à consuetudine, ut peccare suauitatis causa liceret.*

Nec tamen omnimodis connecti posse putandum est

Omnia: nam volgò fieri portenta videres:

Semiferas hominum species existere: & altos

Interdum ramos egigni corpore viuo,

Multaque connecti terrestria membra marinis:

Tum flammam tetra spiranteis ore Chimeras

Pascere naturam per terras omniparenteis.

Quorum nil fieri manifestum est, omnia quando

Seminibus certis certa genitrice creata

Conseruare genus crescentia posse videmus.

Scilicet id certa fieri ratione necesse est.

Nam sua cuique cibis ex omnibus intus in artus

Corpora discedunt: connexaque conuenienteis

Efficiunt motus: at contra aliena videmus

Reicere in terras naturam, multaque cæcis

Corporibus fugiunt è corpore percita plagis:

Quæ neque connecti cuiquam potuere: neque intra

Vitales motus consentire, atque animari.

Sed ne fortè putes animalia sola teneri

Legibus his: eadem ratio res terminat omneis.

Nam veluti tota natura dissimiles sunt

Inter se genitæ res quæque: ita quanque necesse est

Dissimili constare figura principiorum:

Non quo multa parum simili sint prædita forma:

*Sed quod non volgò paria omnibus omnia consent.
Semina cum porrò distent: differre necessest
Interualla, vias, connexus, pondera, plagas,
Concurfus, motus: quæ non animalia solum
Corpora seiungunt: sed terras, ac mare totum
Secernunt, cælumque à terris omne retentant.*

OMNIMODIS] id est omnis generis, seu cuiusvis figuræ videlicet principis. vsus est eadem voce sup. hoc eodem lib. pro omnibus modis. *Omni-
modis expertus eris.* SEMIFERAS HOMINVM SPECIES] vt hippo-
centauros, de portentis lege lib. 5. ibi: *Multa que tum tellus etiam portenta crea-
re conata est, mira facie, membrisque coorta.* RAMOS E' GIGNI CORP.]
id est ramos gigni è corpore viuo. vt apud Horat. *tanto emetiris aceruo.* quod
genus, obseruatum, & notatum est à nobis ad illum locum. CHIMÆ-
RAS] Chimæram sic describit Homerus Ὀδυσ. Ζ. *αἰετὸς δὲ λέων, ὃ πιδυρὸν δ' ἀετ-
ῶν, ὑπόσθη δ' ἕλκεα γ.* &c. id est vt vertit noster Lucretius lib. 5. *Prima leo, po-
stremo draco, media ipsa chimæra.* Virgil. lib. 6. *flammisque armata chimæra.*

TERRAS OMNIPARENTEIS] γῆα παμμίτων à Græcis dicta.
GERTA GENITRICE] sup. *Quippe vbi non essent genitalia corpora cuique,
Quæ posset mater rebus consistere certa?* CORPORA DISCEDVNT] sic le-
gend. & ita habent quinque libri manuscripti. ex omnibus cibus sua cuique
id est propria & accommodata cuique corpora prima discedunt, id est di-
duntur, seu distribuuntur in artus. QVÆ NEQVE CONNECTI
CVI QVAM] quidam libri scripti habent, *quoiquam*, quo modo loqueban-
tur veteres. NEQVE INTRA] lib. manuscr. aliquot *inter.* ATQVE
ANIMARI] sic restitui reclamantibus lib. omnibus, leui mutatione facta.
nam sume *atque imitari*: deinde ex *e. facito a. postremo ex imit. nim.* totidem
enim sunt pedes, habebis *animari.* quam correctionem nemini erudito, ma-
xime in libris veteribus versato, violentam visum iri confido. EADEM
RATIO RES TERMINAT OMNEIS] cum reperissem in quattuor
libris manuscriptis ita scriptum *eadem ratio determinat omneis.* ego reposui
res terminat omneis. quæ lectio perspicue recta est. DIFFERRE NECES-
SVM EST INTERVALLA, &c.] necessum est, reposui secutus libros
scriptos: quanquam vtrum legatur, necessum est, an necesse est, parum in-
terest, nisi quod illud magis Lucretianum est. cum hoc loco congruunt il-
la sup. *lámne vides igitur, paullo quod diximus antè, Permagis referre, eadem pri-
mordia sape cum quibus, & quali positura contineantur, Et quos inter se dent motus,
accipiántque?* RETENTANT] ne cælum cum terris misceatur.

*Nunc age, dicta meo dulci quæ sita labore
Percipe, ne forte hæc ex albis alba rearis
Principis esse, ante oculos quæ candida cernis.*

*Aut ea, quæ nigrant, nigro de semine nata:
Nève, alium quemuis quæ sunt induta colorem,
Propterea gerere hunc credas, quod materiai
Corpora consimili sint eius tincta colore.
Nullus enim color est omnino materiai
Corporibus, neque par rebus, neque denique dispar.
In qua corpora si nullus tibi fortè videtur
Possè animi iniectus fieri, procul auius erras.
Nam cum cæcigeni, solis qui lumina nunquam
Aspexere, tamen cognoscant corpora tactu,
Ex ineunte æuo nullo continctæ colore:
Scire licet menti quoque nostra corpora posse
Verti in notitiam nullo circumlita fuce.
Denique nos ipsi, cæcis quæcunque tenebris
Tangimus, haud vllò sentimus tincta colore.
Quod quoniam vinco fieri, nunc esse docebo.
Omnis enim color omnino mutatur in omneis.
Quod facere haud vllò debent primordia pacto.
Immutabile enim quiddam superare necessest:
Ne res ad nihilum redigantur funditus omnes.
Nam quodcunque suis mutatum finibus exit:
Continuò hoc mors est illius, quod fuit antè.
Proinde colore caue contingas semina rerum,
Ne tibi res redeant ad nihilum funditus omnes,*

NUNC AGE DICTA MEO.] Nunc aggreditur ad docendum pri-
ma corpora colore vacare, atque adeo omnibus qualitatibus præter figuram,
magnitudinem, & pondus. qua de re sic Laërtius. *φισι δὲ ἐνδοτέρω μὴδὲ ποί-
ηται τινὰ. καὶ ἂν τὸ μὴ εἶναι πλὴν σχήματος, ἢ μεγέθους, ἢ βάρους. τὸ δ' ἕωμαι πρὸς τὴν
δύσιν τῶν ἀτόμων. ἀλλά ττε δξ:* id est ait autem interius neque qualitate vlla ato-
mos esse præditas, præterquam figura, magnitudine, & pondere. colorem
autem ex positura atomorum variari. M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. *Isti au-
tem quemadmodum asseuerant ex corpusculis non colore, non qualitate aliqua, quam
ποιήθητε.* Græci vocant, non sensu præditis, sed concurrentibus temere, atque casu, mun-
dum esse perfectum, vel innumerabileis potius in omni puncto temporis alios nasci, alios
interire? ALBIS EX] sic habent libri manuscripti: quæ scriptura præter-

quàm quòd suavior est, etiam Lucretiana est. NIGRANT] id est nigra sunt. Virgil. lib. 4. Æneid. *His ego nigrantem commissa grandine nimbis, Dum trepidant alae & c. Desuper infundam.* NEVE ALIVM] quidam lib. manuscr. Nive. pro Nève. quod docti probant, ut antiquum: ne ego quidem improbo. Veruntamen nihil mutavi. ALIVM QVEMVIS QVAE SVNT INDV. COLO.] sic restitui partim coniectura & ratione ductus, partim trium librorum manuscr. auctoritatē secutus, in quibus cum sine vlla litura scriptū reperissem *imbuta colorem*, primū cœpi mecū diligentius, atque attentius hanc scripturam cōsiderare: deinde mihi venit in mentem, non satis aut verè, aut propriè dici aliquid imbutū colore, cum color vel sit ipsa corporū extremitas, vel in corporū extremitate seu extremo cortice consistat, nō interius maneat: at imbuta ea dicuntur à Latinis, quæ à Græcis *σποινὴ*. Præterea imbutū de odore, aut succo aliquo dicitur, nō de colore, ut apud Horat. epist. 2. li. 1. *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu.* Præterea infra ita loquitur, *Scire licet quàm sint nullo velata colore, at velari colore, & indui colorē simillimo, immò verò eadē figura dicta sunt.* tralatio enim sumpta est ab iis animantibus, quæ vestiuntur. Postremò eo qui deinceps sequatur versu, ita loquitur, *gerere colorem*: quod item de persona & vestitu dicitur. M. Tull. Offic. lib. 1. *Est igitur proprium munus magistratus intelligere se gerere personā civitatis.* sic Lucret. lib. 5. extr. *Ut letū infidus qui primus gessit, obiret.* Sic Horat. de Aristippo epist. ad Scævam. *Personāque geret non inconcinnus utranque.* ibid. de eod. *Quidlibet indutus celebrivimus per loca vadet.* Ex quibus intelligere licet Latinè dici ut induere, & gerere personam, ita induere & gerere colorem: & velari colore, & tingi colore, & circumlini fūco, ut statim loquitur: imbuti colore autem nullo modo. TINCTA COLORE] proprie dictum. nam quæ tincta sunt, etiam colorata dicuntur. sed imbuta colore dici non potest. IN QVAE CORPORA SI NVLL. & c.] id est quæ corpora si tibi videntur non posse cogitatione, aut ratione comprehendendi: vel sic, quæ corpora si existimas neminem animo complecti posse. *inictus animi*, id est animi adiectio ad rem aliquā, & cogitatio. Sic M. Tull. *inicere animum* dixit lib. 1. de nat. Deor. *in quam magnitudinem regionum se iniciens animus, & intendens, ita latè, longèque peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi videat.* CAECIGENI] cæciniti. ASPEXERE] nonnulli libri habent, *dispecere*. NVLLO CONTINGTA COLORE] non dicit corpora naturalia nullo colore esse tincta, sed ea cognosci à cæcis solo tactu, non oculorum sensu, cui subiicitur color. Cæco enim nihil est coloratum, cum ei semper sint tenebræ: color autem non nisi luce cerni queat: utpote qui ita definiatur ab Aristot. lib. *αὐτὸ ἀσπίστου ἢ ἀσπίστου, τὸ δὲ διαφανὲς ἐστὶν ὁμοίως ὡς τὸ ὑποπύρον*: id est pellucidi, in corpore finito, extremum, quod quidem extremum cerni non potest, nisi illud *διαφανὲς* se seu functione sit *διαφανὲς*: quod est lumen. Atque hæc ex sententia Aristotelis. VINCO FIERI] probo argumentis, & quasi expugno. Sic sæpe loquitur Horatius ut saty. 3. lib. 2. *Vincit enim stultos ratio insanire nepotes.* & M. Tull. Parad. *ἐν πείρῃ οἱ μωροὶ μακρόν τινος.* Ego verò te non stultum, ut sæpe non improbum, ut semper, sed dementem, & insanum rationibus vincam necessariis. sic enim legendum censeo,

non ut vulgò, addicam. OMNIS ENIM COLOR OMNINO MUT. IN OMNEIS] sic habent cod. manuscripti, nisi quòd in duob. scriptum est & omneis. planè mendosè. Quòd autem ad huius loci sententiam attinet, sic argumentatur Lucret. Si prima corpora essent aliquo colore tincta, mutarentur: nam color omnis in quovis alium colorē mutatur, (quod intellige de mediis colorib.) At prima corpora immutabilia esse docuimus. ergo prima corpora coloris omnis sunt expertia. IMMUTABILE ENIM QUIDDAM] hunc versum cum tribus qui deinceps sequuntur, posuit lib. 1.

*Præterea, si nulla coloris principis est
Reddita natura: at variis sunt prædita formis,
E quibus omnigenos gignunt, variantque colores.
Propterea, magni quòd refert, semina quæque
Cum quibus, & quali positura contineantur,
Et quos inter se dent motus, accipiantque:
Perfacile extemplò rationem reddere possis,
Cur ea, quæ nigro fuerint paullo antè colore:
Marmoreo fieri possint candore repente.
Ut mare, cum magni commorunt æquora venti,
Vertitur in canos candenti marmore fluctus.
Dicere enim possis, nigrum quod sæpe videmus,
Materies ubi permixta est illius, & ordo
Principis mutatus, & addita, demtæque quedam,
Continuò id fieri ut candens videatur, & album.
Quòd si cæruleis constarent æquora ponti.
Seminibus, nullo possent albescere pacto.
Nam quocunque modo perturbes, cærulea quæ sint,
Nunquam in marmoreum possunt migrare colorem.
Sin alio, atque alio sunt semina tincta colore:
Quæ maris efficiunt unum, purumque nitorem:
Ut sæpe ex aliis formis, variisque figuris
Efficitur quiddam quadratum, unæque figuræ:
Conueniebat, uti in quadrato cernimus esse
Dissimileis formas: ita cernere in æquore ponti.
Aut alio in quovis vno, puroque nitore,*

*Disimileis longè inter se, variòsque colores.
Præterea nihil efficiunt, obstantque figuræ
Disimiles, quo quadratum minus omne sit extrâ.
At varij rerum impediunt, prohibentque colores,
Quo minus esse vno possit res tota nitore.*

PRÆTEREA SI NULLA] id est, Præterea etsi principia omni colore vacent, at tamen dissimilibus, & variis figuris sunt prædita: ita principia dissimilium inter se figurarum alio atque alio ordine posita varios colores efficiunt. Hæc igitur verba, *si nulla coloris principis est Reddita natura*, sic declaro. etiam si hoc sit verum, nullum colorem principis esse attributum aut innatum &c. MARMOREO CANDORE] candore exquisitissimo, & eo qui ad Parij, aut Lunensis marmoris candorem proximè accedat. Hor. od. 19. lib. 1. *Vri me Glycera nitior splendentis Pario marmore purius.*

EXTEMPLO] id est continuo. de quo lege Varon. lib. 6. de lingua Lat. VT MARE] id probat à simili. DICERE ENIM POSSIS, NIGR. Q. S. V. &c.] huius loci hæc sententia est. Dicere possis mare, quod interdum nigrum videtur, continuò fieri ut candidum videatur, vbi illius principia inter se permixta sunt, & ordo principiorum immutatus est, & quædam principia sunt addita, quædam detracta. quod non fieret, si mare cæruleis, seu nigris principis constaret. MARMOREVM] id est candidum marmoris instar. SIN ALIO ATQVE ALIO] Si quis dicet (inquit) femina maris alia alio colore esse tincta, & ex dissimilibus coloribus vnum colorem effici, quemadmodum ex disparibus figuris fit alia figura, exempli causa ex triangulis quadratum: necesse erit, quo modo in figura quadrata, alias figuras inesse videmus, ita & in puro maris colore, aut in vno quouis alio, dissimileis colores cõparète. at hoc non fit: non igitur, &c. VNAEQVE FIGURAE] sic restituit M. Anton. Muretus à codicibus manuscriptis ad veram scripturam coniectura, & propè manu ductus. Nam cum huc locum in cod. Vaticano vnà legeremus, in eoque reperissemus *vnâque figura*, in aliis duobus *vnâque figura est*, immo, ne mentiar, figura est, suspicatus est ille è vestigio legendum *vnâq, figura*. cui ego continuò assensus sum, & maneo in sententia. sic enim veteres loquebantur. Plaut. Trucul. *istæ dedi.* Terent. Heaut. *hoc ipsa in itinere altera dum narrat, forte audiu.* Idem Eun. *mibi sola ridiculus fuit.* Cic. pro Mur. *hoc iudicium sic expectant, ut non vnæ rei statui, sed omnibus constitui putetur.* sic Lucret. sup. DISSIMILIBIS FORMAS] figuras. nempe triangulas. nam ex triangulis constant quadrata.

QVO QVADRATVM MINVS OMNE SIT EXTRA] sic excudendum curavi secutus librorum manuscriptorum testimonium. quanquã mihi non displicet ea scriptura, quam amicus quidam meus ex vulgata leuiter immutata traxerat, *quo quadr. minus insit in illis.* ille enim ex verbo *esset fecerat insit.* sed omnino antiqua scriptura melior est, & si re propius spectes, verior. quadratum enim ex triangulis factum, extra triangula est, non in triangulis.

T V M

*Tum porro, quæ ducit, & inlicit, ut tribuamus
Principis rerum nonnunquam causa colores,
Occidit: ex albis quoniam non alba creantur:
Nec quæ nigra cluent, de nigris: sed varius de.
Quippe etenim multo procliuius exorientur
Candida de nullo, quàm de nigrante colore,
Aut alio quouis, qui contrâ pugnet, & obstet.
Præterea, quoniam nequeunt sine luce colores
Esse, neque in lucem existunt primordia rerum:
Scire licet quàm sint nullo velata colore.
Qualis enim cæcis poterit color esse tenebris,
Lumine qui mutatur in ipso, propterea quòd
Recta aut obliqua percussus luce resulget?
Pluma columbarum quo pacto in sole videtur:
Quæ sita ceruices circum, collumque coronat.
Nanque aliàs fit vti rubro sit clara pyropo:
Interdum quodam sensu fit, vti videatur
Inter cæruleum virideis miscere smaragdos.
Caudaque pauonis, larga cum luce repleta est,
Consimili mutat ratione obuersa colores:
Qui, quoniam quodam gignuntur luminis ictu,
Scilicet id sine eo fieri non posse putandu est.
Et quoniam plagæ quoddam genus excipit in se
Pupula, cum sentire colorem dicitur album,
Atque aliud porro, nigrum cum, & cetera sentit,
Nec refert ea, quæ tangis, quo fortè colore
Prædita sint, verum quali magis apta figura:
Scire licet nil principis opus esse colores:
Sed variis formis varianteis edere tactus.*

TVM PORRO, QVAE DUCIT, ET INLICIT, UT TRIBVAMVS, &c.] hæc est vera huius loci scriptura, quam ego cum in codice Bertiniano & Memm. expressam reperi, tum ab Adriano Turnebo comprobata atque illustratam accepi. Vix autem me puto fidem lectori facturum

X

si enumeram lectionis huius loci dissimilitudines, & differētiās. Nam cum vsus sum quinque lib. manuscriptis, octo impressis & amplius, vix tres reperi, qui inter se congruerent. cum alij haberēt *quæ ducit in illicitum, vt trib. alij quod dicunt inlicitum trib. alij, quæ ducit & vt illicitum hoc, &c.* huius igitur veræ, & rectæ scripturæ hæc sententia est. Tum porro ea causa, quæ ducit & illicit, vt nonnunquam principiis rerum colores tribuamus, nempe hæc, quoniam ex albis non creantur alba, nec nigra ex nigris, sed ex contrariis, aut dissimilibus: hæc, inquam, causa occidit, id est nulla est. Quippe etenim & cet. hic est ordo verborum, quo explicato, etiam sententia explicata, & aperta est. SED VARIIS DE] id est de variis & differentibus. *αὐαπρροφ*, cum in libris manuscriptis reperissem, partim *variis ea*, partim *variis ad*, & ita in Vicetinis, ego *sed variis de* restitui. nam ceteræ scripturæ, *sed variant se, sed variantur, sed variata*, (quam postremam Pontanus substituerat) omnes sunt deprauatæ. QUIPPE ETENIM MVLTQ] hæc est ratio seu *αἰτιολογία* quare causa illa quæ illicit ad tribuendos principiis colores, nulla sit. CANDIDA DE NVLLO, QVAM DE NIGRANTE COLORE] postremam huius versiculi partem deprauatam, feliciter, doctorum virorum iudicio, restitui in antiquum statum. Nam cū reperissem ita scriptum in cod. Vaticano. *quam de nigro nate colore, ex nigro nate feci nigrante*, quæ scriptura perspicuè, & sine cōtrouersia, recta est. *nigrante* autem interpretor *nigra*, vt supra *nigrant* interpretatus sum, *nigra* sunt. *Aut ea quæ nigrant, nigro de semine nata.* Virg. lib. 5. *Æn. totidē nigranteis regea iuuenkos.* & 8. *Cum saepe nigrantē Aegida concuteret dextra.* PRAETEREA QVON. NEQVE VNT SINE LVCE] sic argumentatur. sine luce colores non cernuntur. corpora prima non cernuntur: ergo corpora prima nullo sunt colore tincta. Syllogismus inualidus quidem est: omnes tamen eius partes veræ sunt. Nā sine luce colores non cerni etiā Arist. docet. Sic enim ille *τὸ ἐν φωτὶ ἐξάφρον, χρομα. διὸ ἐκ ἐξήται τὸ χρομα ἀνεφωτός. ἄτο γὰρ ἢ τῷ χροματι εἶναι, τὸ συναντῶ τῷ χρομ. ἐπερὶ αὐτὸ διαφανές*: id est quod in luce cernitur, color est. idcirco sine luce color nō cernitur. hæc enim est coloris essentia, ac definitio, quod vim habet mouendi id quod est re, & functione pellucidum. Idem docet colorem esse aspectabilem in eo, quod per se aspectabile est: nempe *ἐν ἐμφανείᾳ*, id est in extremitate corpōris, seu in summo rei cortice. Extremitas autem per se est aspectabilis, quia in se habet, per quod cerni possit, nempe colorem. pellucidum porro aspectabile est nō per proprium colorem, sed per alienum. PROPTEREA QVOD RECTA AVT OBL.] alius enim color est si rectus sit luminis angulus, alius si obliquus. PERCVSSVS] sic legendum, non *perculsus*, vt habent nonnulli typis impressi: & ita ferè loquitur infra. *Qui quoniam quodam gignuntur luminis ictu, &c.* & lib. 5. *Luna potest solis radiis percussa nitere.* QVOPACTO] *ἴσως*, quæadmodum. PLVMA COLUMBARVM] M. Tull. in Lucullo. *Neque verò hoc loco expectandum est, dum de reno inflexo, aut de collo columbæ respondeam. neque enim in sum, qui quidquid videtur, tale dicam esse, quale videatur.* PYROPO] Pyropus genus est metalli. Plin. lib. 36. cap. 8. *in vncias duas additis auri scrupulis sepiis, prætenni pyropi bractea renescit.* Idorus. *Pyropum ait esse metalli genus ex-*

dimidia parte auri, & dupla argenti. esse & gemmam, quam Latini carbunculum appellant, nonnulli putant. esse autem sic legendum *rubro sit clara pyropo* vel ex Ouidij versu intelligere licet lib. 2. *Metam. Clara micante auro, flammæque imitante pyrope.* SCILICET ID SINE EO F. N. P. PVTANDV] vel sic legendum, vt excudendum curavi, cum in tribus lib. manuscriptis reperiat scriptum, *putandum est*: vel sic *Scire licet sine eo fieri non esse putandū.* ET QVONIAM PLAGAE QVODDAM.] audi quomodo cernamus ex sententia Epicuri. quod sumit argumenti loco ad probandum, rerum primordia coloris esse expertia. visus fit ictu quodam, (inquit) nempe *διὰ τῆς τῶν εἰδύλων εἰς τὴν ὀλίαν ἐμπέσεως*, id est per imaginum incurfionem in videndi sensum, & per plagam seu ictum quendam: qui ictus alius est, si oculus sentiat album colorem, alius si nigrum, & ita de ceteris: at ictus non fit sine tactu. tactus autem non eget colore, vt suo officio fungatur. nihil refert enim, quo sint colore prædita ea quæ tangis: ergo prima corpora nullo colore tincta sunt. Sed quod ad disputationem atinet de causa visus, seu aspectus, Aristoteles visus causam esse arbitratur *τὴν τῶν ἀερίων ἐπερῆαν*, seu *ποιότητα ἐπερῆαν εἰς τὴν ὀλίαν*: id est eorum quæ cernuntur, qualitatem vim suam expromentem atque explicantem in videndi sensum. Plato, & Stoici aliter sentiunt: quin ne hi quidem inter se planè consentiunt. qua de re lege A. Gellium lib. 5. cap. 15. sed de his plura suo loco dicentur lib. 4. OPVS ESSE COLORES] sic legit Nonius: profertque etiam versum ex Plauto in Capt. *Iam maximi omnes milites opus sunt tibi.* possem alia exēpla afferre quàm plurima. Cæs. lib. 5. de bello Gall: *quæcumque ad proximi diei oppugnationem opus sunt, noctu comparantur.* M. Tull. epist. ad Cælium *dux nobis & auctor opus est.* Idem Lucret. sup. lib. 1. *Infinita opus est vis vndique materiai.* & lib. 3. *Materies opus est, vt crescant postera sæcla.* & lib. 4. *Nec motus opus sunt nostris vxoribus hilum.*

*Præterea, quoniam non certis certa figuris
Est natura coloris, & omnia principiorum
Formamenta queunt in quouis esse nitore:
Cur ea, quæ constant ex illis, non pariter sunt
Omnigenis perfusa coloribus in genere omni?
Conueniebat enim coruos quoque saepe volanteis
Ex albis album pennis iactare colorem,
Et nigros fieri nigro de semine cycnos,
Aut alio quouis vno, varioque colore.
Quin etiam quanto in parteis res quæque minutas
Distrahitur magis, hoc magis est, vt cernere possis
Euanesce paullatim, stinguique colorem:
Vt fit, vbi in paruas parteis discernitur aurum,*

*Purpura, puniceusque color clarissimi multo,
 Filatim cum distractus, disperditur omnis:
 Noscere ut hinc possis, prius omnem efflare colorem
 Particulas, quam discedant ad semina rerum.
 Postremo, quoniam non omnia corpora vocem
 Mittere concedis, neque odorem, propterea fit,
 Ut non omnibus attribuas sonitus, & odores:
 Sic, oculis quoniam non omnia cernere quimus,
 Scire licet, quaedam tam constare orba colore,
 Quam sine odore villo quaedam, sonituque remota.
 Nec minus hæc animum cognoscere posse sagacem,
 Quam quæ sunt aliis rebus. priuata, notaque.*

PROPTEREA QVONIAM NON CERTIS] sic habent libri omnes manuscripti, quibuscum congruunt aliquot typis excusi. sententia autem, & vis huius argumenti hæc est. Præterea (inquit) demus prima corpora colore esse prædita: non dicent ij, qui hoc volunt, in certis figuris certum inesse colorem, verbi gratia omnia corpora prima triangulæ figuræ, esse nigra: omnia quadrangulæ formæ, esse cærulea, &c. sed in vnaquaque figura fatebuntur esse principia dissimilibus coloribus prædita: verbi gratia primordia triangulæ figuræ alia esse alba, alia nigra, alia medij coloris. Fingamus igitur coruos maiore ex parte constare ex primordiis triangulis: quæ, ut diximus, non sunt vnus coloris. Fiet igitur ut corui nascantur non nigri, sed vel albi, vel virides, vel cærulei, vel versicolores. Atqui hoc non fit: ergo principia non sunt colorata. QVINETIAM QVANTO] aliud argumentum, quo vtitur ad probandum primordia rerum coloris esse expertia. Quo quicque minutiores in partes secatur, eo magis euanescit eius color. finge igitur rem aliquam in parteis ita paruas esse dissectam, ut illæ fugiant sensum oculorum. tum scilicet intelliges earum colorem euanuisse, atque extinctum esse. quod si ita est, multo credibilius est semina rerum, quæ sunt subtilissima, & simplicissima, colore omni carere. STINGVIQVE CBLOREM] id est extingui. stinguo verbum simplex. composita. extinguo, restinguo, distinguo, præstinguo. vsus est eodem & lib. 4. ardorem in membris qui stinguere possit. & M. Tull. Arato. Quem neque tempestas perimet, neque longa vetustas Interimet stringens præclara insignia cæli. Idem in prognost. Ut cum Luna means Hyperionis officii orbi, Stinguuntur radii. caca caligine recti. PUNICEVSQVE COLOR] sic habent duo lib. manuscr. alij duo. pæniceusque: quod probo. dictum enim pæniceus, ut mœnere promunera. Virg. Melib. pæniceo furas euincta corburno. Idem lib. 12. Cum primum crastina celo Pæniceis inuicta rotis auroa rubebit. Varro lib. 4. de lingua Latina Pænicum purpura genus ex Caribagine primum allatum. idem. Pænica pænice.

ta ex lapide Numidico. POSTREMO QVONIAM] argumentum à simili. quædam sunt corpora odore, & sonitu, seu voce carentia. nihil obstat igitur quominus etiam sint corpora quædam coloris expertia, nempe corpora prima: quæ sub oculos non cadunt, & iccirco non egent colore. NE CMINVS HÆC] Festus hunc versum præfert in voce sagax, docetq; sagaces appellari multi ac sollertis acuminis.

*Sed ne fortè putes solo spoliata colore
 Corpora prima manere: etiam secreta teporis
 Sunt, ac frigoris omnino, calidique vaporis:
 Et sonitu sterila, & succo ieiuna feruntur:
 Nec iaciunt vllum proprio de corpore odorem:
 Sicut amaracini blandum, stactæque liquorem,
 Et nardi florem, nectar qui naribus halant,
 Cum facere instituas: cum primis quæ erere par est,
 Quoad licet, ac potis es reperire inolentis oliui
 Naturam: nullam quæ mittat naribus auram:
 Quam minimè ut possit mistos in corpore odores,
 Concoctosque suo contactos perdere viro.
 Propterea demum debent primordia rerum
 Non adhibere suum gignendis rebus odorem,
 Nec sonitum, quoniam nihil ab se mittere possunt:
 Nec simili ratione saporem denique quenquam,
 Nec frigus, neque item calidum, tepidumque vaporem, &
 Cetera: quæ cum ita sunt tandem, ut mortalia consistant,
 Mollia, lenta, fragosa, putricaua, corpore raro:
 Omnia sint à principiis seiuncta necesse est,
 Immortalia si volumus subiungere rebus
 Fundamenta, quibus nitatur summa salutis:
 Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.*

SED NE FORTE] posteaquam docuit corpora prima colore esse spoliata, probat iam aliis etiam qualitibus carere, ut calore, frigore, siccitate, humore, succo, odore, sonitu. CALIDIQVE VAPORIS] satis erat dixisse, vaporis. tale igitur illud est λευκοῖο γέλατος. ET SONITV STERILA] in voce sterilia, si quis lectionem vulgatam probabit, i & a conueniunt in vnam syllabam, atque a postrema vocalis eliditur. ego sterila ex-

cludendum curavi, quomodo scriptum reperi in tribus codicib. manuscr. & item in antiq. Veneris, & Vicetinis. SICVT AMARACINI, &c.] hic versus cum sex deinceps sequentibus coherent cum superiore, & ex eo pendent, ut sit hic Lucretij sensus. prima corpora omnis qualitatis experta sunt, vt calor, frigoris, saporis, odoris, quemadmodum si quis vnguentum amaracinum, aut nardinum, aut myrrhinum facere in animo habeat, quærere eum par sit oleum, quoad eius fieri possit, omnis odoris experta.

STACTAE QVÆ] stacta liquor myrrhæ. ET NARDI FLOREM] nonnulli libri habent, Et nardi florum: vt subintelligamus liquorem. Præterea Festus hunc versum profert in voce nectar: sed mendose. NECTAR] odorem suauissimū. tralatio est à gustandi sensu ad odoratum. HALANT] apud Festum legitur habet, planè corruptè. in vulgatis aliquot balant: quomodo excudendum curavi. Nam in quattuor libris manuscrip. scriptum reperi balat numero singul. & ita habet ceteri vulgati: quæ fortasse vera scriptura est, vt sic dicamus: qui flos nardi, nectar. n. h. QVAD LICET, AC POTIS ES] sic reposui partim coniectura ductus, partim codicum veterum testimonio commotus. potis es autem valet potes, vt potissimum possum. INOLENTIS] id est non olentis, odore carētis, ὑπόλυ. VIR O] sua naturali virtute. sic enim Nonius Marcellus hunc versum proferens, interpretatur. PROPTERBA DEMVM] Postremo (inquit) primordia rerum debent non adhibere gignendis rebus suum odorem propterea quoniam &c. hic enim est ordo verborum. Propterea quoniam autem, id est, propterea quod, vel propterea quia, vt sæpe idem loquitur. ET CETERA: QVÆ CVM ITA SVNT TANDEM, VT MORT. CONST.] sic habent quattuor libri manuscripti, eandemque scripturam vidi annotatam ad oram codicis typis impressi, quem mihi commodarat Vincentius Laureus Calaber vir doctus, & integer. cuius scripturæ sententia non obscura est. Et simili ratione (inquit) primordia rerum non adhibent in rebus gignendis saporem, nec frigus, nec teporem, nec calorem, & cetera, quæ cum sint huiusmodi tandem, vt sint mortalia, utpote Mollia, leuia, fragosa, putricana, corpore rano, necesse est à principiis sint seiuncta. PVTRICAVA] carie exesa, & excauata.

*Nunc ea, quæ sentire videmus cunque, necesse est
Ex insensilibus tamen omnia confiteare
Principiis constare: neque id manifesta refutant:
Nec contra pugnant, in promptu cognita quæ sunt:
Sed magis ipsa manu ducunt, & credere cogunt,
Ex insensilibus, quod dico, animalia gigni.
Quippe videre licet viuos existere vermeis
Stercore de tetro, putrorem cum sibi nacta sit
Intempestiuus ex imbribus humida tellus.*

Præterea cunctas itidem res vertere sese.

Vertunt se fluuij, frondes, & pabula lata

In pecudes: vertunt pecudes in corpora nostra

Naturam: & nostro de corpore sæpe ferarum

Augesunt vires, & corpora pennipotentum.

Ergo omneis natura cibos in corpora viua

Vertit, & hinc sensus animantium procreat omneis,

Non alia longè ratione, atque arida ligna

Explicat in flammis, & in igneis omnia versat.

Iamne vides igitur, magni primordia rerum

Referre, in quali sint ordine quæque locata?

Et commissa quibus, dent motus, accipiántque?

NUNC EA QVÆ SENT. VID.] Nunc docere incipit animalia constare ex principiis insensilibus: hoc est principia ex quibus constant animalia, esse insensilia. quæ sentire videmus cunque: id est quæcunque sentire videmus: tmesis. NEQVE ID MANIFESTA REFVTANT, &c.] sic solebat interdum suas sententias, suæque decreta confirmare Epicurus, ea, quæ non facile sensu probari possent. ταῦτα ἔμοχθη τοῖς φαινομένοις. id est hæc non pugnant cum iis, quæ sunt in promptu. & ἔδεν τῶν φαινομένων τῆτοις ἀπμαρτυρεῖ, id est nihil eorum, quæ sunt in promptu, contra hæc dicit testimonium. Itaque & apud Plutarch. & apud Diog. Laërtium crebra sunt hæc: ἔδεν τῆτων ἀπαγωγῆς ἐπίσης ἐχόμενος τῶ ἀδεχόμενος: id est nihil horum improbat, aut reiicit Epicurus, hærens in eo, quod eiusmodi est, vt fieri, & contingere queat. MANVDVCVNT] χειρὸς ὠγῆσι. QVIPPE VIDERE LICET VIVO S, &c.] Sic apes existunt ex vitulo suffocato, & putrefacto, quemadmodum docet Virgil. lib. 4. Geörg. & mures magni certis temporibus in agro Thebano ex terræ glebis nascuntur, vt refert Diod. Siculus lib. 1. non longè à principio. PVTROREM CVM SIBI, &c.] sic legendum, non putorem. VERTVNT SE FLVVI, ET FRONDES, ET PAB. L.] sic legendum, nõ vt est in vulgatis, Vertunt se fluuij in frondeis, &c. hoc enim significat fluuios, & frondeis, & pabula verti in naturam pecudū, dum scilicet pecudes fluuiis sitim sedant, frondibus famem explent. VERTVNT PECVDIBS IN CORP.] cum vescimur earum carnibus. ET NOSTRO DE CORP. S. F.] cum deuoramur à feris: vt lib. 3. Vnus enim tum quisque magis deprensus eorum Pabula viua feris præbebat dentibus haustus. Et nemora ac montes gemitu, siluæque replebat, Vna videns viuo sepeliri viscera busto. & Hom. inu. d. a. in princ. ἀπὸ δ' ἐνδὲν τῶ χι κρέασι, Οἰωνοῖσι τε πᾶσι, & sæpe alibi. PENNIPOTENTVM] auium. NON ALIA LONGE] id est simili ferè ratione. EXPLICAT] resoluit, videlicet natura. IAMNE VIDES IGITUR] innuit dissimilitudinem rerum creatarum ascri-

bendam esse variis ordinibus, posituris, motionibus, conciliis principiorum potius, quam figurarum dissimilitudini.

*Tum porro quid est, animum quod percutit ipsum?
Quod mouet, & varios sensus expromere cogit,
Ex insensilibus ne credas sensibile gigni?
Nimirum, lapides, & ligna, & terra quod vna
Mista, tamen nequeunt vitalem reddere sensum.
Illud in his igitur fœdus meminisse decebit,
Non ex omnibus omnino quæcunque creant res,
Sensilia extemplo, & sensus me dicere gigni:
Sed magni referre ea primum quantula consistunt,
Sensibile quæ faciunt, & qua sint prædita forma:
Motibus, ordinibus, posituris denique quæ sint:
Quarum nil rerum in lignis, glebisque videmus.
Et tamen hæc cum sunt quasi putrefacta per imbreis,
Vermiculos pariunt, quia corpora materia
Antiquis ex ordinibus permota noua re
Conciliantur ita, vt debent animalia gigni.
Deinde, ex sensilibus cum sensibile posse creari
Constituunt, porro ex aliis sentire suetis,
Mollia tum faciunt. nam sensus iungitur omnis
Visceribus, nervis, venis, quæcunque videmus
Mollia mortali consistere corpore creta.-
Sed tamen esto iam posse hæc æterna manere:
Nempe tamen debent aut sensum partis habere:
Aut similia totis animalibus esse putari.
At nequeant per se partes sentire, nec esse.
Nec manus à nobis potis est secreta, neque vlla
Corporis omnino sensum pars sola tenere.
Nanque alium sensus membrorum respuit omneis.
Linquntur vt totis animalibus adsimilentur,
Vitali vt possint consentire vndique sensu.
Qui poterunt igitur rerum primordia dici,*

Et

*Et leti vitare vias animalia cum sint,
Atque animalibus sint mortalibus vna, eademque?
Quod tamen vt possint: ab cœtu, concilioque
Nil facient, præter volgum, turbamque animantum:
Scilicet vt nequeant homines, armenta, feræque
Inter sese vllam rem gignere conueniendo
Per Veneris res, extra homines, armenta, feræque.*

TVM PORRO QUID ID EST,] hoc sentit Lucret. Porro quidnam illud est, quod animum commouet, & secum hac de re dubitare cogit, ita vt credere nõ possis, sensibile ex insensilibus principiis gigni: nimirum quod lapides, & ligna, & terra, & similia commista & confusa nequeunt viuere neque sentire. quemadmodum igitur ea, quæ dixi vna mista vitalem sensum reddere nequeunt: ita videtur incredibile ex principiis insensilibus gigni animanteis. EX INSENSIBILIBVS NE CREDAS] in voce *insensilibus* nullum inest mendum, cum hæc scriptura confirmetur auctoritate omnium codicum & manuscr. quibus vsus sum, & impressorum, tametsi Priscianus lib. 4. legat *Ex insensibili*, nisi sit eo loco corruptus Priscianus. in particula *ne* suspicantur docti quidam subesse aliquod vlcus, propterea quia libri manuscripti habent *ni credas*. ego tamen nihil mutauit, quanuis sciam *ni* vsurpatum esse à veteribus pro *ne*, vt supra, vbi vulgati libri habent, *Nere, alium* quæcunque sunt induit, &c. in manuscriptis legitur, *Nine alium*, &c.

ET VARIOS SENSVS EXPROM.] id est & in varias sententias animum distrahit? VITALEM] vitæ conuenientem, vel vita præditum, vel ad vitam accommodatum. ILLVD IN HIS IGITVR FOEDVS] non video quamobrem scripturam veterem immutare debuerim: quæ reperitur in quattuor lib. manuscriptis, nisi quod Bertinianus & Memm. habent *sedus*, parua immutatione: quibuscum cõsentiunt Vicetini, & Florentini. huius autem loci hæc sententia est. Dixi equidem ex principiis sensu carentibus animalia gigni: videretur hoc esse absurdum, vt si quis dicat ex lapidibus, & lignis animantem oriri, & conflare posse. illud igitur fœdus: id est illam conuentionem, & pactiõnem, per quam à me dissentire desinas, mihi que assentiare, meminisse decebit: non dicere me ex omnibus principiis omnino & simpliciter extemplo res sensu præditas, & sensus gigni: sed ex principiis hac vel illa figura, & quæ sic vel sic moueatur, & quæ hoc vel illo ordine collocentur, &c. SENSILIA EXTEMPLO] sic scriptum reperi in quinque libris manuscr. quibuscum impressi Aldini antiquiores congruunt. alij autem habent *Sensibile & extemplo*, præter Florentinos, qui habent *Sensibile progigni extemplo*, & *producere sensus*, planè vitiosè. DEINDE EX SENSIBILIBVS CVM SENSIBILE] huius scripturæ, quæ nihil ferè ab antiqua discrepat, nisi quod, suetis, reposui, sententia plana est. Deinde (inquit) cum constituunt, id est statuunt sensibile ex sensilibus principiis posse creari: quæ quidem sensilia, ex aliis sentire consueuerunt, nempe ex venis,

Y

neruis, visceribus, & similibus: tum faciunt sensilia illa principia, mollia: & ita mortalia, quod esse non potest. Sed tamen demus ista posse æterna permanere, &c. SENTIRE SVBETIS] sic videtur legendum, ut sic hic Lucretij sensus. ex sensibus fueris, id est quæ solita sunt porro id est porro tenus sentire ex aliis, videlicet ex visceribus, neruis, venis, ut diximus: quæ quidē sunt mollia, & mortalia. MOLLIA TVM FACIUNT] quinque lib. manu sc. habent, *Mollia cum faciunt*: vulgati planè mendosè *Mollia que faciunt*. SED TAMEN ESTO] id est sed tamen demus. NEMPE TAMEN, &c.] dilemma est huiusmodi. demus hæc principia sensilia, esse immortalia: ea aut habebunt sensum partis, id est talem sensum habebūt, qualem habent partes: aut erunt putanda similia totis animantibus: id est talem sensum habebunt, qualem totæ animantes. si dicas partis sensum habere: pars à toto separata neque sentit, neque est: verbi gratia manus separata ab humano corpore nō sentit, estque manus *καὶ ὁ κενυμέναι*, id est ex similitudine nominis, ut manus picta, si erunt similia totis animantibus: ergo erunt mortalia. si mortalia: ergo non principia. AVT SIMILIA] sic legendum reclamantibus omnibus codicibus, præter Florent. & Venetos recentiores, & Basilienfis: quos secutus sum, ut hoc loco emendatior est. autem hic anapæstus, pro spondeo *lia to*: vel dic. duas breueis pro vna longa haberi. PV TARI] sic habent codices Veneti antiq. & ita legendum:

AT NEQVEANT PER SE PARTES SENTIRE, NEC ESSE] hunc versum sic restitui, partim secutus codices Florent. & Aldin. recentiores, partim coniectura ductus, cum legeretur antea in omnibus libris, *neceffe est*, planè mendosè. admonitus sum autem à simili loco, qui est lib. 3. *nec aures Absque anima per se possunt sentire, nec esse*. NAMQVE ALIVM] id est aliorum. QVI POTERVNT IGTVR] si primordia rerum erūt animalibus similia, atque ad eadē, & erunt sensu prædita: quomodo poterunt dici primordia rerum, & esse immortalia, cum sint animalia?

MORTALIBVS VNA, EADEMQVE] *τῶν τε τοῖς ζῴοις*. sic loquitur lib. 3. *quorum vnus Homerus Sceptra potitur eadem aliis sopitū quiete est*. & Hor. epist. ad Pison. *Inuitum qui seruat, idem facit occidenti*. QVOD TAMEN VT POSSINT] quāuis possint vias leti vitare, & immortalia esse, non fungentur munere principiorum: neque ex iis quicquam gigni poterit præter animantibus. SCILICET VT NEQVEANT] argumentū à simili. CONVENIENDO PER VENERIS RES] conueniendo per complexum Venerum. sententia huius loci hæc est. prima corpora ponantur sensilia & animalia: nihil creabunt per concilium suum, præter animalia: quemadmodum homines per coniunctionem maris & feminae nihil gignunt præter homines: tauri nihil præter tauros: ferae nihil extra feras. hunc versum, qui deerat, reposui in codice typis. illo quidem impresso, sed cū manuscriptis comparato, repertum, cum esset ascriptus ad oram libri, quem Lucretij esse planè arbitror. Atque ut hunc restitui, qui desiderabarur, ira alium fustuli, qui fuerat ineptè suppositus, ut minime Lucretianum, & superuacaneum. nam simile quo vitur refertur ad ea quæ antecedunt.

*Quod si fortè suum dimittunt corpore sensum,
Atque alium capiunt: quid opus fuit attribui, quod
Detrahitur? tum præterea, quod fugimus antè,
Quatinus in pullos animaleis vertier oua
Cernimus alituum, vermeisque efferuere, terram
Intempestiuos cum putror cepit ob-imbreis:
Scire licet gigni posse ex non sensile sensus.
Quod si fortè aliquis dicet, duntaxat oriri
Posse ex non sensu sensus, sed mobilitate
Antè aliqua tangi partum, quàm proditur extrà:
Huic satis illud erit planum facere, atque probare,
Non fieri partum, nisi concilio ante coactò:
Nec quicquam commutari sine conciliatu
Primorum: ut nequeunt vilius corporis esse
Sensus ante ipsam genitam naturam animantis:
Nimirum quia materies disiecta tenetur
Aëre, fluminibus, terris, terræque creatis:
Nec congressa modo vitaleis conuenienti
Contulit inter se motus, quibus conuenienter
Accensi sensus animantem quanque tuentur.
Præterea quannus animantem grandior ictus,
Quàm patitur natura, repente adfligit, & omnes
Corporis, atque animi pergit confundere sensus.
Dissoluuntur enim posituræ principiorum,
Et peritus motus vitales impediuntur,
Donec materies omnis concussa per artus
Vitaleis animæ nodos è corpore soluit,
Dispersamque foras per caulas eiicit omneis.
Nam quid præterea facere ictum posse reamur
Oblatum, nisi discutere, ac dissoluere quæque?
Fit quoque, uti soleant minus oblato acriter ictu,
Reliquiæ motus vitalis vincere sepe,
Vincere, & ingenteis plagæ sedare tumultus:*

Inq̄ suos quicquid rursus reuocare meatus:

Et quasi iam leti dominantem in corpore motum

Discutere, ac p̄ne amissos accendere sensus.

Nam, quare potius leti iam limine ab ipso

Ad vitam possint conlecta mente reuerti,

Quam, quò decursum propè iam fiet, ire, & abire?

DIMITTUNT] sic legendum, non demittunt. TVM PRAETEREA, Q. F. ANTE, Q. &c.] Praeterea (inquit) quatinus, id est quoniã ex ouis fiunt pulli, ex glebis existunt vermes, quod antea fugimus, ibi: *Quarum nil rerum in lignis, glebisque videmus, & supra. Nimirum lapides, & ligna, &c. Fugimus autem, id est negauimus, non concessimus: Quoniam igitur id fieri videmus: Scire licet gigni posse, &c.* Verbum est, quod fuerat inculcatũ, post vocem *praeterea*, sustulimus, secuti cod. Venetos antiq. & Vicet. QVATINVS] id est quoniam: & ita saepe aliã apud hunc poëtam: itẽmque apud Horat. Denique docet Festus, *quatinus* idem valere, quod quoniam. ALITVM] alitum. sic Virgil. lib. 8. *Alituum, pecudũque genus sopor altus habebat.* VERMEIS QVE EFFERVBERE, TERRAM] ordo verborum hic est: & quatinus, id est quoniam cernimus vermeis efferuere, id est existere subintell. è terra, cum putror terram cepit ob imbreis intempestiuos: *Scire licet, &c.* sed non dissimulabo me in libris manuscriptis reperisse scriptum. *terram intempestiuus quam putror, &c.* de qua scriptura lector quidẽ iudicabit: hoc tamen eum etiam memorem admonebo, u. pro o, & o pro u. in libris manuscriptis librariorum culpa saepe positum reperiri: vt adulescens pro adolescens: epistula pro epistola: sic enim sine dubio scribi debet: adulescens (inquam) & epistola: & errant qui aliter scribunt, rubustis pro robustis, rutondus pro rotundus, cibus pro cibos, cumes pro comes, &c. & contra, auioim, pro auium, ciendum, pro ciendum, soboles, pro suboles. suboles enim dicendum, non soboles. EX NON SENSILE SENSVS] libri manuscripti tres habent *ex non sensibũ sensus*. quam scripturam non improbo. QVOD SI FORTE ALIQUIS] occupat aliud, quod quis obiicere possit. POSSE EX NON SENSVS SENSVS, SED MOB.] Si quis forte dicet, (inquit) posse sensum oriri ex nõ sensu, id est ex eo quod sit sensus expertus: sed partum antè quàm prodeat in lucem, mobilitate aliqua, videlicet, quæ insit in principiis, tangi, atque affici, &c. Sed non dissimulabo hunc versum, & alterum, qui deinceps sequitur, longè aliter scriptos esse in libris manuscriptis: nempe hoc modo. *Posse ex non sensu sensus mutabilitate, Aut aliquo tangi partu, quod proditum extrã.* de qua scriptura iudicet lector ingeniosus & eruditus. mihi quidẽ videtur corrupta. PRODITVR] foras editur: sic fere vsurpat lib. 3. *Quid dubitas tandem quin extra prodita corpus, Imbecilla foris, in aperto, tegmine demto, Non modò nõ omne incolumis durare per auum, &c.* PARTVM] id quod paritur. idẽm lib. 4. *Semper enim partus duplici de semine constat.* COMMVTARI] commutari in aliam formam, aut

naturam, vt ouum in pullum: cibum in sanguinem, aut carnem: insensibile denique in sensibile. sed putant quidam legendum *coagmentari*: seu, vt Muretus hoc verbum scribendum existimat, *coamentari*: id est concrefcere, componi, constari, constitui. quod si placebit, fiet *ouũ* duarum vocalium o. & a. ego lectionem receptam retineo. SINE CONCILIATV PRIMORVM] sic restitui. nam recepta scriptura ferri non potest. *sine conciliatu autem primorum*, hoc est sine congressu, & cœtu principiorum, & corporum primorũ. Nam etiam alibi *prima* posuit pro primis corporib. vt lib. 2. *Omnis enim longè nostris à sensibus ipsa Primorum natura iacet.* & lib. 4. *Propterea quia sunt è primis facta minutis.* CONVENIENTI] sic legendũ. nam coheret cũ voce, modo, vt sit, *conuenienti modo.* QVIBV CONVENIENTER ACC. S.] sic restitui, & ita sine controuersia legendum. *conuenienter autem intellige, accommodatè ad vitam.* ACCENSIS SENSVS] sic loquitur inf. eod. lib. *leti dominantem in corpore motum Discutere, ac p̄ne amissos accendere sensus.* & lib. 3. *accensus nobis per viscera sensus.* ADFLIGIT] ad terram deiicit, seu abiicit. *ægeus* (Horat. saty. 2. lib. 2. *Atque adfligit humo diuine particulam aura.* E CORPORE SOLVIT] sic habent tres libri manuscr. alij à corpore soluit. quidam docti legendum censent *in corpore.* PER CAVLA S] *caula à cano dicta sunt* (inquit Festus) *Antiquitus enim ante usum tectorum oues in antris clauderantur.* per caulas igitur corporis significat Lucret. partes cauas, & inaneis corporis: quas vulgò meatus, seu poros appellamus. Cum autem hæc fiunt, interit animal. vtitur eadem voce lib. 3. *Disperitur enim per caulas corporis omnes.* & lib. 4. *per caulas omne palati Diditur.* & lib. 6. *Dispergunt animas per caulas corporis omnes.* FIT QVOQVE VTI SOL. MINVS. OBL.] id cũ fit, conualefcit animal. VINCERE SABPE, VINCERE] *παλινογία.* sic Cic. Arato. *Et matutinis accredula vocibus instat, Vocibus instat, & assiduas iacit ore querelas.* Idẽm Lucret. lib. 3. princip. *Omnia sic iidem depascimur aurea dicta: Aurea, &c.* Idẽm lib. 5. *Suppeditare nouum lumen tremere ignibus instanti, Instant, &c.* & Virg. lib. 9. *& amicum Cretea Musis Cretea Musarum comitem, &c.* Hora. od. 11. *Epod. amore percussum graui, Amore, qui me præter omnes, &c.* & od. 18. *Vt inquinavit ære tempus aureum, Aere, de hinc ferro durauit secula.* QVIC QVID] id est quicque. sic lib. 3. *vbi quicquid possit durare creatum.* eod. lib. *Certum ac dispositum est, vbi quicquid crescat, & instat.* qui versus iteratur lib. 5. Idẽm lib. 4. *Semper enim summum quicquid de rebus abundat.* & lib. 5. *& primum quicquid flammã perdere.* ibid. *Sic vnum quicquid paullatim protrahit ætas In medium.* Plautus Trinummus. *Sin vnumquidquid singillatim, & placidè percunctabere, &c.* Idẽm Amphitry. *Ordine omne vt quicquid actũ est, dum apud hosteis sedimus, Edisserauit?* M. Tull. lib. 5. *Tuscul. vt quicquid obiectum est, quod modo à natura non sit alienum, eo contenti non querunt amplius.* Idẽm Verr. de signis. *ita odorabantur omnia, vt vbi quicquid esset, aliqua ratione inuenirent.* NAM QVARE POTIVS, &c.] Nam quæ alia ratio esse potest, quare reliquæ motus vitalis sint victices, id est animal conualefcit potius, quàm moriatur, nisi quòd minus acriter ictus oblatu sit? CONLECTA MENTE] sic legendum, non, vt in vulgatis *coniecta*, aut *conlecta*. quid sit autem colligere se, & colligere animum, seu mentem, docet

M. Tull. lib. 4. Tuscul. quæst. *quid est seipsum colligere, nisi dissipatas animi partes in suum locum cogere?* LETI DOMINANTEM IN CORP. M.] *Leti motus, & vitalis motus pugnant inter se. IRE, ET ABIRE]* οἷον, obire, mori. abitionem (inquit Festus) antiqui mortem dicebant.

*Præterea quoniam dolor est, ubi materiâ
Corpora vi quadam per viscera viua, per artus
Sollicitata suis trepidant in sedibus intus:
Inq̄ locum quando remigrant, fit blanda voluptas:
Scire licet, nullo primordia posse dolore
Tentari: nullamque voluptatem capere ex se:
Quandoquidem non sunt ex vllis principiorum
Corporibus, quorum motus nouitate laborent:
Aut aliquem fructum capiant dulcedinis almæ.
Haud igitur debent esse vllò prædita sensu.
Denique, vti possint sentire animalia quæquæ:
Principiis si etiam est sensus tribuendus eorum:
Quid? genus humanū proprium de quibus factum est,
Scilicet & risu tremulo concussa cachinnant:
Et lacrymis spargunt rorantibus ora, genasque:
Multaque de rerum mistura dicere callent:
Et sibi proporro quæ sint primordia querunt:
Quandoquidem totis mortalibus adsimulata
Ipsa quoque ex aliis debent constare elementis,
Inde alia ex aliis, nusquam consistere vt ausis.
Quippe sequar, quodcunque loqui, rideréque dices,
Et sapere, ex aliis eadem hæc facientibus vt sit.
Quod si delira hæc, furiosaque cernimus esse,
Et ridere potest non ex ridentibus factus,
Et sapere, & doctis rationem reddere dictis
Non ex seminibus sapientibus, atque disertis:
Quæ minus esse queant ea, quæ sentire videmus,
Seminibus permixta carentibus vndique sensu?*

PRAETEREA QUONIAM DOLOR] Probat nunc à voluptate

& dolore prima corpora sensus esse expertia, hoc modo. Si principia sentirent: & voluptate afficerentur, & dolore. nam quicquid sentitur, aut iucundum est, aut molestum. at principia neque voluptate, neque dolore afficiuntur. ergo non sentiunt. Voluptatem autem sic quidam definiunt, motum naturæ consentaneum: dolorem, motum præter naturam. SOLLICITATA] Festus: sollicitare est loco mouere. solum autem quoniam significet locum quis dubitet, cum exsules dicantur loco patriæ suæ pulsi? QUORVM MOTVS NOUITATE] motus patrij casus est, vt sit hæc huius loci sententia. principia neque dolore tentantur, neque voluptate afficiuntur, quia non constât ex aliis principiis, propter quorum motionis nouitatem, seu quorum motu nouato laborent, &c. DENIQUE VTI POSSINT, &c.] hoc sentit Lucretius. denique si ad id vt animalia quæque sentire possint, necesse est principia quoque ea, ex quibus illa constant, sensu esse prædita: sequentur hæc absurda: dicendum erit scilicet ea principia, ex quibus genus humanum propriè conflatum est, ridere, flere, de natura rerum disputare, & ex quibus ipsa principia consent, quærere, vsque ad infinitum, quæ cum sint absurda, & delira, illud ex quo hæc sequuntur, falsum est. PROPRIETIM] proprie, & ita Nonius. DE QVIBVS FACTVM EST] omnes quidem libri habent, de quibus actum est. sed ego legendum puto de quibus factum est: præsertim cum apud Nonium legatur de quibus actum est: ordo autem est. quid? ea primordia, de quibus genus humanum propriè fit, id est propriè factum est: scilicet & cachinnant, & flent. sic infra legendum. non ex ridentibus factus, quemadmodum excudendum curauit. DE RERVM MISTVRA] quidam docti legendum censent, natura. PROPORRO] longius, vterius. ADSIMVLATA] aliàs adsimulata: quod idem valet. QUIPPE SEQUAR] Quippe te persequar, atque vrgebo, vt quodcunque dices ridere, & loqui, & sapere, fatearis velis nolis, ex aliis hæc eadem facientibus, id est ridentibus, & loquentibus, & sapientibus consistere. CONSISTERE VT AVSIS] duo libri manuscripti, audeas; quod iccirco norauit, vt ad moneam lectorem, hoc audeas, fuisse primùm interpretationem, seu declarationem vocis ausis: deinde ab imperito librario, reiecta vera scriptura, in contextum translata, cum putaret ausis esse corruptum & mendosum, audeas esse verum, & germanum. NON EX SEMINIBVS] repecte uerbo non factus, vt sit, non factus ex seminibus sapientibus.

*Denique caelesti sumus omnes semine oriundi:
Omnibus ille idem pater est, vnde alma liquenteis
Humorum guttas mater cum terra recepit,
Fæta parit nitidas fruges, arbustaque lata,
Et genus humanum: parit omnia sæcla ferarum,
Pabula cum præbet, quibus omnes corpora pascunt:
Et dulcè ducunt vitam, prolemque propagant.*

Quapropter meritò maternum nomen adeptā st.
 Cedit item retrò, de terra quod fuit antè,
 In terras: & quod missum st ex ætheris oris,
 Id rursum cali rellatum templa receptant:
 Nec sic interimit mors res, vt materiā
 Corpora conficiat, sed cœtum dissipat ollis.
 Inde aliis aliud coniungit: & efficit, omnes
 Res vt conuertant formas, mutentque colores:
 Et capiant sensus, & puncto tempore reddant:
 Vt noscas referre, eadem primordia rerum
 Cum quibus, & quali positura contineantur,
 Et quos inter se dent motus, accipiāntque:
 Nève putes aterna parum residere potesse
 Corpora prima, quòd in summis fluitare videmus
 Rebus: & interdum nasci, subitoque perire.
 Quin etiam refert nostris in versibus ipsis,
 Cum quibus, & quali sint ordine quæque locata.
 Nanque eadem cælum, mare, terras, umina, solem
 Significant, eadem fruges, arbuta, animanteis:
 Si non omnia sint, at multò maxima pars est
 Consimilis: verùm positura discrepant res.
 Sic ipsis in rebus item iam materiā
 Intervalla, viæ, connexus, pondera, plage,
 Concurfus, motus, ordo, positura, figuræ
 Cum permutantur, mutari res quoque debent.

DENIQUE CAELESTI] profert hos versus Lactantius, seu vt alij
 malunt, Lucretius Firmian. lib. 6. de vero cultu. Itaque nō errat Lucretius cum
 dicit, Denique, &c. sic Virgil. lib. 4. Georg. deum nanque ire per omneis Terræ-
 que, tractusque maris, cælumque profundum: Hinc pecudes, armēta, viros, genus omne
 ferarum. idem lib. 6. Æneid. Igneus est ollis vigor, & caelestis origo. & Homerus
 passim de Ioue: πᾶσι δὲ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. SEMINE ORIUNDI] in voce
 oriundi, i, & u, vnā syllabam efficiunt, seu potius i. liquefcit: quanquam
 nonnulli libri habent stirpe oriundi. quæ scriptura si cui placebit, equidem
 non repugnabo, veruntamen suspicor esse suppositam. VNDE ALMA
 LIQVENTEIS] à quo Ioue. Virg. Georg. 2. Tum pater omnipotens secundus
 imbri.

imbribus æther Coniugis in gremium lætæ descendit, & omnes Magnus alit magno cō-
 mistus corpore fetus. DVCVNT VITAM] producunt, vel traducunt, & de-
 gunt. QVAPROPTER MERITO MATERNVM] sic sup. Quare ma-
 gna deū mater, materque ferarum, Et nostri genitrix hæc dicta est corporis vna. VT
 NOSCAS REFERRE, &c.] sic supra. Iamne vides igitur magni primordia
 rerum Referre in quali sint ordine quæque locata? hæc cum superioribus coniun-
 gas licet, licet & separatim legas, quod tamen malo. NEVE PVTES] cō-
 iunge cum iis, quæ antecedunt: Vt noscas referre &c. Nève putes, &c. id est, vel
 vt ne putes, quia corpora prima perpetuò iactari, & fluitare videmus in ex-
 tremitate rerum naturalium, & interdum videntur nasci, subitoque inte-
 rire. (Nam re vera neque oriuntur, neque intereunt) vt ne igitur ic-
 circo putes aterna esse non posse. FLVITARE] iactari, vel ex-
 tare. ΣΠΟΛΑΞΕΩ. QVINETIAM] probat à simili non idè minus
 aterna esse principia rerum, quòd modò coniungantur, & consocientur,
 modò dissipentur, & iactentur, & ex iisdem principiis nunc hoc, nunc
 illud gignatur: cum eorum ordo mutetur duntaxat, & positura, & motus,
 & similia. QVABOVE] elementa litterarum. NANQVE EADEM]
 viginti tria elementa litterarum. SI NON OMNIA SINT] si non om-
 nia litterarum elementa sint consimilia. DISCREPITANT RES] lego
 discrepant hæc. non enim loquitur de rebus, sed de elementis, & nomini-
 bus, quæ ex litteris constant.

Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem.
 Nam tibi vehementer noua res molitur ad aureis
 Accidere: & noua se species ostendere rerum.
 Sed neque tam facilis res vlla est, quin ea primùm
 Difficilis magis ad credendum constet: itēque
 Nil adeo magnum, nec tam mirabile quicquam
 Principiò, quod non minuant mirarier omnes
 Paullatim, vt cæli clarum, purūque colorem,
 Quēque in se cohibent palantia sidera passim,
 Lunæque, & solis præclara luce nitorem:
 Omnia quæ nunc si primùm mortalibus adsint,
 Ex improviso ceu sint obiecta repente:
 Quid magis his rebus poterat mirabile dici?
 Aut, minus antè quod auderent fore credere gentes?
 Nulli (vt opinor) ita hæc species miranda fuisset,
 Quàm tibi, iam nemo fessus satiate videndi
 Susplicere in cæli dignatur lucida templa.

*Desine quapropter nouitate exterritus ipsa
Exspuere ex animo rationem: sed magis acri
Iudicio perpende: & si tibi vera videtur,
Dede manus: aut, si falsa est, accingere contra.
— Querit enim rationem animus: cum summa loci sit.
— Infinita foris, hæc extra mœnia mundi.
— Quid sit ibi porro, quò prospicere vsque velit mens:
— Atque animi tractus liber quò peruolet ipse.*

NUNC ANIMVM] Nunc aggrediens ad probandum non vnum esse mundum, sed innumerabileis, quia hæc sententia abhorret ab opinionibus & sensibus hominum, vtitur *ἀπὸ τῆς ψυχῆς*, seu *ἀπὸ τῆς ἐπινοίας*: id est præmunitio, & animorum præparatione huiusmodi: nihil esse tam facile, & credibile, quin id initio difficile ad credendum videatur: nihil contra tam admirabile, & incredibile primùm, quod non paullatim desinant homines mirari. Reddit autè auditorum, seu potius lectorè attētum, cum se de rebus nouis, & magnis pollicetur esse dicturū. Innumerabileis autè mundos esse putauit & Democritus: quod testatur M. Tull. lib. 1. de Finib. *Infinito ipsa quam ἀπειράων vocant, tota est à Democrito: tum innumerales mundi, qui & oriuntur, & intereant.* Idem Lucullo. *& ais Democritum dicere innumerabileis esse mundos.* Idem vltima epist. lib. 9. *Ille Baro te putabat quæsiturum num vnum calum esset, an innumerabilis.* VEHEMENTER] anapæstus, pro spondeo: vt apud Horat. lib. 2. epist. *Vehemens & liquidus.* NEC TAM MIRABILE QVICQUAM PRINCIPIO] Mirè hic locus fuerat deprauatus ab iis hominibus, qui dum plus videre, quàm alij, videri volunt, faciunt vt nihil intelligere iudicentur. Nam cum libri veteres ita haberēt, vt ego excudendum curauim, vocem *Principio* transtulerant in versum sequentem: aduerbium autem *Paullatim*, à quo initium capere debet versus tertius ab illo *Nil adeò magnum*, &c. posuerant in secundo pede eius versus, qui ab illo eodem secundus est: quo facto tota huius loci sententia obscurabatur, & corrumpebatur. Nunc verborum ordine restituto, sententia planissima est. hoc enim sentit Lucret. ab hoc loco, *idè què Nil adeò*, &c. Et similiter nil adeò magnum est, nec quicquam tam mirabile principio, id est primò, quod non desinant omnes paullatim mirari, verbi gratia, hunc celi clarum, purumque colorem, &c. desierunt mirari. AUT, MINVS ANTE QVOD AVDERENT, &c.] sic habent omnes, quos quidem viderim, libri & manu scripti, & impressi, præter vnum veterem, in quo scriptum est, *audirent*, plane mendosè. nam huius versus hæc sententia est: aut quod homines minus sperarent, seu crederent fore? vel aut quod magis esset incredibile, atque inexpectatum? QVAM TIBI] vt pote philosopho. *μάλα γὰρ φιλοσοφῆ τῶν πάντων τὸ θαυμάσιον*, vt ait Plato: id est valde enim philosophi proprius est hic affectus, videlicet mirari, quanuis aliter sentiat. Horatius epist. ad Numiciū,

Nil admirari prope res est vna, Numici, Solâ que, quæ possit facere, & seruare beatum. nolet lector hoc loquendi genus, nulli ita miranda, quàm tibi, pro tam miranda, quàm, vel ita, vt: quod & alibi ab eodem vsurpatur. SATIATE] id est fatietate. idem lib. 5. *Hæc animos ollis mulcebant atque inuabant Cum satiata cibi.* Attius, quorum crudelitatem nulla vnquam explet satias sanguinis, ex Nonio. & Q. Septimius. Dein vbi satias omneis tenuit, &c. Idem. neque prius finis factus, quàm Græcos satias, & ad postremum fatigatio inceffit. Terent. Eun. vbi satias cepit fieri, commisso locum. & quidam vetus poëta apud M. Tull. lib. 3. de nat. Deorum, aut quenam vnquam ob mortem Myrtili Pœnis luendis dabitur satias supplicii? EXPVERE] sic quidem habent omnes ferè codices, ego tamen malim legi *Respuere*. DEDE MANVS] da manus: fatere te victum veris. Cæsar lib. 5. *tandem dat Cotta manus*. Ouid. de arte. *Scribe dabit victas feruens ille manus*. translatum à re militari, sic inf. eod. lib. sub extrem. *Nam certe fluere, ac decedere corpora rebus Multa, manus dandum est.* & M. Tull. lib. 2. epist. ad Attic. *Aiebat illum primò sane diu multa contra: ad extremum manus dedisse.* Idè in Læl. *Atque ad extremum dat manus, vincique se patitur.* ACCINGERE CONTRA] id est eam oppugna. Plaut. Amphitr. *cingitur, certè expedit se, ductum item à re militari.* QVÆRIT ENIM RATIONEM] hunc versum cū tribus deinceps sequentibus delendos censeo, vt adulterinos, quos si lector eruditus attentius considerabit, eum facile mihi assensurum arbitrator. sunt enim inepti, atque inanes, & verbis & sententia. Atque, vt cetera omittam, nonne absurdum est ita loqui, *animus rationem querit, quid sit extra mœnia mundi, quò animi tractus ire peruelit?* tum versus ille qui sequitur, *Atque animi tractus liber quò peruelit ire*, non vno modo legitur. alibi enim, vt in Florentinis, & Aldinis recentioribus: *Atque animi iniectus liber quoquo volet ipse*. in aliis: *Atque animi tractus liber quoquo velit ire*: in aliis: *Atque animi tractus liber quo peruolet ipse*. Præterea in quibusdam libris versus primus ita legitur, *Querit enim rationem animus*, &c. vt facile appareat ab aliquo arrogante atque improbo esse inculcaros, quasi aliquid deesset.

*Principio nobis in cunctas vndique parteis,
Et latere ex utroque: infra, supraque, per omne
Nulla est finis, (vti dicitur) res ipsaque per se
Vociferatur, & elucet natura profundi.
Nullo iam pacto verisimile est: putandum est:
Cum quoquo versus spatium vacet infinitum:
Seminaque innumero numero, summaque profunda
Multi modis volitent aeterno percita motu,
Hunc vnum terrarum orbem, calumque creatum,
Nil agere illa foris tot corpora materiai,
Cum præsertim hic sit natura factus, & ipsa*

Sponte sua fortè offendendo semina rerum
 Multi modis, temerè, incassum, coacta, frustra que
 Tandem cooluerint ea, quæ coniecta repente
 Magnarum rerum fierent exordia semper,
 Terrarum, maris, & cæli, generisque animantium.
 Quare etiam atque etiam taleis fateare necesse est
 Esse alios alibi congressus materiai,
 Qualis hic est, auido complexu quem tenet æther.
 Præterea cum materies est multa parata,
 Cum locus est præstod: nec res, nec causa moratur
 Vlla: geni debent nimirum, & confieri res.
 Nunc & seminibus si tanta est copia, quantam
 Enumerare atas animantium non queat omnis:
 Visque eadem, & natura manet, quæ semina rerum
 Coniicere in loca quæque queat simili ratione,
 Atque huc sunt coniecta: necesse est confiteare
 Esse alios alibi terrarum in partibus orbis,
 Et varias hominum genteis, & sæcla ferarum.
 Huc accedit, ut in summa res nulla sit vna,
 Vnica quæ gignatur: & vnica solaque crescat.
 — Quin cuiusque sient sæcli, permulta que eodem
 — Sint genere: in primis animalibus indice mente.
 Inuenies sic montiuagum genus esse ferarum,
 Sic hominum genitam prolem, sic denique mutas
 Squammigerum pecudes, & corpora cuncta volantum.
 Quapropter cælum simili ratione fatendum est,
 Terramque, & solem, lunam, mare, cetera, quæ sunt,
 Non esse vnica, sed numero magis innumerabili.
 Quandoquidem vitæ depactus terminus altè
 Tam manet his, & tam natiuo hæc corpore constant,
 Quàm genus omne, quod his generatim rebus abundat.

PRINCIPIO NOBIS] ex eo quod spatium vacuum atque inane, omni ex parte est infinitum, & corpora infinita, probare conatur innumerabi-

leis esse mundos. & attende lector eum hinc capere initium huius rei probanda. Frustrà igitur dicuntur illa supra cum summa loci sit Infinita foris hæc extra mœnia mundi, &c. VTI DOCVI] lib. i. ibi. Omne quod est igitur, nulla regione viarum Finitum est. VOCIFERATVR] clamat, &c. sic lib. 3. princip. Nam simul ac ratio tua cœpit vociferari, &c. CVM QVOQVO VORSVS] sic legendum. quououorsus autem valet, quanque partem versus. Sed sic argumentatur Lucretius: summa rerum est infinita: id est & inane infinitum, & corpora prima infinita. non igitur verisimile est hunc vnum mundum esse creatum. nam si ita esset: corpora prima infinita, quæ mouentur in inani infinito extra hunc mundum scilicet, qui ex corporibus primis fortuitò genitus est, essent ociosa, nihilque crearent. hoc falsum. ergo & illud. OFFENSANDO] id est occurrando. supra eod. lib. Nec foret offensus natus.

FRVSTRAQUE COACTA] id est ita coacta, ut nihil omnino gignere possent. reperitur autem hæc scriptura in quattuor libris manuscriptis.

TANDEM COOLVERINT EA.] Cum reperissem in libris scriptis partim colarint, partim coierint, cooluerint reposui: quæ scriptura perspicue vera est. coalescere autem valet concreescere, & coagmentari, seu ut quidam volunt, coamentari, & coire. olescere enim, ut docet Festus, valet crescere. quo verbo vitur idem Lucret. infra eod. lib. Donicum olefendi summum tetigere cacumen. in cooluerint autem duæ vocales oo. coalescunt in vnam syllabam longam, ut lib. 5. atque oppida cooperuisse. CONIECTA REPENTE] in vnum locum scilicet: id est congressa, collecta, coacta, compulsa in concilium. quidam legunt conlecta, seu collecta. ego tamen nihil mutauit. nam & infra mox ita loquitur, & alibi vitur verbo huic contrario disficere pro dissipare: & disiectus materiai similiter apud eundem legitur, cui opponitur congressus, & concilium materiai. AVIDO] vasto, ingenti. sic lib. 5. Inde auidam partem montes siluæq. ferarum Possedere. PRÆTEREA CVM MATERIES, &c.] cum materies satis multa est, eaque parata, & accommodata ad gignendum, id est (ut loquuntur Peripatetici) ad recipiendas formas, & cum locus est, res gignitur. GENI DEB. NIMI.] id est gigni. sic autem legendum esse vincit ratio, atque ipsa veritas. IN SVMMA] in summa rerum, in omni, in vniuerso. argumētō à simili probat mundos innumerabileis & nasci quotidie, & interire, hoc modo. quemadmodum nihil vnicum gignitur, neque crescit: sed infiniti homines, infiniti equi, infiniti tauri, &c. & geniti sunt, & quotidie gignuntur: sic & mundi innumerabiles. INVENIES SIGMONT.] duos versus sine dubio spurios inter hunc & versum Vnica quæ gignatur, &c. inculcatos, delendos censeo. Inuenies (inquit) sic feras esse genitas, nempe infinitas, sic homines, sic pisces, & auis. DE PACTVS] defixus. TAM MANET HIS, ET TAM] hunc locum restitui à codicibus manuscriptis admonitus, atque adiutus. Nam cum in eis reperissem scriptum, & tam, non ut in vulgatis, etiam, facile mihi fuit iudicare legendum, tam manet his, & tam natiuo hæc, non ut vulgò, tam manet hæc etiam. ordo autem verborum est: quandoquidem terminus vitæ tam altè depactus manet his, nempe cælo, terræ, soli, & lunæ, &c. & tam natiuo corpore hæc constant, quàm genus, &c. id est quoniam cælum, terra, &c. æque finem ha-

bent certum, ratum, & fixum, ad quem cum peruenerint, sunt interitura:
& tam natiuo constant corpore, quam animantes, &c.

*Quæ bene cognita si teneas, natura videtur
Liberâ continuò dominis priuata superbis,
Ipsa sua per se sponte omnia Dis agere expers.
Nam (prò sancta Deum tranquilla pectora pace,
Quæ placidum degunt æuam, vitamque serenam.)
Quis regere immensi summam: quis habere profundi
Indur manu validas potis est moderanter habenas?
Quis pariter cælos omnes conuertere? & omnes
Ignibus ætheriis terras suffire feraceis?
Omnibus inque locis esse omni tempore præstò?
Nubibus ut tenebras faciat, cælique serena
Concutiat sonitu? tum fulmina mittat: & ædeis
Sæpe suas disturbet, & in desertâ recedens
Sæuiat exercens telum: quod sæpe nocenteis
Præterit: exanimatque indignos, inque merenteis?
Multaque post mundi tempus genitale, diemque
Primigenum maris, & terræ, solisque coortum,
Addita corpora sunt extrinsecus, addita circum,
— Semina: quæ magnum iaculando contulit omne:
Vnde mare, & terræ possent auferere: & vnde
Aptaret spatium cæli domus, altaque cæta
Tolleret à terris procul, & consurgeret æer.
Nam sua cuique locis ex omnibus omnia plagis
Corpora distribuuntur, & ad sua sæcla recedunt,
Humor ad humorem, terreno corpore terra
Crescit, & ignem ignes procidunt, ætheraque æther,
Donecum ad extremum crescendi per fœca finem
Omnia perduxit rerum natura creatrix.
Ut sit, vbi nihilo iam plus est, quod datur intra
Vitalis venas, quam quod fluit, atque recedit:
Omnibus his ætas debet consistere rebus.*

His natura suis refrenat viribus auctum.

DOMINIS PRIVATA SUPERBIS] Diis. DIIS AGERE EXPERS] diis expers, id est deorum expers. sic loquitur & Catull. de coma Beren. *Quicum ego, dum virgo quondam fui omnibus expers, & c. & Plaut. Persa. ea res me domi expertem facit.* NAM PRO SANCTA, &c.] Iterum exclamatio sine stomacho, quasi fieri non possit, ut vlla vis, vllæque prouidentia hanc mundi fabricam regat. Sed errat Epicurus, & cum Epicuro Lucretius. *QUAE PLACIDVM, &c.*] sic lib. 5. *Nam bene qui didicere deos securum agere æuam, &c.* QVIS REGERE IMMENSI SVMMAM, &c.] sic Velleius apud M. Tull. lib. 1. de nat. deorum. *Quibus enim oculis intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, quæ construi à Deo, atque ædificari mundum facit? quæ molitio, quæ ferramenta, qui vectes, quæ machinæ, qui ministri tanti muneris fuerunt? &c. ibid.* Sive enim ipse mundus deus est, quid potest esse minus quietum, quam nullo puncto temporis intermissò versari circum axem cæli admirabili celeritate? nisi quietum autem, nihil beatum est: sive in ipso mundo Deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines, ordinemque conferuet, terras, & maria contemplans, hominum commoda, vitæque tueatur: nã ille est implicatus molestis negociis & operosis. Ad priorem illum Ciceronis locum pertinent illa: Lucetij Firm. ex lib. 2. de origine erroris. *At idem quoties Epicureus est, & non vult à Deo factum esse mundum, querere solet, quibus manibus, quibus machinis, quibus vectibus, quæ molitione hoc tantum opus fecerit.* Cum hoc autem Lucretij loco congruit illud eiusdem ex primo libro. *Quippe ita formido mortaleis continet omnes, &c. & illud ex eod. Nam cerid neque consilio primordia rerum, &c. & illud ex hoc lib. sup. At quidam contra hæc ignari &c.* hac eadem de re sic Laërtius. *Καὶ μὲν ἐν τοῖς μακρότεροις χρόνοις ἔχοντες τὴν ἐκλειψιν, ἢ ἀπολλῶν, ἢ δύσιν, ἢ τὰ σέξοιχα τέτοις μῆτε λειψίαις ποῦτος νομίζοντες ἔχοντες δὲ τὴν αἰθέρα, καὶ τὴν διατάξαντος: ἢ αἰὲν αὐτῶν πᾶσαν μακροχρόνια ἔχοντες μετὰ ἀφαιρήσεως, ἢ γὰρ συμπαρόντος πρᾶξιματέως, ἢ φρονήσεως, καὶ ὄψεως, ἢ χεῖρας μακροχρόνια, ἀλλὰ ἀδυνατείας, ἢ φόβου, ἢ πρὸς δέήσει τῶν πληθίων.* id est, Atqui in iis quæ sublimia, & superna dicuntur, motum ex loco ad locum, solstitia, defectus solis & lunæ, ortum, occasum, & his similia, non esse existimandum quoquam administratore egere, neque gubernatore, aut aliquo, qui ea ordine digessisset, qui idem omnem beatitudinem cum immortalitate obtineret. Non enim congruunt molestiæ, & curæ, & itæ, & gratiæ cum beatitudine: sed cum imbecillitate potius, & metu, & indigentia opis alienæ. INDY MANV] id est in manu. sic sup. lib. 1. *viámq; Indugredi sceleris.* & sup. hoc lib. *At non esse tamen perplexis indupedita.* & lib. 4. *Indugredi porro pariter simulacra, pedemque Ponere, &c. ibid.* Quippe vbi prima perit, alióque est altera nata Indu statu. & lib. 5. *Nec iacere indu manus, via quæ munita fidei Proxima.* & lib. 6. *Quod genus indu mari spirat fons dulcis aquarum.* SUFFIRE] vaporare, suffumigare. Itē lib. 4. *Et miseram terris se suffit odoribus ipsa.* & Virg. Georg. 4. *Et suffire thymo, terrâsque recidere inaneis.* SÆVIAT EXERCENS TELVM, QVOD SÆPE, &c.] sic lib. 6. *Quod si Iupiter, atque alij fulgentiæ Diui Terrifico quatunt sonitu cælestia templa, Et iaciunt igneis, quod cuique est cunque voluntas: Cur, quibus incantum scelus auersabile cunque est, Non faciunt icti flâ-*

mas ut fulminis balent Pectore perfixo, documen mortalibus acre? &c. totus enim ille locus mirè cum hoc congruit. sic & M. Tull. lib. de consularu. Nam pater alitonas stellanti nixus Olympo, Ipse suas arceis, atque incluta templa petiuit, Et Capitolinis iniecit sedibus igneis. *MULTA QVE POST M.*] redit ad institutum. *AD DITA CORP. SVNT, &c.*] id est & multa post ortu mundi corpora addita sunt alia extrinsecus, alia circum. hic versus qui deinceps sequitur in omnibus libris, *Semina, quæ magn.* &c. sine dubio non est Lucretij: sed ab aliquo nimiù sibi arrogante pro Lucretiano interpositus est, quasi aliquid deesset, itaque eum delendum censeo. *VNDE*] quibus corporibus additis extrinsecus, & additis circum. *APTARET SPATIUM*] libri scripti alij habent *Apariret*, alij *apparet*, alij *aperiret*: quod postremu probò, existimoque ita à Lucret. scriptu: ut intelligamus versus initium capere ab ana-pæsto *Aperiret spatium*. aperire spatium autem, id est explicare. *ET AD SVA SÆCLA RECED.*] nonnulli libri, ut Flor. habent: & *ad sua semina cedunt*, quæ scripturam non probò. quomodo enim corpora prima, ad sua corpora prima cedant? nisi dicamus corpora prima confluere ad corpora prima sibi cognata & similia. cod. Vatic. habet: *ad sua sede recedunt*. plane mendosè: Atque illud *sede* factum esse puto ex *sæcla*. nã sæpe reperimus in libris manuscriptis scriptum d. pro cl. & cl. pro d. propter similitudinem. ita cum ex *sæcla* factum esset *sæda*, facile iam librarius imperitus scripsit *sede*. Sed quidam non indoctus putabat hic legendu *ad sua fœdera cedunt*, ex illa scriptura Vaticana faciens coniecturam. addebat ille, quo suam coniecturam confirmaret, verbum *recedunt* huic loco non conuenire, quia cum significet Lucretius corpora prima ad sui generis principia conuenire & confluere, recedere autem sit retro cedere, & discedere, verbo ab eo quod sentiret, alieno vteretur. *ad sua fœdera* autem interpretabatur, ad ea corpora, ad quæ per fœdera, & leges naturæ, concedere & confluere deberent. ego respondebam verbum *recedunt* mihi videri ad hunc locum maxime accommodatum. Nam cum dicat Lucretius corpora prima per plagas ad sua sæcla recedere: motus autem, qui sit per plagam, non sit naturalis, neque ad lineam, sed contrarius: propriè, & significanter ea dixisse recedere ad sua sæcula: quod est plagis seu ictibus repulsa cedere. Sed de his hætenus. ego scripturam vulgatam, & receptam, & trium antiquorum testimonio comprobata retineo. hoc tantum. cetera iudicio lectoris permitto. *PROCV-DVN T*] sic habent quattuor libri manuscripti, vtrique Aldini, Vicetini, & Lugdunenses. *DONICVM AD EXTREMVM CRESCENDI PERFICA F.*] sic legendum, & ita habent quattuor lib. manuscr. nisi quod in duobus pro *perfica*, legitur *perfice*, quemadmodum & apud Nonium Marcellum, plane mendosè. Nam quod ad Nonium attinet, apud quem ita scriptum est. *Perfice perficeris*. Lucretius lib. 2. *Donicum ad extremum crescendi perfice finem*, &c. sic est corrigendus. *Perfice perficiens*: Lucret. lib. 2. *Donicum ad extremum crescendi perfica finem*, &c. *Donicum* autem idem valet quod *doner*. Plautus *Vidul. neutrum reddabo*, *donicum res diiudicata sit*, ex Prisciano. Idem Plaut. *Trucul. vsque adeo donicum foras eduxit*. Sospiter Charifius. *Donicum pro donec. ita vsurpat Linius Andron. Ibi manens sedeto donicum videbis me carpento*

carpento reventem domum venisse. Plautus quoque. *Inimicus esto, donicum ego reuenevo. sed & Cato. Cum otiosus ambulas, qui apud regem fuisti, donicum ille tibi interdixit rem capitalem*. Hætenus Charif. Cato de re rustica. *Donicum solutum erit, aut ita satis datum erit, quæ in fundo illata erunt, pigneri sumo*. Lucret. inf. eod. lib. *Donicum olescendi summum tetigere cacumem*: & item sæpe. ordo autem & sententia verborum est, *Donicum*, seu *donec* natura rerum creatrix, omnia ad extremum crescendi finem *perfica* id est perficiendo, seu perficiens perduxit. *VT FIT, VBI*] hæc referuntur ad superiora. & est argumentum à simili. quidam tamen legi volunt, *Id sit, vbi &c.* *HIS NATVRA SVIS REFERR.*] cum in quattuor libris manuscriptis scriptum reperissem. *Hic natura suis &c.* reposui, *His natura*, ut sit *παλλοζια*. Omnibus his rebus *atas* consistit, quæ ad extremum finem à natura creatrice rerum perducta sunt: his, inquam, rebus natura desinit suis viribus incrementum dare.

*Nam, quacunque vides hilaro grandescere adauctu,
Paullatimque gradus ætatis scandere adultæ,
Plura sibi assumunt, quàm de se corpora mittunt,
Dum facile in venas cibus omnis diditur: & dum
Non ita sunt latè dispersa, ut multa remittant:
Et plus dispendi faciant, quàm vescitur ætas.
Nam certe fluere, atque recedere corpora rebus
Multa, manus dandum est: sed plura accedere debent,
Donicum olescendi summum tetigere cacumen.
Inde minutatim vireis, & robur adultum
Frangit, & in partem peiorem liquitur ætas.
Quippe etenim quanto est res amplior, augmine demto,
Et quo latior est, in cunctas vndique parteis
Pluria eo dispergit, & à se corpora mittit.
Nec facile in venas cibus omnis diditur ei:
— Nec sitis est, quæ per largos exæstuat æstus,
Vnde queat tantum suboriri, ac suppeditare,
Quantum opus est, & quod satis est, natura nouare.
Iure igitur pereunt, cum rarefacta fluendo
Sunt: & cum externis succumbunt omnia plagis:
Quandoquidem grandi cibus æuo denique desit.
Nec tuditantia rem cessant extrinsecus vllam
Corpora conficere, & plagis infesta domare:*

Sic igitur magni quoque circum mœnia mundi
 Expugnata dabunt labem, putresque ruinas.
 Omnia debet enim cibus integrare nouando:
 — Et fulcire cibus, ac omnia sustentare,
 Nequicquam, quoniam nec venæ perpetiuntur,
 Quod satis est: neque, quantum opus est, natura ministrat.
 Iamque aded affecta est ætas, affectaque tellus:
 Vix animalia parua creat, quæ cuncta creauit
 Sæcla, deditque ferarum ingentia corpora partu.
 Haud (vt opinor) enim mortalia sæcla superne
 Aurea de calo demisit funis in arua:
 Nec mare, nec fluctus plangentes saxa crearunt:
 Sed genuit tellus eadem, quæ nunc alit ex se.
 Præterea nitidas fruges, vinetaque læta
 Sponte sua primum mortalibus ipsa creauit:
 Ipsa dedit dulcis fetus, & pabula læta:
 Quæ nunc vix nostro grandescunt aucta labore:
 Conterimusque boues: & vireis agrorum.
 — Conficimus ferrum vix aruis suppeditati.
 — Vsq; eadè pereunt fetus, augentque labores.
 Iamque caput quassans grandis suspirat arator,
 Crebrius in cassum magnum cecidisse laborem:
 Et cum tempora temporibus præsentia confert:
 Præteritis, laudat fortunas sepe parentis.
 — Tristis item vetula vitis sator æqua fatigat:
 — Temporis incusat nomen, sæclumque fatigat,
 Et crepat, antiquum genus vt pietate repletum.
 Perfacile angustis tolerarit finibus æuam,
 Cum minor esset agri multo modus antè viritum:
 Nec tenet, omnia paulatim tabescere: & ire
 Ad scopulum spatia ætatis defessa vetusto.

HILARO GRANDESCERE AD AUCTV] lato, & alacri incremento: mendose autem legitur in libr. vulgatis hilarem grand. ad auctum.

DIDITVR] id est distribuitur, non vt vulgus putat, *diuiditur*: nam dido verbum est integrum, compositum à di. & do, das: non deminutum à verbo diuido. Vtitur eodem verbo hic idem scriptor pluribus locis. vt lib. 3. *Sensiferos motus quæ didit prima per artus*: & lib. 4. *Inde quod exprimimus per caulas omne palati Diditur*. & lib. 5. princip. *Ex quo nunc etiam per magnas didita genteis Dulcia permulcent animos solatia vita*. Virgil. lib. 7. *Aeneid. Diditur hic subitè Troiana per agmina rumor*. & 8. *Cognatique patres, tua terris didita fama*.
 ET PLUS DISPENDI] plus damni detrimenti, sumtus. QVAM VESCITVR AETAS] quidem vir doctus amicus meus legendum censet, *quàm pascitur ætas*. MANVS DANDVM EST] concedendum est, dandum est autem pro dare oportet, *δοτέον*. vt sup. iterum atque iterum.
 DONICVM OLESCENDI SVMMVM] id est donec ad summum crescendi cacumen peruenierunt. non est autem dubium quin ita legendum sit. Nam quod apud Nonium Marcellum in verbo *adolescere*, ita legitur hic versus *Dumque adolescendi summum*, &c. corruptus est eo loco Nonius. atq; ita corrigendus. *Adolescere crescere, vnde olescendi dicitur* Lucret. lib. 2. *Donicum olescendi summum terigere cacumen*. ROBOR ADVLTVM] sic habent libri manuscr. & plerique typis excusi. LIQVITVR] tabescit, *ήκει*. AVGMENTINE DEMENTO] sic cod. Vaticanus. augmine demto autem id est detracto: quod fit cum desinit crescere, & augeri. ordo est, quanto res aliqua amplior, & quo laetior est, eo plura in omneis vndique parteis corpora dispergit augmine dēto. PLVRIA EO DISPERGIT] eo plura dispergit. sic autem legendum, non, vt in vulgatis, & quibusd. scriptis, *Plura modo, pluria autem dixisse veteres testantur* A. Gell. lib. 5. cap. 21. & Charisius lib. 1. & ita Terent. in Phorm. *nona hic compluria*. & idem Lucret. lib. 4. *Vnaq; res hæc est, cuius quàm plura habemus, Tã magis ardescit*, &c. NEC SITIS EST QVÆ PER] versus adulterinus, neque Lucretianus germanus: qui ita variè legitur, vt pigeat me referre. in scriptis quidè libris tribus sic reperi scriptum, *Nec satis est pro qua largos exastuat artus*. in Bertin. *Nec satis est pro quam largus*, &c. in Aldinis antiq. *Nec satis est cum prælatos*, &c. Atque vt magis credas esse adulterinū, versus qui est ab hoc tertius, cuius initium est: *Quantum opus est*, &c. non reperitur in libris scriptis: cum librarij hunc ineptum versum scripserint, Lucretianum omiserint. Credibile est autem adiectū esse ab aliquo confidente, qui cum videret à Lucretio de cibo sermonem haberi, nullū de potu verbum fieri, putarit aliquid deesse. VNDE] ex quo cibo. SVBORIRI] in locum eorum, quæ amissa & consumpta sunt oriri. sic sup. lib. 1. *Quare etiam atque etiam suboriri multa necesse est*. QVANTVM OPVS EST, ET QVOD SATIS EST] ordo est: vnde, seu ex quo cibo tantum, quantum opus est, suboriri, ac suppeditari queat, & vnde natura id nouare queat, quod satis est. quidam vir doctus legendum putat. & quod satis est nat. nou. TVDITANTIA] id est tudentia. & ita Festus, qui hunc locum citat. Paullus apud eundem. *Tuditantes rem, significat negotium tudentes: id est agentes. Tuditans mallei à tundenndo dicitur*. inde & cuiusdam cognomen *Tuditano fuit, quod caput malleo simile habuerit*. DAVNT LABEM] collabentur, & corruent. CIRCVM] & *ήκει* aduerbium. nam mœnia recti ca-

sus est, nec coniungi debet cum voce *Omnia*, quæ sequitur tertio versu, ut vulgata interpunctio ostendit. OMNIA] res omnes, nam vox omnia est casus accusandi. regitur enim ab infinitiuo integrare: neque pertinet ad duos superiores versus. ET FVLCIRE SITIIS AC OMNIA, &c.] quis non videt hunc versum esse παρὰ μὲν ἑλπιούτων, & ab eadem incude atque officina, ex qua superiores aliquot, profectū, siue legamus *Et fulcire cibis*, siue, *Et fulcire cibis*, siue, *Et fulcire artus*, siue, ut quidam malunt *Et fulcire situs*?

IAM QVE A DEO AFFECTA EST ÆTAS, &c.] sic mihi videtur legendum, & ita scriptum ferè est in libris manuscr. nā libri quidem Faëri & Tethij, habent, *Iamque adeo facta est ætas, affecta que tellus*, Bertin. autem *Iamque adeo facta est ætas, effecta que tellus*: Memm. *Iamque adeo fracta est ætas, effecta que tell.* Quòd si quis malit ita legi, *Iamque adeo fracta est ætas, affecta que tellus*, equidem non pugnabo: quin ego ei assentiar. Videtur enim tellus affecta quidem esse, sed nondum effecta. quid sit autem affecta ætas, affectum bellum, & similia, sciunt, qui Latine sciunt. AVREA DE CAELO] hunc versum profert Nonius in voce funis, & A. Gell. lib. 13. cap. 19.

notans funis dictum esse genere famineo, ut versus esset grandiore sono. Animalia (inquit) non sunt è cælo delapsa, aut per funem illum aureum demissa, sed à terris in itidè edita. Alludit ad catenam illam auream, quam commemorat Hom. *Il. 3. Εἰδὶ ὄγε περιήσασθε θεοὶ, ἵνα εἰδέτε πάντα, Ζεφυρὸν χρυσεῖον ἔξυρονόθεν κρεμάσαντες Πάντες ἐξ ἀπείθε θεοὶ, πᾶσαι τε θεαίηαι, &c.* Plato in Theæt. per hanc catenam, solem significari arbitratur. sic ille *ὡς ἐδὲν ἄλλο, ἢ τὸν ἥλιον ὁμηροῦ λέγει, ἃ δὴ καὶ χρυσῷ σπειρῶν, ὅτι ἕως μὲν ἀνὴρ ἀποφορῶν ἢ κινεῖται, ἃ δὲ ἥλιος, πάντα ὅσα ἃ σώζονται πᾶσι θεοῖς τε καὶ ἀνθρώποις. Εἰδὲ σελὴν τῶστο, ὡσπερ δεῖν, πάντα χρῆματι ἀνὴρ διαφθαρείν, &c.* id est, Nanque nihil aliud Homerus, quàm solem dicit, & ostendit esse auream catenam: quia dum sol mundum suo cursu ambit ac lustrat, omnia salua sunt, & conseruantur, tùm quæ apud Deos sunt, tùm quæ apud homines: Si verò steter, & quiescat tanquam victus, res omnes intereant. At Macrobius lib. 1. in somnium Scipionis, catenam illam Homericam vult esse à summo deo ad vltimam rerum fecem, connexionem vnam mutuis se vinculis religantem, & nusquam interruptam. NEC MARE] solent poëtæ, quem significare volunt inhumano, atque immiti ingenio esse præditum, è mari eum dicere esse natum. Hom. *Il. π. Γλαῦκην δὲ σ' ἐπίθε θεάλασσα.* PLANGENTES] verberantes. ET VIREIS AGRICOLARVM] sic habent libri manuscripti, aut ne mentiar, *viris*: quod indocti non intelligentes, corruerunt, & subdiderunt, *viribus*: eadè mque opera addiderunt duos versus, qui deinceps sequuntur: *Conficimus ferrum vix aruis supp.* vel ut alibi legitur. *Conficimus feris*, &c. deinde alterum: *Vsq̄que adeo peruenit fetus*, vel ut alibi legitur, *parium fetus*, vel ut alij libri habent, *parcunt*, &c. quos ego delendos censeo. IAM QVE CAPVT QVASSANS] quassare, seu mouere caput, gestus est irascentis, aut minantis, aut lamentantis.

Virgil. lib. 7. Æneid. de Iunone. *Tum quassans caput hac effudit pectore dicta. O stirpem inuisam, &c.* idem 12. *Ille caput quassans, non me tua feruida terrent Dicta ferox, &c.* Hom. *ὁδὸς. ε. Κινῆσαι δὲ καὶ ἐὰν ποσὶ ἐν μὲν ἄτα θυμῶν.* Plautus. Trinum. *quid quassas caput? Ch. cruciatur cor mihi & metuo.* LAVDATE

FORTVNAS SAEPÉ PARENTIS] sic habent quattuor lib. manuscripti. vulgati, *parentum*. TRISTIS ITEM VETVLAE, &c.] Vide fodes lector nugatoris illius, qui hos duos versus affinxit, impudentiam cum pari stultitia coniunctam. quemadmodum supra versui, in quo nescio quid de cibo dicebatur, subiunxit versum de potu, seu potius de siti: ira hinc quia Lucretius aratorem dixerat suspirare, & lamentari, se toties frustra laborasse: tum præsentia tempora cum præteritis conferentem parentis sui fortunæ præ suis laudare: quasi aliquid deesset, addidit de suo quiddam de vinitore. Hunc igitur versum *Tristis irem vetula*, &c. & alterum ei proximum, *Temporis incusat nomen*, &c. ille sibi habet: nos deleamus. ET CREPAT] & crebrò habet in ore, crebris vsurpat sermonibus: ut, *ὡς*, id est quàm, vel quomodo antiquum genus pietatis plenum, facile, id est sine magno labore, καὶ μετὰ βασάνων, tolerarit æuam, egerit atatem, vitam traduxerit, aut sustentarit angustiis agrorum limitibus ac terminis. id est paruo agello. hunc versum profert Nonius in verbo *crepare*, cum illo Horatiano: *Quis post vincta gramine militiam crepat?* NEC TENET] nec intelligit. TABESCERE] minui, liquefcere *πίνεσθαι, φθίνεσθαι*. AD SCOPYLVM] ad interitum. translatum à naui, quæ infligitur scopulo.

Aa 3

Dionysius Lambinus, Germano

Valenti Pimpuntio viro doctiss. Regio in Curia

suprema Parisiensi Consiliario S. D.



VM multis, ac magnis de rebus philosophos illos veteres
quæsuissè, atque inter se dissensissè non ignoras, Germane
Valens: tum de animorum origine, sede, & natura: hoc est
vnde orti, in qua parte corporis locati sint, quid sint, vtrum
sint mortales, an immortales, tã variæ sunt inter eos, tam-
que discrepantes sententiæ, vt cum eas collegeris, & sub vno quasi aspectu
posueris, non illi veri inueniendi, sed contra dicendi studio hac de re inter se
concertasse videantur. Atque eorum tamen tolerabilior esset siue perui-
cia, siue temeritas, siue confidentia, si in eo saltem consensissent, vt quantum
in ceteris de animo questionibus cæcutirent: animorum immortalitatem
tamen suis rationibus cõfirmarent. Nunc autem cum plerique eorum (quo
in numero sunt ij, qui animum vel sanguinem, vel cerebrum, vel aliquam
aliam corporis partem, vel flatum ac ventum, vel ignem, vel harmoniam,
vel auram tenuissimam cum vapore, & aère, & quarta quadam nominis
experte natura confusam, & permistam esse censent:) animos quasi capitis
damnatos, mortales esse statuunt: pauci, in quibus sunt Plato, & Xeno-
phon, à morte, & interitum vindicare conentur: non immeritò nos & illo-
rum insipientem insipientiam aspernari: & nobis ipsis gratulari debemus:
qui ab IESU CHRISTO vnicò Dei optimi maximi filio, seruatore, &
liberatore nostro eruditi, atque instituti, nullis rationibus humanis, nullis-
que argumentis, quantumuis licet aptè conclusis, ne Platonice quidem, ad-
ducti, atque coacti, animos nostros immortales esse persuasum habemus, at-
que ita persuasum habemus, vt nullæ nos rationes contrariæ quantumuis
acutæ, atque argute: quantumuis probabiles, ac verisimiles: quantumuis
firmæ ac validæ, nedum Lucretianæ, quæ sunt perquam leues atque infir-
mæ, de hac sententiâ demouere possint. Quod eo dico, ne qui maleuoli homi-
nes, qui ex suo ingenio ceteros fingere consueverunt: quod ego cum optimo-
rum Græci & Latini sermonis auctorum, tum T. Lucretij Cari lectione val-
de delector, propterea me aut de animorum immortalitate, aut vlla alia de
re, quæ ad pietatem pertinet, aliter, quàm hominem Christiana religione im-
butum oporteat sentire suspicetur. Nam, vt omittam, quod totius meæ vite
anteactæ testimonio, si qua talis esset commota in me suspicio, falsa præser-
tim, refelli posset: quid aut me, aut quenquam sanum ac pium moueant col-
lecta à Lucretio aduersus animorum immortalitatem argumenta, cum ea

omnia valeant in partibus, seu potestates animæ turbidas, & rationis exper-
teis, non in eam, quæ omni motu à ratione auersò vacat, quæque ex ætheriis
illis, & diuinis ignibus decerpta, & quasi delibrata est? Quid quod tanta
vis est veritatis, vt Lucretius ipse libro superiore animos esse immortales,
iisque in cælum, vnde profecti sunt, reditum patere imprudens atque adeò
inuitus fateatur? Quid enim illa sibi aliud volunt?

Cedit item retro, de terra quod fuit antè,

In terras: & quod missum est ex ætheris oris,

Id rursum cæli rellatum templa receptant.

Cur igitur & hunc tertium librũ, in quo immortalitas animorũ acerrimè
oppugnatur, & ceteros, in quibus multa & à nostris moribus aliena, & cũ
vera religione pugnantia dicuntur, nõ inuiti legimus? quia versus sunt opti-
mi, atq; ornatissimi: quia vocabula rerum alia maximè propria, lectissima,
significatissima: alia venustissime facta, aptissime nouata, illustrissime tras-
lata sunt: quia sermonis genus est purissimum, nitidissimũ, politissimum, vs-
que adeò, vt (quod tu, qui huius scriptoris nitorem, atque elegantiam cum
primis admiraris, crebrò dicere soles) si fingamus aliquem, & ijdem tem-
poribus, & in eadem, atque Lucretium, vrbe natum, Epicuri sententiâ ac
rationes oratione soluta persequi, atque explicare conari, credibile non sit
eum Lucretij maximè dilucidum scribendi genus, limatissimam subtilita-
tem, summam vbertatem, amplissimam verborum maiestatem, diuinam
denique illam (vt ita dicam) grandiloquentiam, ne longo quidem inter-
uallo affecuturum. Accedit huc, quod non omnia sunt in Lucretio respuen-
da ac reicienda: quin longè plurima reperiuntur lectione dignissima: qualia
sunt ea, quæ ab eo de continentia, ac frugalitate, de morte contemnenda, de
amore fugiendo, de speculorum ratione, de morborum causis, de imbris,
grandinibus, fulminibus, & similibus, de magnete, de dissimilibus & varijs
fontium naturis, & sexcentis alijs rebus, cognitu periuicundis disputantur.
Hunc igitur tertium librum Germane Pimpunti ceterum quinquaginta, &
eo amplius, locis à me ex auctoritate codicum calamo exaratorum emen-
datum, & scholiis fortasse non inutilibus explanatum, tibi dono, mei qui-
dem amoris, meæque erga te obseruantie pignus certissimum: nostræ autem
mutuæ amicitie monumentum, vt spero & opro, immortale, ac sempiter-
num futurum. Vale.

T. LVCRETII CARI
DE RERVM NATVRA,
LIBER TERTIVS.



H Tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuisti, inlustrans cōmoda vita,
Te sequor, o Graia gentis decus, inq̄ tuis nūc
Fixa pedum pono pressis vestigia signis,
Non ita certandi cupidus, quam propter
amorem,

Quòd te imitari aueo, quid enim contendat hirundo
Cycnis? aut quidnam tremulis facere artubus hedi.
Consumile in cursu possint, ac fortis equi vis?
Tu pater, & rerum inuentor: tu patria nobis
Suppeditas praecepta, tuisque ex inclute chartis,
Floriferis ut apes in saltibus omnia limant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta:
Aurea, perpetua semper dignissima vita.
Nam simulac ratio tua coepit vociferari,
Naturam rerum haud diuina mente coortam:
Diffugiunt animi terrores: mœnia mundi
Discedunt: totum video per inane geni res.
Apparet diuim numen, sedesque quietæ:
Quas neque concutiunt venti, nec nubila nimbis
Aspergunt, neque nix acri concreta pruina
Cana cadens violat: semperque immobilis æther
Integrit: & largè diffuso lumine ridet.
Omnia suppeditat porrò natura, neque vlla
Res animi pacem delibrat tempore in vllò.
At contrà nusquam apparent Acherusia templa:
Nec tellus obstat, quin omnia dispiciantur,
Sub pedibus quæcunque infra per inane geruntur.

*H*is tibi me rebus quaedam diuina voluptas
Percipit, atque horror, quòd sic natura tua vi
Tam manifesta patens ex omni parte reueta es.

E TENEBRIS TANTIS] Epicurum affatur, eumque, ut harum rerum inuentorem, & vitæ beatæ parentem laudat. Sic L. Torquatus lib. 1. de finibus, de Epicuro. *Quem ego arbitror unum vidisse verum, maximisque erroribus hominum animos liberasse, & omnia tradidisse, quæ pertinerent ad bene beatèque viuendum.* è tenebris tantis: id est ex tanta rerum & causarum ignorantione. TAM CLARVM EXTOLL.] tantam rerum obscurissimarum cognitionem expromere, tamque facilem & proliuem beatè viuendi viam demonstrare. FIXA PEDVM] libri scripti habent *fixa* mendosè. quod idè notauit, ut admoneam lectorem, librarios illos veteres scribere solitos esse c. & f. pro x. ut *fixa* pro *fixa*, *connesu* pro *connexa*. ita factum est *fixa*.

QVID ENIM CONTENDAT HIRVNDINO CYCNIS] Sic Theocrit. *ἔδ. ζ. βάρβαρος δὲ ποτ' ἀπίδης ἔς τὴν ἐείσδω.* verbum *contendat* coniunxit cum dandi casu, ut Horatius epist. ad Loll. lib. 1. *mibi contendere noli.* FORTIS EQVI VIS] id est fortis equus: *ἀείψεται.* Ennius. *Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo Vicit Olympia,* &c. profert autem huic versum Nonius: & fortis interpretatur *celeris.* TV PATER ET RERVM] sic legendum, non tu pater es. PATRIA] paterna, seu patrita. TVIS QVE EX INCLUTE CHARTIS] & ex tuis chartis. sic lib. 4. *validis ex apta laceratis.* & lib. 3. *quibus è sumus vniter apti.* & item saepe alibi. *inclute* autem habent lib. scripti: quos secutus sum. LIMANT] sic habent lib. manu scr. *tratio est ab iis, qui ferrum limant.* VOCIFERARI] *βοῶν.* Horat. epist. 17. li. 1. *clamat, victū date.* NATVRAM RERVM HAVD DIVINAM] sustulerat negationem Christiani homines non ferentes scilicet sententiam fallam & impiam. re. sed Lucretium aliud fecerant loquentem, quam sentiat. Lucretius enim & Epicurei omnes volunt hanc rerum naturam non à mente aut providentia diuina creatam: sed ex fortuito atomorum concursu natam. negandi igitur particulam restituimus ex codice Donati Iannocti Florentini, typis impresso quidem illo, sed ad manu scriptum emendato: ad cuius oram ipsius manu hæc negatio erat ascripta. DISCEDVNT] dissi- pantur & disparantur: vel diuiduntur & hiant. ut apud M. T. Off. 3. *cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus.* GENIRES] sic legendum. *geni* autè valet gigni, ut sepe diximus. QVAS NEQVE CONCVTIVNT] Adrianus Turnebus collega meus vir doctissimus indicauit mihi hos quatuor versus, qui deinceps sequuntur, ex Homero esse expressos. versus autè Homeri sunt *ἔδωκ. ζ. non longè à principio Οὐλυμπόνδ', ὅθι φασὶ θεῶν ἔδος ἀσφαλὲς αἰεὶ Ἐμμαναί: ἔτ' ἀνέμοισι πνέουσται, ἔτ' ἐπὶ οὐβρῶν Διὸς παῖ, ἔτ' ἐχιδνὸν ὀπιπύλα:] ἀλλὰ μάλ' αἰθρῆ Πέπταται ἀνέφελος, κενὴ δ' ὀπιπύλα δροῦ ἀγλή.* SEMPER QVE INNVBILVS AETHER] sic omnes fere vulgati: quibuscum consentiūt manuscrip. Bertin. & Memm. alij *Semper sine nubibus æther.* INTEGIT] sic legendum, non *integer.* & ita habent libri manuscrip. utitur eodem ver-

bo supra lib. i. Naribus inueniunt in octas fronde quietes. & Catull. ad Lesbiam: gemina integuntur Lumina nocte. DELIBRAT] sic legendum repugnantibus libris omnibus. delibrare autem valet decorticare, & per translationem extenuare, ac deminuere. utiturque eodem verbo inf. eodem lib. extr. Nec prorsum vitam ducendo demimus hilum Tempore de mortis, nec delibrare valemus, &c. & lib. 6. Delibrata decum per te tibi numina sancta Sape adorunt. sic enim legunt docti quidam, non delibata. QVIN OMNIA DISPICIAN TVR] sic habent libri manuscrip. non despiciantur. PER INANE GENVTVR] id est gignuntur. HIS TIBI ME REBVS] sic legendum, & ita habent cod. Florent. tibi autem venustatis gratia positum est. ut apud M. T. lib. 2. Offic. Ecce tibi qui rex populi Romani esse concupierit. & apud Terent. Phorm. Qui mibi ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes. & iterum apud Lucret. lib. 3. Is tibi nunc animus quali sit corpore, &c. PERCIPIT] occupat, peruadit. sic loquitur Plautus Amphitry. nam mibi horrox membra misero percipit. dictus tuis. HORROR] κατὰ πλῆξιν, ingens admiratio. RETECTA ES.] sic legendum, non reiecta est, naturam enim alloquitur. transit iam ad disputationem de anima atque animi natura.

*Et quoniam docui cunctarum exordia rerum
Qualia sint: & quam variis distantia formis
Sponte sua volitent alterno percita motu:
Quoque modo possunt res ex his quaeque creari:
Haece secundum res animi natura videtur,
Atque animae clarae meis iam versibus esse:
Et metus ille foras praecipit Acheruntis agendus
Funditus humanum qui vitam turbat ab imo,
Omnia suffundens mortis nigrore: neque ullam
Esse voluptatem liquidam, puramque relinquit.
Nam, quod saepe homines morbos magis esse timendos,
Infamemque ferunt vitam, quam tartara leti,
Et se scire animi naturam, sanguinis esse,
Nec prorsum quicquam nostrae rationis egere:
Hinc licet aduertat animum, magis omnia laudis,
Aut etiam venti, si fert ita forte voluntas,
Iactari causa, quam quod res ipsa probetur.
Extorres inde in patria, longaeque fugati
Conspectu ex hominum, sedati crimine turpi,
Omnibus arumnis adfecti demique viuunt,*

*Et quocunque tamen miseri venere parentant,
Et nigras mactant pecudes, & manibus diuis
Inferias mittunt, multoque in rebus acerbis
Acrius aduertunt animos ad religionem.*

ALTERNO PERCITA MOTV] ἑλληλοτυπίαν nominat Epicurus: id est mutuam plagam: quidam tamen hoc loco legunt. eterno percita motu.

ACHERVNTIS] sic habent lib. manuscripti: & metus inferorum (inquit) ex animo eiciendus est funditus. VENTI] inanis gloriae & ostentationis causa. QVAM QVOD RES] quam quod ita sentiant. ab his non admodum abhorrent, quae sunt apud Aristot. lib. i. Elench. εἰ δὲ ταῦτα βέλονται τε ἢ φασὶν, εἰ δὲ λέγουσι μὴ τὸν εὐχρημονεσῆτες τῶν λόγων, βέλονται δὲ τὰ φανόμενα λυσισταλείν. οἷον τε θνήσκει καὶ ὡς μᾶλλον, ἢ ζῆν ἢ θάνατον φασὶν εἶναι: καὶ πένεθαι δικαίως μᾶλλον, ἢ πλεῖστον ἀισχρῶς. βέλονται δὲ πάντων πᾶσι. id est non enim eadem & volunt, & dicunt homines: sed loquuntur verba quidem honestissima & speciosissima: volunt autem ea, quae expedire videntur. exempli causa, honeste mori potius, quam iucunde viuere dicunt oportere: & paupertatem iustam diuitiis turpiter partis dicunt esse anteponendam: sed contraria volunt. EXTORRES] exsules. OMNIBVS AERVVNIS AD FECTI] quidam libri habent adfecti. quam scripturam probo. PARENTANT] iusta persoluunt parentibus mortuis, aut aliis, quos aequè caros habent. ET NIGRAS MACTANT] immolant. Sic Nonius. nigras autem pecudes Diis manibus, & mortuis immolabant antiqui. Virg. lib. 6. Duc nigras pecudes: ea prima piacula sunt. ET MANIBVS DIVIS, &c.] sic legendum, & ita Nonius. cum quo faciunt libri manuscripti. nam vulgati habent, quas manibus. INFERIAS] inferiae sacrificia, quae diis manibus inferebant, inquit Fest.

*Quo magis in dubiis homines spectare periculis
Conuenit, aduersusque in rebus noscere qui sint.
Nam verae voces tum demum pectore ab imo
Eliciuntur, & eripitur persona, manet res.
Denique auarities, & honorum caca cupido,
Quae miseros homines cogunt transcendere sineis
Iuris: & interdum socios scelerum, atque ministros
Nocteis atque dies niti praestante labore
Ad summas emergere opes: haec volnera vita
Non minimam partem mortis formidine aluntur.
Turpis enim fama, & contemptus, & acris egestas*

*Semota ab dulci vita, stabilique videntur:
 Et quasi iam leti portas cunctarier ante.
 Unde homines, dum se falso terrore coacti
 Refugisse volunt longè, longèque remosse:
 Sanguine civili rem constant: diuitiisque
 Conduplicant avidi, cædem cædi accumulantes.
 Crudeles gaudent in tristi funere fratris:
 Et consanguineum mensas odere, timèntque.
 Consimili ratione ab eodem saepe timore
 Macerat invidia ante oculos, illum esse potentem,
 Illum aspectari: claroque incendit honore:
 Ipsi se in tenebris volui, cænoque queruntur.
 Intereunt partim statuarum, & nominis ergo:
 Et saepe usque ad eò mortis formidine, vitæ
 Percipit humanos odium, lucisque videndæ:
 Ut sibi conciscant merenti pectore latum,
 Obliti fontem curarum hunc esse timorem:
 Hunc vexare pudorem, hunc vincula amicitia
 Rumpere: & in summa pietatem euertere fundo.
 Nam iam saepe homines patriam, carosque parenteis.
 Prodidèrunt, vitare Acherusia templa petentes.
 Nam veluti pueri trepidant: atque omnia cæcis
 In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus
 Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quàm,
 Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.
 Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque necessest
 Non radij solis, neque lucida tela diei
 Discussant, sed naturæ species, ratioque.*

[HOMINES SPECTARE] libri manuscripti habent hominem mendosè. [ELICIVNTVR] id est exprimuntur. Sic omnes libri & manuscripti, & vulgati existimant tamen quidam legendum *eiiciuntur*, ut intelligamus homines ipsos in rebus aduersis veras voces eiicere: id est mittere, & ita amicus meus putat legendum in oratione pro M. Cælio, *nonne ipsam domum metuet, nequam vocem eiiciat*: ubi vulgò legitur *eliciat*: cui pro-

pemodum nunc assentior, quanuis olim dissenferim. Sed si in toto vitæ statu licet interdum temporibus postulantibus sententiã mutare, quanto magis in iis quæ ad studia litterarum pertinent? [TRANSCENDERE FINES, & C.] *ἄνευ βλάβης τοῦ δ' ἑγὺς τῶ δὲ κέραι.* ET INTERDV M SOCIO S, & C.] & cogunt eos præbenteis se socios, ac ministros seu adiutores scelerum, niti summo labore emergere, id est ex humili loco, & rebus angustis peruenire ad magnas opeis. [PRAESTANTE LABORE] in quibusdam libris scriptum est *perstante*: quod si probabimus, perstantem laborem interpretabimur, assiduum, & pertinacem. [NON MINIMAM PARTEM] id est non minima ex parte. sic enim loquuntur alij boni scriptores. Cæf. lib. 4. de bello Gallico: *Neque multum frumento, sed maximam partem lacte, atque pecore viuunt.* M. Tull. oratore perf. *magnam partem ex iambis nostra constat oratio.* Idem offic. lib. 1. *Maximam autem partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur nonnulli, ut adipiscantur ea, quæ concupierunt.* iterum sic Lucret. lib. 6. *Inde bonam partem in lectum maiore dabantur.* [TVRPI S ENIM FAMA, ET CONTEMPTVS, ET ACR. EG.] secutus sum in hoc versu codices vulgatos potius, quàm manuscriptos. nam cum ita habeant manuscripti: *Turpis enim sermè contemptus, & c.* vulgati autem sic: *Turpis enim fama contemptus, & c.* hanc vulgatam leuiter immutavi, & ex fama, feci fama, & cuius lectionis hæc sententia est: *Turpis enim fama*: id est infamia, atque ignominia, & contemptus, id est *ἀτιμία*, vel *κατὰ ἐπίνοιαν*, & acris egestas, hæc videntur esse à dulci vita remota. scripturam autem, quæ reperitur in libris calamo exaratis ut probarem, à me impetrare non potui: quãuis sciam eam ita explanari posse. *Turpis contemptus*: id est vita obscura, & honoris expertis, atque ad eò infamis: & acris egestas, sermè, id est propemodum videntur esse remota à vita beata, & mortis instar. Nã illud *sermè* non mihi videtur aptè hoc loco positum. itaque vulgatorum codicũ lectionem, manuscriptorum scripturæ anteposui. reperitur & hæc alia scriptura: *Turpis enim forma, seu forme contemptus, & c.* quam etiam mendosam arbitror: ex qua quidam faciunt: *Turpis enim forma, & contemptus, & c.* Verũm neque hæc lectio mihi probatur. *Turpis fama* autem ita dictum à Lucretio est, ut *turpis existimatio* à M. Tullio orat. pro Cecinna. iam verò etiam hoc Epicuri præceptum fuit: *ὁδοῦ βίας ἐπιποσῶτον ἀεθροῦ ἐστὶν, ἐφ' ὅσον μὴ κατὰ ἐπίνοιαν*: id est bonæ famæ usque eò curam esse habendam, quo ad non contemnaris. [REFUGISSE VOLVNT LONGE, LONGEQUE R.] sic legendum, non *effugisse*: sed manet scrupulus, quod *refugisse* hoc loco est verbum absolutum: *remouisse* autem, agès: qui eximeretur, si *recessse* legeremus: quo modo planè puto esse legendum: & ita à Lucret. scriptum: quod cum minus esset intellectum à sciolis, esse deprauatum, & remosse suppositum. *recessse* autè dictum est pro *recessisse*: què admodum *promisse, extinxem, & simil.* pro *promisisse, & extinxem, & c.* [CAEDEM CAEDI ACCVMVLANTES] sic ferè loquitur M. Tull. Catilini. *Nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti?* [MACERAT INVIDIA.] Horat. epist. 2. lib. 1. *Inuidus alterius macrescit robus opimis.* [CLAROQUE INCENDIT HONORE] duo libri manuscr. habent: *claro qui incendit honore*: ex qua scriptura feci, *claroque incendit honore*: ut sit hæc sen-

tentia: illum esse potentem, illum digito monstrari, atque aspectari miacerat alios homines invidia: & honore, id est propter illius honorem, homines invidiosos incendit, vitit, & cruciat. Sic Horat. epist. ad August. *Vrit enim fulgore suo qui prae-gravat arteis Infra se positas, &c.* vel dic, & honore, id est honoris studio, & cupiditate homines illos inflammar. STATVARVM ET NOMINIS ERGO] ergo correptum (inquit Festus) idem significat, quod apud Gracos οὐδ: productum idem quod χείρ, hoc est gratia, cum scilicet gratia intelligitur pro causa. vide cetera apud eundem. Virg. Aeneid. 6. illius ergo Venimus.

VITAE PERCIPIT HVMO D.] sic loquuntur & alij boni scriptores. Terent. Eunuc. Tunc scibi eum satietas hominum, aut negocii quando odium ceperit. ibid. Neque agri, neque vrbis odium me vnquam percipit. Idem Hecyra. Tampridem equidem andini cepisse odium tui Pbilumenam. Plautus Truculento Si bene facere incipit, eius eum citò odium percipit. Idem Stich. Quid ego, quomifero medullam ventris percipit fames? LVCISQVE VIDENDAE] id est vitæ colendæ. Virg. lib. Æn. 4. quàmprimùm abrũpere lucem. & lib. 6. lucemq; perosi. PIETATEM EVERTERE FVNDQ] sic hunc locum in omnib. libris sine dubio depravatũ restitui, à veteribus quidẽ codicib. adiutus, sed magna ex parte coniectura ductus, cum ex fundet fecissem fundo. quã coniecturam neminem litteris mediocriter tinctum, iudicioque non impolitissimo præditum improbatum arbitror. sic Virg. locutus est lib. 10. Nõs ne tibi fluxas Phrygia res vertere fundo Conamur? vertere fundo: id est funditus perdere. NAM VELVTI PVERI, &c.] positi iam sunt hi versus sup. initio lib. 2. & tertium legentur non longè à principio sexti.

*Primum animum dico, mentem quam saepe vocamus,
In quo consilium vitæ, regimenque locatum est,
Esse hominis partem nihilo minus, ac manus, & pes,
Atque oculi, partes animantis totius extant.
Quamuis multa quidem sapientum turba putarunt
Sensum animi certa non esse in parte locatum:
Verùm habitum quendam vitalem corporis esse:
Harmoniam Graij quam dicunt, quod faciat nos
Vivere cum sensu, nulla cum in parte fiet mens.
Vt bona saepe valetudo cum dicitur esse
Corporis, & non est tamen hæc pars vlla valentis:
Sic animi sensum non certa parte reponunt.
Magnopere in quo mi diversi errare videntur.
Sæpe utique in promptu corpus, quod cernitur, ægrum est:
Cum tamen ex alia letamur parte latentis.
Et retrò fit, uti contrà fit, sæpe vicissim:*

*Cum miser ex animo, letatur corpore toto:
Non alio pacto, quàm si, pes cum dolet ægri,
In nullo caput interea sit forte dolore.
Præterea molli cum somno dedita membra,
Effusumque iacet sine sensu corpus onustum:
Est aliud tamen in nobis, quod tempore in illo
Multimodis agitatur: & omne accipit in se
Letitiæ motus, & curas cordis inaneis.*

MENTEM QVEM SAEPE VOCAMVS] sic habent quattuor libri manuscripti, & antiqui Veneti: quam scripturam non video quamobrem mutare debuerim. hic enim ordo verborum est. Primum igitur dico animum, quem saepe mentem vocamus, esse hominis partem &c. vulgati autem habent, mentem quam: quam lectionem tamen non damno. ESSE HOMINIS PARTEM NIHILO MINVS, &c.] immo multo magis. nam hominis quidem pars est animus: sed pes, & manus corporis humani partes sunt potius, quam hominis. SENSVM ANIMI CERTA, &c.] infra eod. lib. Et quoniam mens est hominis pars vna, locoque fixa manet certo, velut aures, atque oculi sunt, Atque alij sensus, &c. HARMONIAM GRATI] Sic Plato in Phædone. Καὶ γὰρ οὐδ' ὁ Σωκράτης, διὰ τὴν ἡλικίαν αὐτῶν τὸ εὐπερὶ θυμῷ εἶναι, ὅτι τοῦτο πᾶσι καὶ ἀσπλαγχνότατον τῶν ψυχῶν εἶναι, ὡς περὶ ἐπιτεταμένον τὸ σπῆματος ἡμῶν, ἢ σωεχομένον ἐπὶ θυμῷ ἢ ψυχῇ, ἢ θυμῷ ἢ ὕψει, τοῖσιν πᾶσι κρᾶσιν εἶναι, ἢ ἀρμονίαν αὐτῶν τῶν ψυχῶν ἡμῶν, ἐπειδὴ τὰ ταῦτα κρᾶσις, ἢ μέσσις κρᾶσιν ποιεῖ ἄλλα. lege cetera, quæ sequuntur apud Platonem, valde enim ad hunc locum pertinent: hæc autem sic interpretor. Nanque equidem arbitror, Socrates, te quoque hoc aliquando tecum considerasse, tale quiddam nos existimare animum esse, veluti intento corpore nostro, & constante ex calido & frigido, sicco, & humido, & quibusdam aliis huius generis, temperationem, & harmoniam harum ipsarum rerum esse animum nostrum, cum hæc res rectè, & moderatè inter se fuerint temperata. hæc veterum opinionem refert & Aristoteles lib. 1. de animo, eamque refellit, his verbis: ἢ ἄλλο δὲ πῶς δόξα παρὰ δέδοται πρὸς ψυχῆς, πρὸς τὴν ἑαυτοῦ πολλοῖς, ἢ ἡδε μὲν ἦσαν τῆς γὰρ ἀρμονίας λόγος δὲ ὡς περὶ θυμῷ εἶναι, ἢ ἐπὶ τῷ κέντρῳ λεγομένοις λόγοις. ἀρμονίαν γὰρ πᾶσι αὐτῶν πᾶσι λέγουσι. καὶ γὰρ τὴν ἀρμονίαν, κρᾶσιν, καὶ σωεχομένην πᾶσι εἶναι τῶν εἶναι. &c. id est, Alia quoque opinio de animo tradita est probabilis quidem multis, nullaque earum, quæ sermonibus hominum usurpantur, inferior, sed quæ fuit communibus philosophorum disputationibus agitata, ac veluti iudicium rationum referendarum subiit. harmoniam enim quandam cum quidam esse dicunt, quippe harmoniam temperationem, & compositionem esse quandam contrariorum, &c. & M. Tull. Tuscul. 1. Proximè autem, Aristoteles musicus, idemque philosophus, intentionem ipsius corporis quiddam, velut in cantu & fidibus, quæ harmonia dicitur, sic ex corporis totius natura & figura varios motus cieri, tanquam in cantu sonos. Hic ab artificio suo non recessit, &

tamen dixit aliquid, quod ipsum quale esset, erat multo ante & dictum, & explanatum à Platone. NON CERTA PARTE REPONUNT] eum statim dicit esse in media pectoris regione repositum, ibi: Idq̄ situm media regione in pectoris hæret. SÆPE ITAQVE IN PROMTV] sic legendum, & ita habent libri manuscr. & impressi. Patifi. & Veneti antiq. AEGRYM'ST] verbum est, quod deerat, restitui ratione ipsa flagitante. PARTE LATENT] nempe animo. sic autem habent libri quattuor manuscripti, & aliquot typis impressi. alij enim habent, parte valenti. ET RETRO FIT VTI CONTRASIT S. V.] sic est legendum, & ita habent codices fide digni, nisi quodd in omnibus ubi scriptum est pro vii, planè mendosè: PRAETEREA MOLLI E. S.] de somno, & somniis lege lib. 4. ibi. Nunc quibus ille modis somnus per membra quietem Irriget &c.

Nunc animam quoque ut in membris cognoscere possis

Esse, neque harmoniam corpus retinere solere:

Principio fit, vii detracto corpore multo,

Sæpe tamen nobis in membris vita moretur.

Atque eadem rursus cum corpora pauca calor

Diffugere, forasque per os est editus aer:

Deserit extemplo venas, atque ossa relinquit.

Noscere ut hinc possis, non æquas omnia parteis

Corpora habere: neque ex æquo fulcire salutem:

Sed magis hæc, venti quæ sunt, calidique vaporis

Semina, curare in membris ut vita moretur.

Est igitur calor, ac ventus vitalis in ipso

Corpore: qui nobis moribundos deserit artus.

Quapropter, quoniam est animi natura reperta,

Atque animæ, quasi pars hominis: redde harmoniã

Nomen ab organico saltu delatum Heliconis,

Sive aliunde ipsi porro traxere: & in illam

Transstulerunt, proprio quæ tum res nomine egebat.

Quicquid id est, habeant: tu cetera percipe dicta.

NUNC ANIMAM QUOQUE] ab hoc loco refellere conatur eorum sententiam, qui animum seu animam, harmoniam esse vident, eademque opera probare esse in numero partium corporis humani. IN MEMBRIS] in numero membrorum, nam statim docebit animam corporeã naturã esse præditam. DETRACTO CORPORE MULTO] detracta magna corporis

poris parte, seu detractis multis corporis partibus: ut detracta & amputata tibia, reciso brachio, & similib. CORPORA PAUCA CALORIS] infra docebit animum constare ex aurã, vapore seu calore, aère, & quarta natura nominis experte. PER OS] nam ægri moribundi dicuntur agere animam. NOSCERE UT HINC POSSIS, &c.] id est ita ut facile hinc intelligere possis, non omnia corpora prima parteis æqualeis animæ obtinere, & ex æquo vitam ac salutem tueri, ac sustentare: sed semina quædam venti, & caloris efficere, ut in membris vita maneat. ad hunc locum pertinent illa, quæ dicuntur à Cebere apud Platonem in Phædone. Ἐὶ Σόκρατες τὰ μὲν ἄλλα δοκεῖ μοι καλῶς λέγεσθαι, τὰ δὲ περὶ τῆς ψυχῆς πολλὴν ἀπίσταν παρέχει τοῖς ἀνθρώποις καὶ ἐπεὶ δὴν ἀπαλλαγὴ τῆς σώματος, ἔδειξάν ἐπιη, ἀλλ' ἐκείνη τῆ ἡμέρᾳ διαφθερομένη τε καὶ ἀπολλύνηται, ἢ ἂν ὁ ἀνθρώπος ἀποθνήσκῃ, ἐυδύς ἀπαλλαγῆ τοῦ σώματος, καὶ ἐμβαίνουσι, ὡς περὶ πνεύμα, ἢ κατὰ τὴν διασκευασθεῖσα ὀργανοῦ διαπταυμένη, καὶ δὲν ἐπὶ ἕδαμῃ: id est cetera quidem Socrates præclare mihi dici videntur: sed quæ de animo dicuntur, valde sunt omnibus incredibilia, ut verendum sit ne cum ex corpore excefferit, nusquam iam sit, sed illo ipso die, quo die homo interierit, intereat, ac perimatur continuò ex corpore decedens, egrediensque, tanquam ventus, aut fumus, dispersus diffugiat, atque in diuersas parteis auolet, & nusquam iam quicquam sit amplius. MORIBUNDOS] morienteis, seu iam iam morituros. REDDE HARM. NOM. AB] redde (inquit) nomen harmoniæ delatum ex monte Musarum organico: id est ab iis sumtum, qui ex fidibus & neruis suauis eliciunt sonos. ET IN ILLAM] rem, quæ res, &c.

Nunc animum, atque animam dico coniuncta teneri

Inter se: atque vnã naturam conficere ex se.

Sed caput esse quasi, & dominari in corpore toto

Consilium, quod nos animum, mentemque vocamus:

Idq̄ situm media regione in pectoris hæret.

Hic exsultat enim pauor, ac metus: hæc loca circum

Latitia mulcent: hinc ergo mens, animusque st.

Cetera pars animæ per totum disita corpus

Paret: & ad numen mentis, motumque mouetur:

Idque sibi solum per se sapit, & sibi gaudet:

Cum neque res animam, neque corpus commouet vlla.

Et quasi, cum caput, aut oculus tentante dolore

Læditur in nobis, non omni concuriamur

Corpore: sic animus nonnunquam læditur ipse:

Latitiaque viget: cum cetera pars animæ

Per membra, atque artus nulla nouitate cietur.

Verum ubi vehementi magis est commota metu mēs:
 Consentire animam totam per membra videmus:
 Sudores itaque, & pallorem existere toto
 Corpore, & infringi linguam, vocemque aboriri:
 Caligare oculos, sonere aureis succidere artus.
 Denique concidere ex animi terrore videmus
 Sæpe homines, facile ut quiuis hinc noscere possit,
 Esse animam cum animo coniunctā, quæ cum animi vi
 Percussa est, extrâ corpus propellit, & icit.
 Hæc eadem ratio naturam animi, atque animam
 Corpoream docet esse. ubi enim propellere membra:
 Conripere ex somno corpus, mutareque vultum:
 Atque hominem totum regere ac versare videtur:
 (Quorum nil fieri sine tactu posse videmus,
 Nec tactum porro sine corpore) nonne fatendum est
 Corporea natura animum constare, animamque?
 Præterea pariter fungi cum corpore, & vna.
 Consentire animum nobis in corpore cernis.
 — Si minus offendit vitam vis horrida leti.
 — Osibus ac nervis disclusis intus adacta:
 — Attamen insequitur languor, terræque petitus
 — Suavis, & in terra mentis qui gignitur æstus,
 — Interdumque quasi exsurgendi incerta voluntas.
 Ergo corpoream naturam animi esse necesse est,
 Corporeis quoniam telis, ictuque laborat.

NUNC ANIMUM ATQUE ANIMAM, &c.] nunc docere incipit
 inter animum, & animam quid intersit. vult autem animum esse mentem,
 & consilium, & rationem, eiusque domicilium esse in medio pectore: ani-
 mam autem per totum corpus esse fusam: sed non dissimulabo in cod. Vati-
 cano scriptum esse *coniuncta tenent*. HIC EXULT. ENIM] hoc Lucret. argu-
 mentum valde est imbecillū. in pectore versantur & exultant animi motus
 atque affectus: ergo in pectore animus locatus est. Idē inf. ex eo quod animus
 perturbetur affectibus: curis, luctu, metu contabescat: ira exardescat: lætitia
 exultet, colligit esse mortalē. Sed hoc refellitur à M. Tull. lib. 1. Tusc. ut suo
 loco dicemus. AD NUMEN MENT. MOMENQUE] ad nutū, & momē-
 tum, seu motū, & quasi formam mentis. ET QVASI CVM CAPVT] id est

Et quæadmodum. VERVM VBI VEHEM. idē de quavis alia magna per-
 turbatione sentiendū, ut de amore, de ira, de mærore, atque angore. in no-
 mine *vehementi*, duæ syllabæ prima & secunda pro vna habentur: aut anapæ-
 stus est pro spōdeo, seu dactylo. SYDORES ITAQUE ET PALL.] sic
 restitui secutus cod. manuscr. INFRINGI LING.] debilitari, titubare.
 ABORIRI] intercludi, intermori. SONERE] tinnire. Sonere antiquum
 à sono is it. Nonius à *sonit*, *sonere*. Lucr. lib. 3. *Caligare oculos, sonere aureis, succi-
 dere artus*. Accius Neopt. *Atq, ad eò valuas sonere sensu regias*. lege cetera apud
 Non. utitur eodem verbo idem Lucret. infra eod. lib. *Scire licet non sincerū
 sonere, atque subesse Cæcum aliquem cordi stimulum*. lege & Priscianum lib. 8.
 SVCCID. ART.] Plaut. Curcul. *tenebra oboriuntur, genua succidunt*. EX
 ANIMI TERRORE] ex terrore animi. non est enim legendum ex ani-
 mi coniunctim. PERCVSSA EST] sic habent libri manuscripti, & ple-
 rique typis impressi, quos sequor, quanuis apud Nonium in verbo *icit*, le-
 gatur, *Percussa est*. EXIN CORPVS PROPPELLIT, ET ICIT.] sic
 reperti scriptum in libr. manuscr. quibuscum consentiunt Parisien. & Ve-
 neti antiquiores. atque hanc scripturam agnoscit Priscianus lib. 10. apud
 Nonium autem legitur: *exinde propellit corpus & icit*. *icit* autem, id est verbe-
 rat, & percutit. CORPOREAM DOCET ESSE] sic Epic. apud Laërt.
*ὡςτε οἱ κέροντες ἀσώματον εἶναι τὴν ψυχὴν, ματαιόλογον. εἰδὲν γὰρ εἰδύατο ποιεῖν εἰδὲ πα-
 ρχεν, εἰ ἢν τοιαύτη τις* id est, Quare qui animum incorporeum esse dicunt, ina-
 nes sunt. nihil enim neque facere, neque pati posset, si talis esset. Sed Epicu-
 rus ipse inanis est: meliùsque & verius, qui animum incorporeum esse pu-
 rarunt, ut Plato. Itaque quanuis antiquiores Philosophi omnes, ut testatur
 Aristoteles lib. 1. de animo, *ψυχὴν* finierint ac terminarint ferè tribus, *κινή-
 σι, αἰσθήσει, ἀπομάχη*, id est motu, sensu, incorporeo: meritò reprehenduntur
 & qui animum moueri, aut agitationem esse, & qui eum ex quattuor ele-
 mentis constare dixerunt, ut res omnes sentire possit. Verum quod ait
 Lucret. ex vehementi animi motu totam animam in corpore pari motu
 affici: ex quo existere in corpore pallorem, sudorem, linguæ hæsitantiam,
 & similia: hi motus omnes non sunt animi, seu mentis, sed earum animi
 partium, quæ sunt quidem rationis & consilij expertes, ratione autem &
 consilio regi possunt. qualia sunt τὸ ἐπιθυμητικόν, & ὀρεξτικόν. VBI ENIM
 PROPPELLERE] sic argumentatur Lucretius: animus & anima corpus
 propellere, atque immutare vultum possunt. at impulsio nō fit sine tactu,
 neque tactus sine corpore: ergo animus & anima corporea natura sunt præ-
 dita. NEC TACTVM PORRO] sup. lib. 1. *Tangere enim & tangi, nisi cor-
 pus, nulla potest res*. FUNGI] pati, ut sup. lib. 1. *At facere, & fungi, nisi corpus,
 nulla potest res*. CONSENTIRE] *συμπάσχειν*, ut sup. SI MINVS OF-
 FENDIT, &c.] hunc versum & quattuor deinceps sequentis non puto
 esse τὸ πῶτος: sed eius qui putaverit aliquid deesse, cum re vera, si diligenter
 attendas, nihil desideretur his quinque versibus sublatis. Hoc enim dicit
 Lucretius. Præterea vides animum pariter cum corpore perpeti, & sentire
 vnâ nobiscum, si quid corpori acciderit. Ergo corporea animi est natura,
 quandoquidem malorum corporeorum est particeps. Adde quod hic pri-

mus versus non satis aptè connectitur cum superiore. adde quòd elocutio non sincerum sonat, neque olet lucernam Lucretianam. Postremò illud *intus adacta*, non videtur Latine dictū. intro enim adigere Latine diceremus, non intus: quanuis idem intus pro intro interdum vsurpare videatur. **INTVS ADACTA**] si legeremus *subter adacta*, effugeremus barbarissimum. **TERRAE QVE PETITVS SVAVIS**] dum ij quibus ægrè est, terrā cupidè petunt, id est in terra decumbere cupiunt. non possunt enim ij quibus aliqua valetudinis perturbatio desubito accidit, recti stare, sed coguntur decumbere, & iacere. **ET INTERRAMENTIS**] sic habent quatuor libri manuscripti: Florentini autem, & *in terra mitis*. omnino horum verborum, cuiuscunque sint, sententia obscura est, nisi forte hæc sit. & insequitur suavis terræ petitus, & mentis æstus, id est conturbatio, quæ fit in terra, ægro illo in terram sensim collapsò. quòd si quis malit legi, *mitis*, mitè æstum intelligemus, non lethalem, neque pestiferum. **ET INTERDVM EX SVRG.**] id est & interdum deliberatio, seu dubitatio vtrum exsurgat, an etiam iaceat. sed quid est quod in his versib. explicandis operam ponamus cum sint nothi, seu spurii?

*Is tibi nunc animus quali sit corpore, & vnde
Constiterit, pergam rationem reddere dictis.
Principiò esse aio per subtilem, atque minutis
Perquam corporibus factum constare. id ita esse
Hinc licet aduertas animum, vt pernoscere possis.
Nil adeò fieri celeri ratione videtur,
Quàm si mens fieri proponit, & inchoat ipsa.
Ocyus ergo animus, quàm res se perciet vlla,
Ante oculos quarum in promptu natura videtur.
At quod mobile tantoperè st, constare rotundis
Perquam seminibus debet, perquamque minutis:
Momine vti paruo possint impulsa moueri.
Nanque mouetur aqua, & tantillo momine flutat:
Quippe volubilibus, paruisque creata figuris.
At contrà mellis constantior est natura,
Et pigri latices magis, & cunctantior actus:
Hæret enim inter se magis omnis materiai
Copia: nimirum quia non tam leuibus extat
Corporibus, neque tam subtilibus, atque rotundis.
Nanque papaueris, aura potest suspensa, leuisque*

*Cogere, vt ab summo tibi diffluat altus acervus.
At contrà lapidum coniectum, spiclorumque
Nenu. potest. igitur paruisima corpora quanto,
Et leuisima sunt, ita mobilitate fruuntur.
At contrà quo quæque magis cum pondere magno,
Aspera que inueniuntur, eo stabilita magis sunt.
Nunc igitur, quoniam est animi natura reperta
Mobilis egregiè: perquam constare necesse st
Corporibus paruis, & leuibus, atque rotundis.
Quæ tibi cognita res in multis, ò bone, rebus
Vtilis inuenietur, & opportuna cluebit.*

ET VNDE] ex quibus primordiis. **PERSVBILEM**] sic Epicurus. ἡ ψυχὴ λεπτομερὲς σώμα, καὶ λεπτομερῶταίς σώμασι σύγκριται: id est animus corpus est tenuissimarum partium, & ex tenuissimarum partium corporibus constatum. Idem ἡ ψυχὴ σώμα ἐστὶ λεπτομερὲς παρ' ἄλλον τὸ ἀδρῆσιμα παρῆσπαρμύιον: id est anima corpus est tenuissimis partibus præditum, per totam animantis massam diffusum. **OCYVS ERGO ANIMVS**] vult Lucretius cum Epicuro animum esse mobilissimum quiddam, atque à se moueri: quod autem ita mobile est, necessariò constare ex primordiis minutissimis, læuissimis, & rotundissimis. Etiam Plato dicebat animum à se moueri, & esse mobilissimum: & Pythagorei sic animum definiabant, numerum seipsum mouentem. Sed Aristoteles lib. 1. de animo eos refellit, qui animum à se moueri volunt, negatque omnino animum moueri: ex quo efficitur, neque à seipso moueri: docetque non esse necessarium, si anima sit principium motus, eam quoque moueri: sed contrà ipsam quidem esse immobilem, cur autem corpus moueatur, esse causam. **ANTE OCYLOS QVAVM**] sic legendum, non *quorum*, vt est in lib. vulgatis. nam hæc est verborum structura. animus ocys se perciet, id est perimouet, quàm res vlla earum rerū, quæ cernuntur. **CONSTARE ROTUNDIS, &c.**] sic Epicur. καὶ ἐξ ἀτόμων ἀπλῶν σύμειξιν λεπτότων, καὶ εὐεργυλοτάτων πολλῶν πρὶν διαφεροσὶν τῶν πρὸς πυρρῆς: id est & eam ex atomis constare læuissimis & rotundissimis, & ignis atomos rotunditate longe superantibus. **MOMINE VTI PARVO**] paruo momento. **FLVTAT**] sic habent libri manuscripti, quibuscum consentiunt Parisienses, & vtrique Aldini. flutat autem positum puto pro fluitat. alij habent, *fluetat*. **ET CUNCTANTIOR ACTVS**] & tardior cursus, seu fluxus. tralatio est ab iis, quæ aguntur. **NANQVE PAPAVERIS, AVRA P.**] non video cur antiqua scripturam vel Marullus immutare debuerit, si verum est ab eo esse immutatam & corruptam, vel ego sequi non debuerim. Quanuis enim ea quam habent libri Florentiæ impressi, sit speciosa, Nam *pappos minima aura potest, &c.* antiqua tamen, quæ reperitur etiam

in aliis impressis, sententiam continet non absurdam. est autem hic ordo verborum. nanque aura parua, & leuis, cogere potest, vt altus papaueris aceruus tibi ex imo diffluat. pappi autem, si quis forte scripturam Florentinam malit, sunt carduorum flores. qua voce vtitur infra Lucret. Ne hoc quidem reticebo, in quibusdam libris scriptum esse: *Nanque papauerum, &c. S V S P E N S A*] aura suspenfa, id est placida, lenis, silens: & ita Nonius Marcell. Terent. Phorm. *hæc vbi ego audiui, ad fores suspensio gradu ire perrexi.* *L A P I D. C O N I E C T V M*] id est aceruum lapidum: lapides in vnum locum coniectos. quidam viri docti legunt, *lapidum conlectum.* ego nihil muto. *S P I C L O R V M Q V E*] spiculorum, telorum. *N E N V P O T E S T*] id est non potest. sic autem habent lib. manuscripti: neque dubium est, quin hæc scriptura recta sit. *Nenu enim dixerunt veteres pro non, vt notat Nonius: citatque testem Lucillum lib. 30. Sed tamen hoc dicas, quid id est, nisi nenu molestum est.* & Varronem. epist. ad Fusium. *Si hodie nenu venis, cras quidem venies, &c.* Idem Lucret. lib. 4. *Nenu queunt rapidi contra constare leones.* *I T A M O B I L I T A T E*] aduerte animum ad hoc loquendi genus, quanto paruisima & leuisima sunt, ita mobilitate fruuntur, seu ita mobilitata feruntur: quæ posterior scriptura ex cod. Vatic. & lib. Memmij, elici potest: in quibus legitur *mobilitate feruntur.* quanto ita, pro quanto tantum. sic sup. lib. 2. *Et quam quicque magis, &c.* Atque potestates, ita plura, seu plurima, &c. sed non dissimulo me scriptum reperisse in cod. Bert. *paruisima corpora perquam.* in Vaticano proquam. *A T C O N T R A Q V O Q V A E Q V E M A G I S*] sic legendum, non quæcunque magis, vt est in vulgatis.

*Hæc quoque res etiam naturam deliquat eius,
Quam tenui constet textura: quamque loco se
Contineat paruo, si possit conglomerari,
Quod simul atque hominem leti securâ quies est
Indepta: atque animi natura, animæque recessit:
Nil ibi limatum de toto corpore cernas
Ad speciem, nihil ad pondus: mors omnia præstat,
Vitalem præter sensum, calidumque vaporem.
Ergo animam totam perparuis esse necesse est
Seminibus nexam per venas, viscera, nervos:
Quatinus omnis vbi è toto iam corpore cessit:
Extima membrorum circumcæsurâ tamen se
Incolorem præstat: nec deficit ponderis hilum.
Quod genus est, bacchi cum flos euauit, aut cum
Spiritus vnguenti suavis diffugit in auras:*

Aut aliquo cum iam succus de corpore cessit:

Nil oculis tamen esse minor res ipsa videtur

Propterea, neque detractum de pondere quicquam:

Nimirum, quia multa, minutæque semina succos

Efficiunt, & odorem in toto corpore rerum.

Quare etiam atque etiam mentis naturam, animæque

Scire licet perquam pauillis esse creatam

Seminibus, quoniam fugiens nil ponderis aufert.

DELIQVAT] declarat, vt sup. lib. 1. *plus in se corporum inesse Deliquat.* *S I P O S S E T C O N G L O M E R A R I*] cū duo libri veteres haberet, *se possit,* suspicatus sum librarium transposuisse vocales c. & i. & scripsisse *se possit,* pro *si possit.* quam puto veram esse scripturam. *si possit conglomerari* autem: hoc est, si possit in vnam massam, in vnam molem, & in vnum quasi glomerem cogi, & conduci. *I N D E P T A*] indispicor verbum compositum ex simplici *apiscor,* & propositione *in.* interponitur *d.* *N I L I B I L I M A T V M*] nihil demtum, nihil detractum, detritum, deminutum. sic autem videtur legendum potius, quam, vt vulgò, *libatum.* M. Tull. epist. lib. 3. *Etsi de tua proluxa, beneficæq. natura, limabit aliquid posterior annus: limabit:* id est deminuet. Si quis tamen legi malet, *libratum,* vt assumpta præpositione *de,* fiat *delibratum,* non pugnabo: quin magnopere probabo. *M O R S O M N I A P R A E S T A T*] id est mors omnia relinquit integra. *Q V A T I N V S*] quoniam. *E X T I M A M E M B R O R. C I R C. C A E S.*] extrema circum cæsurâ, id est extremis, *ἐπιπέριστα,* summus cortex. denique circum cæsurâ est *ἐπιπέριστα.* hunc verum profert Priscian. Idem Lucret. lib. 4. repetit. *Q V O D G E N V S E S T*] id est quale est, vel cuius generis est: vt sup. lib. 2. *Quod genus è nostro cum missus corpore sanguis, &c.* ostendit à simili animum minutis admodum primordiis constare, quia quemadmodum cum odor vini aut vnguenti euauit, vinum aut vnguentum nihilo minus est ad speciem atque ad aspectum: ita postquam animus excessit è corpore, ipsa extrema corporis cæsurâ nulla ex parte videtur deminuta. *B A C C H I C V M F L O S*] per florem Bacchi fortasse vnam labruscæ significat: quam cœnanthen appellant Græci: de qua sic Plin. lib. 20. cap. 11. *odor idem ei, qui germinantibus vuis, atque inde nomen.* idem lib. 12. cap. 11. *eadem & cœnanthe pertinet.* Est autem vitis labruscæ vna. colligitur cum floret, id est cum optime olet. alij simpliciter de odore vini dictum volunt.

Nec tamen hæc simplex nobis natura putanda est.

Tenuis enim quædam moribundos deserit aura

Mista vapore: vapor parvò trahit aëra secum:

Nec calor est quisquam, cui non sit mistus & aër.

Rara quod eius enim constat natura, necesse est
 Aëris inter eum primordia multa cieri.
 Iam triplex animi sit igitur natura reperta.
 Nec tamen hæc sat sunt ad sensum cuncta creandum:
 Nil horum quoniam recipit mens, posse creare
 Sensiferos motus, quædam qui mente volutent.
 Quarta quoque his igitur quædam natura necesse est
 Attribuat, ea sit omnino nominis expers:
 Qua neque mobilius quicquam, neque tenuius extat:
 Nec magis è paruis, aut læuibus ex elementis,
 Sensiferos motus quæ didit prima per artus.
 Prima cietur enim paruis perfectæ figuris:
 Inde calor motus, & venti cæca potestas
 Accipit: inde aër: inde omnia mobilitantur:
 Concutitur tum sanguis, viscera persensiscunt
 Omnia: postremis datur ossibus, atque medullis
 Siue voluptas est, siue sit contrarius ardor.
 Nec temere hic dolor usque potest penetrare, neque acre
 Permanare malum, quin omnia perturbentur:
 Usque adeo, ut vitæ desit locus, atque animæ
 Diffugiant partes per caulas corporis omneis.
 Sed plerunque sit in summo quasi corpore finis
 Motibus, hanc ob rem vitam retinere valemus.

TENVIS ENIM QVÆDAM] primus pes huius versus est proce-
 leumaticus pro dactylo, ut apud Virgil. lib. 5. Æneid. *Genua labant*: nisi dica-
 mus, u, esse hoc loco consonantem. sic iterum apud Lucret. lib. 4. in extr.
Tenne, locis quia non potis est affigere adhesum. & hoc libro. *Nec nebulam noctu,*
nec aranei tenuia fila: & sæpe alibi. Incipit nunc docere animum constare ex
 vento tenui, vapore, aëre, & natura quadam nominis experte, qua nihil quic-
 quam subtilius, nihil tenuius excogitari potest. MVLTA CIERI] sic con-
 iecit legendum esse Adr. Turnebus, cum scriptum reperisset in cod. Bertin-
 niano *multaque vi*, quam coniecturam magnopere probo. nam ex cieri fa-
 ctum cieri: ex cieri queri. NIL HORVM QVONIAM, &c.] id est, quoniam
 mens, seu ratio animi non recipit, seu non approbat, quicquam horum triū
 posse sensiferos motus creare: qui motus res aliquas cogitare, & volutare
 queant. reperitur autem hæc scriptura in cod. Florentinis duntaxat. MEN-

TE VOLVIENT.] sic Lucill. *Hæc tu me insimulas? non ante in corde volutas?*
 & Virg. lib. 4. *Sic adeo insistit, secumque ita corde volutat.* & lib. 6. *Atque hæc*
ipse suo tristi cum corde volutat. & Plautus Captiuis: *Quanto in pectore hanc rem*
meo magis voluto, tanto mihi ægritudo auctior est in animo. QVARTA QVO-
 QUE HIS IGITVR] quoniam tria illa superiora sensiferos motus crea-
 re non possunt, qui quædam cogitent, quarta eis quædam natura addatur
 necesse est: qua addita, suis iam sit omnibus partibus animi natura absolu-
 ta, atque perfecta. Sic M. Tull. lib. 1. Tuscul. quæst. de Aristot. *Quintum ge-*
nus adhibet vacans nomine, & sic ipsum animum ἐπιτέχεται appellat nouo nomine,
quasi quandam continuatam motionem, & perennem, quo tamen loco reprehendit
 M. Tull. à doctis, qui putarit ἐπιτέχεται esse motionem, cum & ἐπιτέ-
 χεται significet perfectionem quædam, siue functionem, siue actum, & Ari-
 stoteles perspicue dicat animum mouere quidem, sed non moueri. INDE
 CALOR MOTVS] sume verbū accipit, ut sit, inde, id est ab hac quarta na-
 tura, calor motus accipit. nam motus est numeri multitudinis, accusandi ca-
 sus. CONTRARIVS ARDOR] dolorem significat, si locus emendatus
 est: sed videtur legendum, *ægor*, seu *angor*. CONCVTITVR TVM
 SANGVIS, VISC. PERS.] secutus sum codices manuscr. & quosdam
 vulgatos. quidam tamen sic legi volunt: *Tum quatitur sanguis, tum visc. pers.*
 VSQVE ADEO, VT VITAE DESIT LOC.] cum reperissem scri-
 ptum in libr. manuscript. *desit non desit, diffugiant, non diffugiunt,* scriptu-
 ram veterem adiuui reposita particula, ut, post vocem *adeo*. SED PLE-
 RVN QVE] sed plerunque (inquit) motus sensiferi, & vitales interrumpun-
 tur non in ossibus, & medullis, sed in summo quasi corpore: quod cum ita fit,
 tum non moritur animans, sed breui tempore, aut certe aliquando conualefcit.

Nunc ea quo pacto inter sese mista, quibusque
 Comta modis vigeant, rationem reddere auentem
 Abstrahit inuitum patrij sermonis egestas.
 Sed tamen, ut potero summatim attingere, tangam.
 Inter enim cursant primordia principiorum
 Motibus inter se, nihil ut secernier vnum
 Possit, nec spatium fieri diuisa potestas:
 Sed quasi multæ vis vnus corporis extant.
 Quod genus in quouis animantium viscere volgo,
 Est odor, & quidam calor, & sapor: & tamen ex his
 Omnibus est vnum perfectum corporis augmen:
 Sic calor, atque aër, & venti cæca potestas
 Mistæ creant vnâ naturam, & mobilis illa
 Vis, inuitum motus ab se que diuidit ollis:

*Sensifer unde oritur primum per viscera motus.
 Nam penitus prorsum latet hæc natura, subestque:
 Nec magis hac infra quicquam est in corpore nostro:
 Atque anima est animæ proporro totius ipsa.
 Quod genus in nostris membris, & corpore toto
 Mistra latens animi vis est, animæque potestas,
 Corporibus quia de paruis, paucisque creata est.
 Sic tibi nominis hac expers vis, facta minutis
 Corporibus latet: atque animæ totius ipsa
 Proporro est anima, & dominatur corpore toto.
 Consimili ratione necesse est ventus, & aër,
 Et calor inter se vigeant commista per artus:
 Atque aliis aliud subsit magis, emineatque,
 Ut quiddam fieri videatur de omnibus vnum:
 Ne calor, ac ventus seorsum, seorsumque potestas
 Aëris interimant sensum, diductæque soluant.*

NUNC EA QVO PACTO] nunc docere meditatur quo pacto quatuor illa inter se mista sint. QVIBVSQVE COMTA MODIS] quidam legendum putant *tuncta modis*, & item lib. 4. ubi legitur, *Et quibus è rebus cum corpore comta vigeret.* REDDERE AVENTEM] reddere cupientem. libri manuscr. *reddere habentem*, quod iccirco notaui, ut meminerit lector, quod eum iam antè admonui, b. pro u. & contra u pro b. à scriptoribus illis librariis peruerse esse scribi solitum. ABSTRAHIT INVITVM PATRII] sic sup. lib. 1. *Propter egestatem lingua & rerū nonnitatem.* INTER ENIM CURSANT] id est primordia ex quibus constat animus, inter se intercurfant mutuis motibus, ita ut nullum ab altero distingui, aut secerni possit, neque vlllo interuallo separari. SED QVASI MVLTAE VIS] sed sunt veluti multæ potestates in vnum corpus coactæ & coagmentatæ. secutus sum autem in hoc loco restituendo codicum manuscriptorum auctoritatem. sic sup. vsus est nomine *vis* numero multitudinis lib. 2. *Et quædam quicque magis multas vis possidet in se.* QVOD GENVS] quemadmodum, cuius generis, *çor.* QVIDAM CALOR] aliàs quidam color. MOBILIS ILLA VIS] quarta illa natura nominis expers. INITVM MOTVS QVAE] quæ tribuit, & impartitur ceteris partibus motus initium, seu introitum. in nonnullis libris legitur *initium*, quod si cui magis placeat, i & u coeunt in vnam syllabam. NEC MAGIS HAC INFERA] si hic versus Lucretianus est, sententia eius hæc videtur esse: nec quicquam interius est hæc natura in corpore nostro: nihil magis abstrusum: nihil magis recondi-

tum. quidam legi volunt *intra*. ATQVE ANIMA EST ANIMAE] ita hæc quarta natura ceteris præstat tenuitate, subtilitate, mobilitate, & similibus, ut sit quodammodo animæ totius anima. PROPORRO] id est productè, longè. ATQVE ANIMAE TOTIVS IPSA, &c.] sic restitui ex auctoritate codicum manuscriptorum. adhibita tamen facili, & illustri coniectura. nam cum in aliis duobus reperissem scriptum: *atque anima quasi totius ipsa Proporro est anima*: in aliis: *atque anima totius sine voce quasi*, suspicatus sum à Lucretio scriptum esse *animæ*, deinde cum ex *animæ* factum esset *anima* culpa librarioꝝ, ab aliquo studioso adiectum, *quasi*, ut versum perficeret. SVBSIT MAGIS, EMINEATQVE] aliud magis subsit aliis, aliudq; magis emineat aliis. subesse & eminere dixit latino sermone, quod Græci *ὑποστῆναι, & ἐμπελάειν.* DE OMNIBVS] sic legendum potius, quàm *ab omnibus*. NE CALOR AC VENTVS] lib. manuscriptorum habent *ni calor*, quam scripturam si recipimus, accipiendum *ni pro ne*.

*Est etiam calor ille animo, quem sumit in ira:
 Cum feruescit, & ex oculis micat acrius ardor.
 Est & frigida multa comes formidinis aura:
 Quæ ciet horrorem in membris, & concitat artus.
 Est etiam quoque pacati status aëris ille,
 Pectore tranquillo qui sit, voltuque sereno.
 Sed calidi plus est illis, quibus acria corda,
 Iracundæque mens facile efferuescit in ira:
 Quo genere in primis vis est violenta leonum:
 Pectora qui fremitu rumpunt plerunque gementes:
 Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.
 At ventosa magis ceruorum frigida mens est:
 Et gelidas citius per viscera concitat auras:
 Quæ tremulum faciunt membris existere motum.
 At natura bouum placido magis aëre viuit:
 Nec nimis iræi fax vnquam subdita percit
 Fumida suffundens cæcæ caliginis umbras:
 Nec gelidis torpet telis perfixa pavoris:
 Inter utrosque sita est, ceruos, seuosque leones.
 Sic hominum genus est, quannuis doctrina politos
 Constituat pariter quosdam, tamen illa relinquit
 Naturæ cuiusque animæ vestigia prima,*

Nec radicitus euelli mala posse putandum est,
 Quin proclivius hic iras decurrat ad acreis:
 Ille metu citius paullo tentetur: at ille
 Tertius accipiat quaedam clementius aequo.
 Inq̄ aliis rebus multis differre necesse est
 Naturas hominum varias, morésque sequaces.
 Quorum ego nunc nequeo cacas exponere causas:
 Nec reperire figurarum tot nomina, quot sunt
 Principiis: unde hæc oritur variantia rerum.
 Illud in his rebus video firmare potesse,
 Vsq̄ eadeo naturarum vestigia linqui
 Paruula, quæ nequeat ratio depellere dictis,
 Vt nihil impediât dignam Diis degere vitam.
 Hæc igitur natura tenetur corpore ab omni:
 Ipsaque corporis est custos, & causa salutis.
 Nam communibus inter se radicibus hærent:
 Nec sine pernicie diuelli posse videntur.
 Quod genus è turis glebis euellere odorem
 Haud facile est, quin intereat natura quoque eius:
 Sic animi, atque animæ naturam corpore toto
 Extrahere haud facile est, quin omnia dissoluantur:
 Implexis ita principiis ab origine prima
 Inter se sunt consorti prædita vita:
 Nec sine vi quicquam alterius sibi posse videtur
 Corporis, atque animi scorsum sentire potestas:
 Sed communibus inter eos constat utrinque
 Motibus accensus nobis per viscera sensus.

ET EX OCULIS MICAT] ardor oculorum iram significat. Hom.
 ἰλ. α. μέγας ὁ μέγας ὄφθαλμος ἀπὸ μέλαινας Πίμπλας] ὅσα δὲ οἱ πύελ λαμπροὶ ἔισσεν.
 IRARVM FLUCTVS] Catull. carmine de Pelei & Ther. nupt. Prospi-
 cit & magnis curarum fluctuat vndis. Virgil. Æneid. 4. magnòque irarū fluctuat
 astu. SIC HOMINVM GENVS EST] significat naturæ vitia nō pos-
 se doctrina funditus extirpari: ita tamen doctrina, studio & diligentia mi-
 nui, & leuari posse, vt nihil veter quo minus sapiens beatè viuat, & homo

inter homines Deus quidam esse videatur. CAECAS] obscuras. VA-
 RIANȚIA] differentia. NATVRARVM] docti quidam legi volunt,
 naturā. DEPELLERE DICTIS] secutus sum libros vulgatos. Nam
 manuscripti habent depellere noctes. vnde suspicor legendum ratio depellere
 docta. DIGNAM DIIS] beatam. sic Epicurus Ζῆσι δὲ θεῶν δεῖς ἐν ἀνθρώποις.
 εἰ δὲν ἴδ' εἰσὶ καὶ θυμὸς Ζῶν ἀνθρώπων ἐν ἀθανάτοις ἀγαθῶσι: id est viues autem vt Deus
 inter homines. nulla enim re, mortali similis est homo in bonis immortalibus
 vitā agens. HÆC IGITVR NATVRA] animus ex quattuor illis
 naturis conflatus. NAM COMMVN. INTER SE] significat animum
 & corpus animantis ita inter se esse coniuncta, & colligata, vt alterum ab
 altero seiunctum viuere, aut esse non possit. QVOD GENVS] quemad-
 modum. Probat à simili neque animam à corpore animantis seiunctā, ne-
 que corpus ab animo semotum esse posse. QVIN OMNIA DISSOL-
 VANTVR] alij legunt ita, dissoluantur, vt sit quinque syllabarum, fiatque
 διελπισ: alij dissoluantur sine diæresi, vt sit versus spondiacus. ego sūsq̄,
 deque habeo. IMPLEXIS] implicatis. implexum compositum à præpo-
 sitione in, & plexum. Plexa autē (vt docet Festus) colligata significat ex Græ-
 co: cui nos etiam præpositionem adiicimus, cum dicimus perplexa. NEC SINE
 VI QVICQVAM ALTERIVS SIBI P. V.] sic legitur hic versus in
 lib. vulgatis. præter Paris. & Vicet. & Venetos antiquos. in manu scriptis
 autem, Nec sibi quæque sine alterius vi posse videtur, &c. ACCENSVS NO-
 BIS PER VISCERA SENSVS] sic sup. lib. 2. quibū cōuenienter Accensi
 sensus animantem quanque tuentur.

Præterea corpus per se nec gignitur vnquam,
 Nec crescit, nec post mortem durare videtur.
 Non enim, vt humor aquæ dimittit saepe vaporem,
 Qui datus est, neque ab hac causa conuellitur ipse,
 Sed manet incolumis, non, inquam, sic animā
 Discidium possunt artus perferre relictī,
 Sed penitus pereunt conuolssi, cōnque putrescunt:
 Ex ineunte æuo sic corporis, atque animā
 Mutua vitaleis discunt contagia motus
 Maternis etiam membris, aluòque reposta,
 Discidium vt nequeat fieri sine peste, malòque:
 Vt videas, quoniam coniuncta est causa salutis,
 Coniunctam quoque naturam consistere eorum.
 Quod superest, si quis corpus sentire renutat,
 Atque animam credit permistam corpore toto

*Suscipere hunc motum, quem sensum nominamus,
Vel manifestas res contra, verasque repugnat.*

*Quid sit enim corpus sentire quis afferet unquam,
Si non ipsa palam quod res dedit, ac docuit nos?
At dimissa anima corpus caret vndique sensu.*

*— Perdit enim quod non proprium fuit eius in auro:
Multaque praeterea perdit cum expellitur auro.*

CORPV S] corpus animatum. DIMITTIT SAEP E VAPOREM] sic lib. manuscr. & ita nonnulli typis excusi. Florentini & Lugdunenses, & Veneti recentiores, *saporem*. ego illam scripturam probo, & vaporem interpretor calorem, seu halitum calidum. DISCIDIVM] id est discissionem, ac diuisionem, à verbo discindo. CONQVE PV TRES CVNT] & cōputrescunt, tmesis. SIC CORPORIS ATQVE ANIMAE MVTVA, &c.] ordo: sic mutua corporis, atque animae contagia vitalis motus discunt etiam in membris maternis reposita, & recondita. QVOD SVPEREST] Probare conatur eos errare, qui omnem sensum attribuunt animae: corpus autem nihil sentire opinantur. RENVAT] sic legendum, non *refutat*. nam refutare (inquit Festus) redarguere est. compositum à fando verba à littera in u. renutat autem id est negat, renuit, non vult, vt lib. 4. *In columis transire potest, simulacra renutant.* Horat. epist. ad Quintium. *renuit, negat atque Sabellus.* SI NON IPSA PALAM QVOD RES] codices quidem & manuscripti, & typis impressi sic habent: sed contendunt doctissimi quidam viri sic esse legendum: *Si non ipse, palam qui res dedit, ac docuit nos?* ipse autem nempè sensus. ego nihil muto. AT DIMISSA ANIMA CORPV S, &c.] *Corpus est*, quam statim soluit. At corpus, inquit, (dicit aliquis) dimissa anima sensu caret: ergo corpus nō sentit, sed anima. MVLTATQVE PRAETerea, &c.] solutio obiectionis. quid mirum (inquit) vel quid tum postea? Multa etiam alia praeterea amittit cū expellitur auro: id est cum desinit aetatem agere, & vivere. haec mihi videtur huius loci & recta scriptura, & vera sententia. Itaque versum superiorem, vt adulterinum, delendum censeo. mouet me codex Vaticanus: à quo abest hic versus: *Multaque praeterea, &c.* animaduerti enim hoc saepe vsuuenire, vt cum adiectus esset huic poëtae versus aliquis alienus, scriptor librarius, qui postea illud exemplum sequeretur, versum adiectum, & alienum scriberet, verum & germanum praetermitteret. Atque vt magis credas, lector erudite, hunc locum esse corruptum, docti quidam existimant hinc aliquot versus deesse, dubitantque vtrum versus is, quem dico, sit *τὸ πῶν τὸ*, necne. sed non attendunt, quando cunque duo versus inter se proximi in eandem vocem desinunt, magno argumento esse, alterum eorum esse alienum. Cum igitur necessariò alter ex his duobus versibus foris irrepperit in alienum locum, locutionis similitudo, & sententiae consecutio facile indicant versum, *Mul-*

taque praeterea, &c. esse germanum Lucretianum: illum autem superiorem spurium, atque adulterinum.

*Dicere porro oculos nullam rem cernere posse:
Sed per eos animum, vt foribus spectare reclusis,
Difficile est, contra cum sensus dicat eorum:
— Sensus enim trahit, atque acies detrudat ad ipsas,
Fulgida praesertim cum cernere saepe nequimus,
Lumina luminibus quia nobis praepediuntur:
Quod foribus non fit. neque enim, quod cernimus ipsi,
Ostia suscipiunt vllum reclusa laborem:
Praeterea si pro foribus sunt lumina nostra:
Iam magis exentis oculis debere videtur
Cernere res animus sublatis postibus ipsis.
Illud in his rebus nequaquam sumere possis,
Democriti quod sancta viri sententia ponit,
Corporis atque animi primordia singula primis
Adposita alternis variare, ac nectere membra.
Nam cum multo sunt animae elementa minora,
Quam quibus & corpus nobis, & viscera constant,
Tum numero quoque concedunt, & rara per artus
Disita sunt, duntaxat vt hoc promittere possis,
Quantula prima queant nobis iniecta cedere
Corpora sensiferos motus in corpore, tanta
Interualla tenere exordia prima animae.
Nam neque pulueris interdum sentimus adhesum
Corpore, nec membris incussam sidere cretam,
Nec nebulam noctu, neque aranei tenuia fila
Obuia sentimus, quando obretimur euntes:
Nec supra caput eiusdem cecidisse vietam
Vestem, nec plumas auium, papposque volanteis,
Qui nimia leuitate cadunt plerumque grauatim.
Nec repentis itum cuiusuis cunque animantis
Sentimus, nec prima pedum vestigia quaeque,*

Corpore quæ in nostro culices, & cetera ponunt.
 Usque adeo prius est in nobis multa ciendum
 Semina, corporibus nostris immista per artus,
 Quam primordia sentiscant concussa animâ,
 Et quam interuallis tantis tuditantia possint
 Concurrere, coire, & dissultare vicissim.

DICERE PORRO OCULOS, &c.] refellit eorum sententiam, qui dicebant, mentem videre, mentem audire, &c. notum illud Heracliti v̄s̄: ὄψις, v̄s̄: ἀκούει, mens videt, mēs audit. Idem videtur sensisse M. Tull. sic enim ille lib. 1. Tuscul. Nos enim ne nunc quidem cernimus ea, quæ videmus. Neque enim ullus sensus est in corpore, sed ut non solum physici docent, verum etiam medici, qui ista aperta, & patefacta viderunt. via quasi sunt ad oculos, ad aureis, ad nareis à sede animi persyrata, &c. CONTRA CUM SENSUS DICAT] sic legendum vel codicibus omnibus reclamantibus: in quibus vel scriptum, vel impressum est: *contra cum sensus ducat.* quam scripturam quid est quod accuratius refellere coner, cum id sentiat Lucretius, quod Epicurus Græcè dicere solebat, ἀπὸ τῆς ψυχῆς, seu ἀπὸ τῆς ψυχῆς: præterea latinè dicimus *contra dicere: contra dicere* non item. SENSUS ENIM TRAHIT, &c.] hunc versum delendum cenleo. nam primum superuacaneus est, eoque sublato de sententiâ nihil deperit: immò planior, atque illustrior est, ut statim ostendam: deinde falsum est, quod per eum significatur, & ab Epicureis decretis abhorret: postremò loquendi genus inelegans atque adeò inquinatum est. LVMINA LVMINIBVS, &c.] quia oculi nobis præpediuntur obiecto lumine, & splendore, præsertim acriore: cuius rei causam explicat lib. 4. ibi. *Splendida porrò oculi fugitant, &c.* QVOD FORIBVS NON FIT] hoc sentit hoc loco Lucretius. res splendidas intueri nequimus, propterea quia oculi nobis præpediuntur à lumine externo acriore, quàm ut ferre possint: quod non fieret, si solus animus cerneret, & oculi essent tanquam fores, aut fenestras, per quas cerneret: cum experiamur, si per fenestram, aut ianuam aliquam apertam & patentem aspiciamus, nihil eam laborare. QVA] aduerbium per locum. ILLVD IN HIS REBVS, &c.] docet errare Democritum, qui singula animi primordia, singulis corporis seminibus apposita esse dicat. DEMOCRITI QVOD SANCTA VIRI] Democriti sententiâ, periphraſis: id est Democritus. sic Horat. saty. 2. lib. 1. *maeste Virtute esto, inquit sententia dia Catonis,* id est Cato. cuius circūlocutionis, si plura exēpla quæris petito ex commentariis nostris in Horat. Porro autem hic Lucretij versus iteratur lib. 5. QVAM QVIBVS] id est quàm ea elemēta, ex quibus corpus nostrum constat. NUMERO QVOQVE CONCED.] numero cedunt, inferiora sunt: id est pauciora sunt. PROMITTERE] id est affirmare. Horat. saty. 4. lib. 1. *quod vitium procul absore chartis, Atque animo prius ut si quid promittere de me Possum aliud, verè promitto.* QVANTVLA PRIMA QVEANT, &c.] hoc dicit, ut hoc duntaxat affirmare possis, pri-

ma

ma corpora animæ tantum spatij occupare, & tam latè in corpore esse disseminata, quanto spatio, quantoque numero prima illa corpora nobis injecta possint in nostro corpore motus sensiferos excitare. legendum fortasse est. *Quantis prima queant, &c.* quantis autem nempe interuallis. NAM NEQVE PVLEVERIS] hoc argumento probat singula animi primordia non esse singulis primordiis corporis annexa, quia si ita esset, sentiremus pulverem exiguum corpori adhaerentem, cretam infidētem, nebulam, araneam telam, & similia: hoc non fit: ergo, &c. ADHÆSVM] adhæsum pulveris, id est pulverem adhaerentem. profert hunc versum Nonius in voce *adhæsum.* vsurpat Lucret. eandem vocem lib. 4. *locis quia non potis est adfigere adhæsum:* & lib. 6. *Suspense cum concipiunt humoris adhæsum.* crebrò autem igitur huiusmodi nominibus verbalibus desinentibus in us *conciatus, commutatus, offensus, coniectus, iniectus, adiectus, itus, inius, adactus,* & simil. SIDERE] insidere, à verbo fido, is. NEC NEBYLAM NOCTV] docti quidam legi volunt, *Nec nebulam noctis.* SVPERA] supra. VIETAM] languidam, *vietus* (inquit Festus) *languidus, sine vi, & naturalibus viribus priuatus.* Et Donatus ad illum Terentij locum Eunu. *hic est vetus, vietus, veterosus, senex: Vietus, mollis, flaccidus, & flexibilis corpore. unde & vimina, & vimenta, & vites, & vietores dicuntur, & viere religare dicitur, quia virgis vietis magis religare quilibet possumus.* Lucretius *aranea* dixit *vietam vestem: id est putri mollitia præditam.*

PAPPOS QVE VOLANTEIS] profert hunc versum Festus in voce *pappi,* & docet pappos esse carduorum flores. GRAVATIM] id est grauata, ob nimiam leuitatem grauata cadunt: id est agrè, & vix cadere possunt. ITVM] incessum. PRIVA] priuata, propria, seu singula. Nā (ut docet Festus) *priuos, priuasque antiqui dicebant pro singulis.* ob quam causam & priuata dicuntur, quæ vniuscuiusque sunt. VSQVE ADEO PRIVS EST, &c.] scripturam antiquam restitui corruptam ab iis, quorum nominibus parco, propter ingenij gloriam: qua etiam mortui & viuunt, & viuunt. sed illi nimium licentiæ sibi permittentes, quæ in bonis scriptoribus non intelligebant, suo arbitratu mutabant, & deprauabant, ut cum hunc versum ita scriptū reperissent, *Usque adeo prius est in nobis multa ciendor, &c.* sic mutarunt: *Usque adeo prius in nobis sunt multa cienda, &c.* præclare & eadem sententiâ manente, fateor. Sed cuius confidentiæ atque impudentiæ est, homines non aliunde, quàm à Lucretio, Catullo, M. Tullio, & similibus scriptoribus Latini sermonis scientiam consecutos, illos ipsos, à quibus didicerunt, Latinè loqui docere conari? Sic igitur Lucretius locutus est. *Usque adeo prius est in nobis multa ciendum Semina:* illi hoc genus loquendi non probarunt scilicet, & sic reposuerūt, *Usque adeo prius in nobis sunt, &c.* Atqui illo potius modo Lucretius loqui solet, ut aliàs admonui, & ita 1. libro. *Aeternas quoniam pœnas in morte timendum:* ad quem locum plura exempla collegimus. iam quod nonnulli libri scripti habent *ciendo,* hoc *ciendo* factum est ex *ciendus, ciendos, ex ciendor, ciendor* autem idem valebat quod *ciendum.* scriptores enim illi imperiti z pro m. scribebant in extremis nominibus. *ciendum* porrò pro *ciendum* accipiendum est o pro u: quod etiam supra admonuimus.

E c

*Et magis est animus vitæ claustra coercens,
 Et dominantior ad vitam, quàm vis animæ.
 Nam sine mente, animoque nequit residere per artus
 Temporis exiguam partem pars vlla animæ:
 Sed comes insequitur facile, & discedit in auras:
 Et gelidos artus in leti frigore linquit.
 At manet in vita, cui mens, animusque remansit,
 Quamuis est circum cæcis lacer vndique membris:
 Truncus, adempta anima circum, membrisque remotis,
 Viuit: & aetherias vitales succipit auras:
 Si non omnimodis, at magna parte animæ
 Priuatus, tamen in vita cunctatur, & hæret.
 Vt lacerato oculo circum si pupula mansit
 Incolumis, stat cernendi viuata potestas,
 Dummodo ne totum corrumpas luminis orbem:
 Sed circuncidas aciem, solamque relinquas:
 Id quoque enim sine pernicie confiet eorum.
 At si tantula pars oculi media illa peresa est:
 Incolumis quamuis alioqui splendidus orbis:
 Occidit extemplo lumen, tenebræque sequuntur.
 Hoc anima, atque animus vincti sunt fœdere semper.*

ET MAGIS EST ANIMVS, &c.] videtur aliter sentire Nonius, cum
 ita docet. *animus, quo sapimus: anima, qua viuimus.* sed non pugnant hæc inter
 se. NAM SINE MENTE] videtur hoc esse falsum: idque adeo apparet
 ex furiosis: qui sine animo & mente: id est sine ea parte, qua sapimus, vi-
 uunt: sine anima autem neque furiosi, neque quisquam omnino uiue-
 re potest. Sed dicendum Lucretium non ita accipere animum. SED
 COMES INSEQ.] libri scripti habent *comes* mendose. u pro o. OMNI-
 MODIS] omnibus modis. VT LACERATO OCULO] probat à simi-
 li animum vitæ esse dominum atque auctorem magis, quàm animam.
 CIRCVM] *περὶ*. PUPULA] *ἡ κόρη, τὸ ἐν μέσῳ μέλαν*, acies qua cernimus:
 quæ etiam pupilla appellatur. Est autem hæc oculi pars crystallina, seu gla-
 cialis. vitreus humor autem proxime sequitur glaciale introrsum: con-
 traria ex parte extorsum, aqueus. vitream humorem complectitur tunica,
 quæ appellatur *ἀμειβέσπορ*, id est rete circumdans: hanc tunica excipit ea quæ
 dicitur *vuca*: quam ambit cornea membrana. VIUATA POTESTAS]

*uiuatus & viuatus à vi magna dicuntur (inquit Festus.) ACIEM] pupulam.
 ID QVOQVE ENIM SINE PERNICIE CONFIE T EORVM]*
 circuncidere aciem, quod est, detracta ea parte, quæ appellatur à Græcis
καὶ τὸ ἐν μέσῳ: id est cornea, solam aciem incolumem relinquere, fiet sine per-
 nicie oculorum. *confiet* autem reposui, cum in omnibus libris non fiet legeretur:
 ab ipsa sententia ad veram scripturam veluti manu ductus. TENE-
 BRÆ QVÆ] cæcitas. VINCTI] sic habent libri scripti.

*Nunc age, natiuos animantibus, & mortaleis
 Esse animos, animasque leueis, vt noscere possis:
 Conquisita diu, dulci que reperta labore
 Digna tua pergam disponere carmina vita.
 Tu fac vtrunque vno subiungas nomen eorum:
 Atque animam, verbi causa, cum dicere pergam,
 Mortalem esse docens: animum quoque dicere credas:
 Quatinus est vnum inter se, coniunctaque res est.
 Principio, quoniam tenuem constare minutis
 Corporibus docui, multoque minoribus esse
 Principiis factam, quàm liquidus humor aqua est,
 Aut nebula, aut fumus: nam longè mobilitate
 Præstat, & à tenui causa magis icta mouetur:
 Quippe vbi imaginibus fumi, nebulæque mouetur:
 Quod genus, in somnis sopiti vbi cernimus alta
 Exhalare vapore altaria, ferræque fumum:
 Nam procul hæc dubio nobis simulacra genuntur:
 Nunc igitur quoniam quassatis vndique vasis
 Diffluere humorem, & laticem discedere cernis:
 Et nebula ac fumus quoniam discedit in auras:
 Crede animam quoque diffundi, multoque perire
 Ocyus, & citius dissolui corpora prima,
 Cum semel omnibus è membris ablata recessit.
 Quippe etenim, corpus, quod vas quasi constitit eius,
 Cum cohibere nequit conquassatum ex aliqua re,
 Ac rarefactum detracto sanguine venis,
 Aère quæ credas posse hanc cohiberier villo,*

Corpore qui nostro rarus magis em cohibeſſit?

NUNC AGE NATIVOS, &c.] Nunc aggreditur ad probandum animos, seu animas (iam enim alterutrum pro eodem uſurpatur) eſſe natiuos: & ita, mortales. Quicquid enim ortum eſt, neceſſario aliquando interibit. ex quo illud Xenophanis, æquè impios eſſe, qui deos natos eſſe dicerent, & qui interituros. Sunt autem argumēta, quibus utitur admodum infirma, & leuia: neque tamen poſſunt vlla afferri firmiora. Quòd ſi eſſent firmiſſima: nihil apud nos valerent tamen religione Chriſtiana imbutos. Vetat enim pietas cum in plerisque aliis, tum in hoc maxime, audire Epicurum. DISPONERE] (ſup. lib. I. ſtudio diſpoſita ſideli. TV FAC VTRVNQVE] ſic habent libri manu ſcripti, non Tu face. iam quod ſequitur, vno ſubiungas: ſi ſcriptura emendata eſt, poſitum pro ſub vno iungas, vel vno dictum pro vni, vel legendum vni. PRINCIPIO QUONIAM] hoc primum argumentum eſt, quo oſtendere conatur, animam eſſe mortalem. anima conſtat ex primis corporibus longè ſubrilioribus, & minoribus, quàm aqua, aut nebula, aut fumus. at aqua vaſe fracto, diffugit, ac diffluit: fumus, & nebula quæ patet exitus, diſcedunt in auras: Ergo multo magis anima cum excelsit è corpore, diffunditur, ac diſſipatur. QUIPPE VBI IMAGINIBVS FVM I, &c.] Epicurus enim neque cerni quicquam, neque cogitari, neque ſomniari putabat ſine imaginibus. Quippe vbi id eſt quippe quia. VBI CERNIMVS] cernimus in ſomniis: id eſt cernere videmur. GENVTVR] ſic legendum, non geruntur, reclamantibus libris omnibus. NUNC IGITVR QUONIAM] ſuperius illud, Principio quoniam, non habet αὐτὰ πρὸς ἄνω: & quia multa ſunt interpoſita, ſumit alterum orationis principium, Nunc igitur quoniam, cui reſpondet id quod ſequitur: Crede animam, &c. CVM SEMEL OMNIBVS E MEMBRIS] in duobus libris manu ſcriptis reperi ſcriptum, Cum ſemel ex hominis membris. QUIPPE ET ENIM, &c.] cum anima (inquit) corpore cohiberi non poſſit, vbi id aliquo caſu tanquam vaſ, conquaſſatum, & rarefactum eſt: quanto minus vllò aère contineri poterit? CVM COHIB. NEQ.] quidam libri habent, Quam cohibere nequit, &c. quam lectionem probo: vt ſit hic ordo verb. Quippe etenim, qui credas animam vllò aère cohiberi poſſe, quam corpus, quod quaſi vaſ eius fuit, non potuit cohibere, &c. CORPORS QUI NOSTRO RAR. MAG. EM COHIBESSIT?] hunc locum ita feliciter reſtitui, vt omnes eruditos, & politos homines mihi gratulatos confidam. qui aër (inquit) noſtro corpore rarior, em, id eſt eam: cohibeſſit, id eſt cohibuerit. em dicebāt antiqui pro eam, & im pro eum, vt teſtantur grammatici veteres. Iam cohibeſſit pro cohibuerit, etiam antiquum: cuiuſmodi ſunt illa apud Plaut. ſeruaſſim, ſupplicatſis, negaſſim, prohibeſſis, &c. pro ſeruauerim, ſupplicatis, negauerim, prohibueris, &c.

*Præterea gigni pariter cum corpore, & vna
Crescere ſentimus, pariterque ſeneſcere mentem.
Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur*

*Corpore: ſic animi ſequitur ſententia tenuis.
Inde, vbi robuſtis adoleuit viribus ætas:
Conſilium quoque maius, & auctior eſt animi vis.
Poſt, vbi iam validis quaſſatum ſt viribus aui
Corpus, & obtuſis ceciderunt viribus artus:
Claudicat ingenium, delirat linguaque, mēſque:
Omnia deſcuiunt, atque vno tempore deſunt.
Ergo diſſolui quoque conuenit omnem animam
Naturam, ceu fumus in altas aëris auras:
Quandoquidem gigni pariter, pariterque videmus
Crescere, & (vt docui) ſimul æuo feſſa fatiſcit.
Huc accedit, vti videamus, corpus vt ipſum
Suſcipere immane morbos, durūque dolorem:
Sic animum curas acreis, luētūque, metūque.
Quare participem leti quoque conuenit eſſe.
Quinetiam morbis in corporis auius errat
Sæpe animus: dementit enim, delirāque fatur:
Interdūque graui lethargo fertur in altum,
Aeternūque ſoporem, oculis, nutūque cadenti.
Vnde neque exaudit voces: nec noſcere voltus
Illorum potis eſt, ad vitam qui reuocantes
Circuſtant lacrymis rorantes ora, genāſque.
Quare animum quoque diſſolui fateare neceſſe ſt:
Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi.
Nam dolor, ac morbus leti fabricator vterque ſt:
Multorum exitio perdocti quod ſumus antè.*

PRAETEREA GIGNI] ſecundum argumentum, mens vna cum corpore gignitur, creſcit, ſeneſcit: ergo & cum corpore moritur. Lucretius Firmianus ducto hinc initio omnia ferè Lucretij argumenta aduerſus animorum immortalitatem diluit ac refellit duodecimo cap. lib. 7. de diuino premio. LINGVA QVE, MENS QVE] in quibuſdam libris legitur, lingua, animūſque. ego tamen nihil mutandum cenſeo. delirat lingua autem, id eſt delira, aut deliris conuenientia loquitur. FESSA FATISCIT] ſic habent omnes ferè lib. vulgati, & tres calamo ſcripti, vnus fatiſci. quod ſi recipimus, legendum erit in verſu ſuperiore. pariterque videtur. fatiſcor autè di-

xisse veteres, pro *fatisco* notat Nonius: eoque utitur Lucret. lib. 5. *Non de-
lubra Deum, simulacraque fessa fatisci?* Iam quod dicit hic Lucretius animam, seu
animum cum corpore senescere, negat hoc Aristot. lib. 1. de Animo: do-
cētque, quemadmodum si senex, iuuenis oculū sumeret, fore ut æque acu-
tè cernat, atque iuuenis: ita si instrumentū, aut vas animæ detur seni inte-
grum, & recens, fore ut contempletur, cogitet, intelligat proinde ac si iu-
uenis esset. non esse igitur animi vitium, si senes delirent, aut desipiant, sed
corporis: neque senectutem esse in animo, sed in instrumentis, & sedibus
animi. *animum enim esse morbi, & senectutis expertem, & diuinum quid-
dam.* HVC ACCEDIT VTI VID. CORP. VTI IPS.] sic habent li-
bri manu scripti, non ut vulgati, *id ipsum.* hoc argumentum refellit etiam
M. Tull. lib. 1. Tuscul. quæst. his verbis. *Alteram afferit rationē Panætius* (ad-
uersus animorum immortalitatem scilicet) *nihil esse quod doleat, quin id agrum
esse quoque possit: quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum: dolere autem
animos: ergo etiam interire:* Hæc refelli possunt: sunt enim ignorantis, cum de æterni-
tate animorum dicantur, de mente dici: quæ omni turbido motu semper vacet: non de
partibus iis, in quibus agri tudines, iræ, libidinesque versentur: quas is, contra quem
hæc dicantur, *se motas à mente & disclusas putat.* DVRYM QVE DOLO-
REM.] sic habent libri manuscr. vulgati autem: *durumque laborem.* QVIN-
ETIAM] quartum argumentum. animus interdum est particeps morbo-
rum corporis: id est morborum corporis sensus & contagio ad animum
permanat: etgo æque ut corpus interit. DEMENTIT ENIM, DEL.]
quidam libri habent: *dementia enim, deliræque fatui.* LETHARGO] veter-
no, ex quo veterinosus, qui graui premitur somno. NVTVQVE CADEN-
TI] ita habent tres libri scripti, & aliquot impressi: Florentini autem &
Lugdun. *vulsi que cadenti.* quam posteriorem scripturam non improbo. Sic
enim ferè Virgil. lib. 7. *Æneid. Sed frons læta parum, & deiecto lumina vultu.*
AD VITAM QUI REVOCANTES] solebāt veteres aqua calida mor-
tuos abluere, & per intervalla conclamare, quod plerunque solet spiritus
extremus efflatus esse putari, & homines fallere. Donatus ad illum Teren-
tij locum in Eunuchō, *iam conclamatum est,* hæc annotat: id est *transactum ac
finitum est,* ut conclamata corpora nihil reliqui iam habent ad vitæ officia. Virgil.
Æneid. 3. animamque sepulcro Condimus, & magna supremum voce ciemus. LA-
CRYMIS RORANTES] ex quo verbum *complorare.* QVANDO QVI-
DEM PENETR.] profert hunc versum Nonius in voce *contagium.*

*Denique cur hominem, cum vini vis penetravit
Acris, & in venas discessit diditus ardor,
Consequitur grauitas membrorum? præpediuntur
Crura vacillanti: tardescit lingua? madet mens?
Nant oculi? clamor, singultus, iurgia gliscunt?
Et iam cetera de genere hoc quacunque sequuntur,
Cur ea sunt, nisi quod vehemens violentia vini*

*Conturbare animam consuevit corpore in ipso?
At quacunque queunt conturbari, inq̄ pediri,
Significant, paullo si durior insinuarit
Causa, fore ut pereant æuo priuata futuro.
Quinetiam subita vi morbi sæpe coactus.
Ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu
Concidit: & spumas agit, ingemit, & tremit artus:
Desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat:
Inconstanter & in iactando membra fatigat:
Nimirum, quia vis morbi distracta per artus
Turbat agens animam, spumantes æquore salso
Ventorum ut validis feruescunt viribus vnda.
Exprimitur porro gemitus, quia membra dolore
Adficiuntur: & omnino quod semina vocis
Euciantur, & ore foras glomerata feruntur.
— Quæ quasi consuerunt, & sunt munita viæ.
Desipientia fit, quia vis animi, atque animæ
Conturbatur: & (ut dōcui) diuisa seorsum.
Disiectatur eodem illo distracta veneno.
Inde, vbi iam morbi se flexit causa, reditque
In latebras ater corrupti corporis humor:
Tum quasi talipedans primum consurgit: & omneis
Paullatim redit in sensus, animæ inque receptat.
Hæc igitur tantis vbi morbis corpore in ipso
Iactetur, miserisque modis distracta laboret:
Cur eandem credis sine corpore in aëre aperto
Cum validis ventis atatem degere posse?*

[DENIQVE CVR HOMINEM] quintum argumentum, quod est itē
valde imbecillum. & tangit Arist. lib. 1. de animo. est enim non intelligentis
hæc omnia fieri & accidere vitio corporis, non animi. PRAEPEDI V N-
TVR CRVRA VACIEL. sic Chremes ille Terentianus in Eunu. *Atat,
data berce verba mihi sunt. viciū vinum, quod bibi. At dum accubabam, quā vide-
bar mihi pulchrè sobrius? Postquam surrexi, neque pes, neque mens satis suum offi-
cium facit.* CONTVRBARE ANIMAM, &c.] atqui non animam con-

turbat vini violentia, sed corpus: quo conturbato, minus expeditè suo munere animus fungi potest. **INSINVARIT]** intrarit, subierit. **QVIN ETIAM SVBITO]** sextum: cuius eadem ratio est, atque superioris: & coniungit vtrunque Arist. his verbis, *εἰ δὲ αὖτ' ἐν ἰσθμῷ τῶν ὀφθαλμῶν*. **VT FVLMINIS ICTV CONCIDIT]** fortasse significat morbum comitalem. coniunge autem verba sic. subito concidit ante ocul. nostr. vi morbi coactus, si legas, Quinetiam subito, &c. nā alibi legitur *subita vi morbi*. **AGENS ANIMAM]** id est pellens animā. **SPVMANTES AEQVORE]** quia non consentiunt hoc loco libri calamo exarati, secutus sum vulgatos. proponā tamen scripturæ veteris varietatem. alij habent *spumans in equore salso Ventorum val. feruescunt virib. vnda.* alij: *spumans velut equore salso, &c.* vt sup. ex quibus scripturis vel sic legendum puto. *spumans vt in equore salso Ventorum validis feruescit viribus vnda:* vel sic *spumans velut equore salso Ventorum &c.* vt sup. spumantem vndam etiam Virgil. dixit Georg. 4. *Quaque dedit, spumantem vndam sub vertice torfit.* **EII CIVNTVR]** id est emittuntur. sic doctissimi viri legi volunt: quibus assentior. nam libri omnes habent *Elicuntur*. **QVA QVASI CONSERVNT, &c.]** hunc versum me auctore deleti, vt spurium. **EODEM ILLO DISTR. VENENO]** diuisa & disparata illo eodem veneno, nempe atra bili. **TVM QVASI TALIPEDANS]** sic hunc versum restitui haud dubia coniectura ductus. cuius mei facti nomine spero politos omnes his litteris homines mihi gratiam habituros. Nam vulgata quidem scriptura, quæ & in manuscriptis, & in vulgaris libris reperitur, sine dubio mendosa est: nec potest nomen *vacillans* in hoc loco saluis metri legibus manere. meæ autem coniecturæ ratio hæc est. Scriptum erat in emendatis membranis, *Tum quasi talipedans, &c.* studiosus aliquis lector ad oram libri sui, in quo sic erat scriptum, ascripserat: *vacillans*, vt vocem obscuriorem hac notiore declararet. Scriptor librarius, qui postea ex eo exemplo librum descripsit, omissio vero nomine, supposuit alterum interpretationis causa ascriptum: nempe pro *talipedans, vacillans*. In quo genere sæpe peccabant scriptores illi, quemadmodum supra admonuimus in *audeas*, pro *aufis*, & in *re vera tamē haud sit*, pro *re non sit tamen apse*. & hoc lib. in extr. *inuitus adberet, & angit*, pro *ingratis hæret, & angit*. *Talipedare* autem (inquit Festus) *antiqui dicebant, pro vacillare pedibus lassitudine, quasi quis trahat pedes, & talis videatur insistere, aut identidem pedes tollere.* **HABCIGITVR]** hæc, nempe animus, & anima, vbi iactentur, & laborent, &c. vel dic hoc modo, hæc videlicet animi, vbi tantis morbis in corpore ipso *iactetur, miserisque modis distracta laboret, Cur eandem credis, &c.* & ita *eandem* erit dissyllabum, quod non est nouum. Si in ipso corpore (inquit) inclusa anima, in quo ab omni iniuria tutior & munitior esse debebat, quàm in aère, tam grauibus tamen morbis afficitur, & tot malis conflictatur: quanto credibilius est eam conturbatam atque agitatam iri extra corpus in aère aperto à ventis iactatam? **QVREANDEM]** sic malo legi, vt iam dixi, & supra *iactetur, laboret*, vt referantur ad animam. atque in voce *eandem, e* & *an* coalescent in vnam syllabam, vt sæpe alibi. Quod si quis malet legi *eandem*: tum legendum erit, *iactentur, laborent.*

Et quoniam

Et quoniam mentem sanari, corpus vt agrum Cernimus, & flecti medicina posse videmus.
Id quoque præfagit mortalem viuere mentem.
Addere enim parteis, aut ordine traicere æquum st,
Aut aliquid prorsum de summa detrabere illum,
Commutare animum quicumque adoritur, & insit:
Aut aliam quamuis naturam flectere querit.
At neque transferri sibi parteis, nec tribui vult,
Immortale quod est quicquam, neque defluere hilum.
Nam quodcunque suis mutatum finibus exit,
Continuò hoc mors est illius, quod fuit antè.
Ergo animus siue egrescit, mortalia signa
Mittit (vti docui) seu flectitur à medicina.
Vsq; adeò falsæ rationi vera videtur
Res occurrere, & effugium præcludere eunti,
Ancipitiq; refutatu conuincere falsum.
Denique sæpe hominem paullatim cernimus ire,
Et membratim vitalem deperdere sensum:
In pedibus primùm digitos liuescere, & ungueis,
Inde pedes & crura mori: post inde per artus
Ire alios tractim gelidi vestigia leti.
Scinditur atqui animæ quoniam natura, nec vno
Tempore sincera existit, mortalis habenda st.
Quod si fortè putas ipsam se posse per artus
Introrsum trahere, & parteis conducere in vnum,
Atque idèd cunctis sensum deducere membris:
At locus ille tamen, quò copia tanta animai
Cogitur, in sensu debet maiore videri.
Qui quoniam nusquam st, nimirū (vt diximus antè)
Dilaniata foras dispergitur: interit ergo.
Quin etiam, si iam libeat concedere falsum,
Et dare, posse animam glomerari in corpore eorum,
Lumina qui linqunt moribundi particulatim:

FF

Mortalem tamen esse animam fatere necesse est.

Nec refert, utrum pereat dispersa per auras,

An contractis in se partibus obbrutescat.

Quando hominem totum magis, ac magis undique sensus

Deficit, & vitæ minus, & minus undique restat.

ET QUONIAM MENTEM, &c.] sextum argumentum animū agrum sanari videmus, ut corpus. sanari autem nihil potest, quin ei vel addatur aliquid, vel detrahatur, vel traiciatur. quod autem immortale est, ei nihil neque addi, neque detrahi potest: ergo animus est mortalis. PRAESAGIT] præsignificat. ADORITUR, ET INFIT.] aggreditur, & incipit. sic idē lib. 5. *Illa quoque expegefactum caput erigere infit.* sic & Virgil. lib. 10. *Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas, infit.* & lib. 11. *Et Venulus dicto parens ita sariet infit.* Plautus Aulul. *Infuit ibi postulare, plorans, eiulans, Ne sibi liceret milium vadaviet.* Festus *infuit, incipit.* ne quis autem de hac scriptura dubitet, sic habent tres libri manuscr. NEQUE DEFLVERE HILVM] ita scriptum reperi in tribus libris manuscr. & in antiquis Venetis. nam vulgati habent. *diffluere, defluere* autem, id est *decedere.* tralatio. NAM QUOD CUNQUE SVIS, &c.] hic versus, & proximus positi iam sunt sup. lib. 1.

ERGO ANIMVS] siue igitur (inquit) fateamur animū incidere in mortuum, & agrum esse: siue adhibita medicina sanari, utrouis pacto immortalitatis suæ signa dat. FALSÆ RATIONI] eorum scilicet, qui dicunt animum esse immortalem: ut vult Lucret. ET EFFUGIVM PRAECI.] sic locutus est lib. 1. *Quorum utrunque tibi effugium præcludit, & omne Cogit ut exenta concedas sine patere.* ANCIPIITIQUE REFUTAT.] id est refutatione duplici, & in utramque partem valente, siue hoc, siue illud dicas. tralatio ducta est ab ense ancipiti. DENIQUE SÆPE HOMINEM] septimum argumentum. partes hominis singillatim moriuntur, id est homo membratim interit: & ita scinditur anima: quod si sit, mortalis habenda est.

PAVLLATIM CERNIMVS IRE] sic habent quattuor libri manuscr. quibuscum consentiunt impressi Parisiens. & Veneti antiquiores. ire autem valet interdum idem, quod *interire*. nam & *abiisse* dixisse veteres pro *obiisse* testatur Festus. DEPERDERE SENSVM] quidam libri veteres habent *disperdere.* INDE PEDES ET CRURA] Sic apud Platonem in Phædonē. extremo Socrati hausto iam pharmaco, cum aliquantisper ambulasset, & mox supinus recubisset, pedes & crura primum frigore correpta sunt: deinde tibiæ: postremò sensim vis pharmaci pestiferi ad cor pervenit, & ita ille animam efflavit. QUOD SI FORTE PVTA S] occupatio, seu *ἀπορία*. Quod si forte arbitraris (inquit) animam se posse in vnum contrahere, & introsum recipere, totamque vim suam è membris omnibus deducere: hoc posito & concessò, sequetur necessariò eum locum, in quem sese receperit, & contraxerit, egregiè sentire, ac sapere: atqui id nō fit: ergo, dispergitur, ac dissipatur, & ita interit. CONDUCTIBERE IN VNVM] conducere *ἀναγωγεῖν*, contrahere. GLOMERARI]

in vnum cogi, & contrahi. AN CONTRACTIS IN SE PARTIBVS OBRVTESCAT] sic legitur hic versus apud Nonium Marcell. in nomine *brutum*. *brutum* (inquit) dicitur hebes & obtusum, Lucretius & c. Festus, *obbruit, obstupuit à bruto: quod antiqui pro gravi, interdum pro stupido dixerunt.* Affranus. nō possum verbum facere: *obbruit*. Nihil refert utrum anima dispersa & discerpta intereat, an contractis & conductis in se partibus obstupescat & sensus suos amittat: quod fieri videmus in homine moribundo.

*Et quoniam mens est hominis pars vna, locoque
Fixa manet certo, velut aures, atque oculi sunt,
Atque alij sensus, qui vitam cunque gubernant:
Et veluti manus, atque oculus, naræ sue seorsum
Secreta à nobis nequeunt sentire, neque esse:
— Sed tamen in parvo linguuntur tempore tali,
Sic animus per se non quit sine corpore, & ipso
Esse homine, illius quasi quod vas esse videtur,
Siue aliud quiduis potis es coniunctus eij
Fingere, quando quidem connexus corpori adhæret.
Denique corporis, atque animi vinata potestas
Inter se coniuncta valent, vitæque fruuntur.
Nec sine corpore enim vitæ aleis edere motus
Sola potest animi per se natura, nec autem
Cassum anima corpus durare, & sensibus uti.
Scilicet, auolsis radicibus ut nequit ullam
Displicere ipse oculus rem seorsum corpore toto:
Sic anima, atque animus per se nil posse videntur:
Nimirum, quia per venas & viscera mistim,
Per nervos atque ossa tenentur corpore ab omni:
Nec magnis intervallis primordia possunt
Liberâ dissultare: idè conclusa moventur
Sensiferos motus, quos extra corpus in auras
Aëris haud possunt post mortem eiecta moveri:
Propterea quia non similivatione tenentur.
Corpus enim, atque animans erit aër, si cobibere
Sese anima, atque in eos poterit concludere motus,*

Quos ante in nervis, & in ipso corpore agebat.
 Quare etiam atque etiam resoluto corporis omni
 Tegmine, & eiectis extra vitalibus auris,
 Dissolui sensus animi fateare necessest,
 Atque animam, quoniam coniuncta est causa duobus.

ET QUONIAM MENS EST] argumentum octauum. mens, hominis pars est, ut manus, oculus, &c. at pars à toto homine separata, nec sentire, nec esse potest. ergo animus sine corpore constare non potest. docuit autem supra animum esse hominis partem, ut caput, aurem, manum, &c. cet. ibi. Primum animum dico, mentem quem saepe vocamus, in quo consilium, &c. Esse hominis partem nihilominus ac manus, ac pes, &c. et. NEQUEANT SENTIRE] sic habent duo lib. manu scripti. alij nequeunt. SED TAMEN IN PARVO, &c.] hunc versum non puto esse Lucretianum, Itaque delendum censeo. quidam doctus eum ita legendum putat. Sed tamen in paruo liquuntur tempore tali. ILLIUS QUASI QUOD VAS] Plato in Timæo σῶμα, hoc est corpus, ait esse ψυχῆς ὄχημα, id est animæ vehiculum: In Cratylo σῆμα: id est sepulcrum. Xenocrates in Axiocho, σκῆνος id est tabernaculum, & domicilium. M. Tull. lib. I. Tuscul. Nosce animum tuum. nam corpus quidem quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum. SIVE ALIUD QUID VIS POTIS ES] sic legendum, non potius. potis es autem valet potes. quidam legunt, pōsisis. CONIUNCTIVS EIT] quidam libri veteres habent, connectius. ex qua scriptura videtur legendum connexus est. CONNEXVS CORP. ADH.] cum reperissem in duobus lib. manu. connexus corpori adhaeret, reposui corpori, addita vocali. CASSVM] inane, vacas. Virg. Æn. II. Nullum cum victis certamen & atbere cassis. Horat. saty. 5. lib. 2. Contemtu cassa nuce pauperet. CONCLUSA MOVENTVR SENSIF. MOTVS] primordia animi (inquit) in corpore inclusa, non possunt magnis intervallis euagari, atque discurrere: sed moventur motus sensiferos, & vitales: mortuo autem homine, non iam continentur vinculis, sed soluta, & libera diffugiunt, & discurrunt maioribus intervallis. moventur autem restitui, cum antea legeretur, movebunt, secutus quattuor libr. manuscriptos. atque ita loquitur non solum Latini, verum etiam Græci. Aristot. lib. I. de anima: ἢν κίνησιν τὸ σῶμα κινῆται, τὰς γὰρ ψυχῆς κινήσεις: id est quem motum corpus movetur, hunc motum movetur & animus. Thucyd. lib. I. κείνην δὲ σῆμα. sita situm. EIECTA MOVERI] sic legendum, non mouere, ut est in vulgatis. coniunge autem hæc, eiecta in auras. CORPVS ENIM, ATQVE] si animi primordia, seu animi ipsi simili ratione extra corpus sese cohibere, atque in eisdem motus concludere poterunt, atque in corpore: aer corpus, & animans erit. at hoc absurdum: ergo &c. lectionem vulgaram non sum secutus hoc loco: quæ talis est. Corpus enim aquæ animis erit aer, &c. Nam cum manuscripti sic habeant, Corpus enim atque animam ferit aer: ex hac aliquantulum corrupta scriptura, rectam & emendatam feci, Corpus enim atque animans erit aer, &c.

ATQVE ANIMAM] quidam legunt, Atque animæ. quod non improbo.

Denique cum corpus nequeat perferre animam
 Discidium, quin id tetro tabescat odore:
 Quid dubitas, quin ex imo, penitusque coorta
 Emanarit, uti fumus, diffusa animæ vis?
 Atque ideò tanta mutatum putre ruina
 Conciderit corpus penitus, quia mota loco sunt
 Fundamenta foras animæ, manantque per artus,
 Perque viarum omneis flexus, in corpore qui sunt,
 Atque foramina? multi modis ut noscere possis
 Dispertitam animæ naturam exisse per artus,
 Et prius esse sibi distractam corpore in ipso,
 Quam prolapsa foras enaret in aëris auras.
 Quin etiam fineis dum vitæ vertitur intra,
 Sæpe aliqua tamen è causa labefacta videtur
 Ire anima, & toto solui de corpore membra,
 — Et quasi supremo languescere tempore voltus:
 Quod genus est animo male factum cum perhibetur,
 Aut animam liquisse, ubi iam trepidatur, & omnes
 Extremum cupiunt vires reprendre vinculum.
 Conquassatur enim tum mens, animæque potestas
 Omnis, & hæc ipso cum corpore conlabefiunt:
 Ut grauior paullo possit dissolvere causa.
 Quid dubitas tandem, quin extra prodita corpus
 Imbecilla foras, in aperto, tegmine demto,
 Non modo non omne incolumis durare per ævum,
 Sed minimum quoduis nequeat consistere tempus?
 Nec sibi enim quisquam moriens sentire videtur
 Ire foras animam incolumem de corpore toto,
 Nec prius ad iugulum, & superas succedere fauces:
 Verum deficere in certa regione locatam:
 Ut sensus alios in parti quenque sua scit
 Dissolui. quod si immortalis nostra foret mens:
 Non iam se moriens dissolui conquereretur:

Sed magis ire foras, vestemque relinquere, ut anguis,
Gauderet, prae longa senex aut cornua ceruus.

DISCIDIVM] sic legendum, & ita scriptum est in membranis calamo exaratis. QVINID] corpus. PENITVSQVE] ex intimis, atque abditis hominis partibus, & quod proximè dixit, ex imo. VTI FVMVS DIFFVSA] sic Epicurus. *Καὶ μὲν ἐν λυσιθρασί τῆ δὲ ἀδρῆστου, ἢ ψυχῆ διασπείρεται* id est Atqui ubi dissolvitur tota summa: id est totum animal, dispergitur anima. QVINETIAMFINEIS] aliud argumentum. Quinetiam (inquit) anima interdum in ipso corpore labefactata interire videtur, & membra omnia dissolui: ergo multo magis, cum erit extra corpus, interibit. LABEFACTAVIDETVRIREANIMA, &c.] ire, id est abire, & interire, ut alibi diximus. secutus sum autem cod. manuscr. nam vulgati sic habent *labefacta videtur, Molliaque ex angui cadere omnia corpore membra, Et quasi supremo, &c.* atque hic proximus versus, quavis eum retinuerim, non videtur mihi Lucretianus. ANIMO MALEFACTVM] genus loquendi vltatum veteribus, cū significare volebant *λεῖπο ψυχῆς*, seu animi defectiōnem. Plaut. milite glor. *Postquam abs te abiit, animo malefactum est huic repente misera.* & alicui malefactum dicebant, cui aliquid incommodi euenisset. ut idem ibidem. *Nescio quid malefactum nostrae huic familiae est. contra bene factum. & melius factum.* M. Tull. Tuscul. lib. 1. *Præterea Pompeio nostro familiari, cum graviter aegrotaret Neapoli, melius est factum.* Terent. Andr. *factum bene. metui à Chryside.* ATQVE ANIMAM LIQVISSE] *λεῖπο ψυχῆς* nominant Græci: id est animi defectiōne: Aristot. *ἅμα ὕπνος ἐν ἐγρηγόρησι. ἀνωμαλία τῶν αἰσθησῶν ἢ λεῖπο ψυχῆς*: id est animæ defectio est sensuum debilitas. sic apud Homerum Hector ab Aiace lapide percussus animo, & corpore concidit *ἰλ. β. ΠΡΟΔΙΤΑ*] id est foras edita, & prolata, ut sup. lib. 2. *Autè aliqua tangi partum, quam proditur extra. profert hunc versum Festus in voce prodita.* TEGMINE DEMTO] corpore detracto, quod animæ est tegmē. NON MODO NON OMNE INCOLVMIS DVRE.] hunc versum restitui ex lib. 5. princip. *Nec posse incolumis magnum durare per ævum.* ET SVPERASVCCEDEREFAVCEIS] sic habent libri manu scripti, succedere autē, id est sursum cedere, & ascendere, ut sup. lib. 2. *per auras Aëris expressæ sursum succedere.* & lib. 5. *Nunc iacet as, aurum in summum successit honorem.* IN PARTI] in parte. ut sæpe aliàs. QVOD SI IMMORTALIS] hanc huius versus partem, cum duobus deinceps sequentibus, & principio quarti profert Lucretius lib. 7. de diuino præmio. VTI ANGVIS GAUDERET] Virg. Georg. 3. *Cum possitis novus exavis, nitidusque iuventa Voluitur.*

Denique cur animi nunquam mens, consiliūque
Gignitur in capite, aut pedibus, manibusque: sed vnus
Sedibus, & certis regionibus omnibus hæret.
Si non certa loca ad nascendum reddita cuique

Sunt: & vbi quicquid possit durare creatum?
Atque ita multi modis pro totis artibus esse,
Membrorum ut nunquam existat præposterus ordo.
Usque adeo sequitur res rem, neque flamma creari in
Fluminibus solita est, neque in igni gignier algor.
Præterea, si immortalis natura animæ sit,
Et sentire potest secreta à corpore nostro:
Quinque (ut opinor) eam faciundum sit sensibus auctam:
Nec ratione alia nosmet proponere nobis
Possumus infernas animas Acherunte vagare.
Pictores itaque, & scriptorum sæcla priora
Sic animas introduxerunt sensibus auctas.
At neque seorsum oculi, neque nares, nec manus ipsa
Esse potest anima: neque seorsum lingua, neque aures
Absque anima per se possunt sentire, nec esse.
Nec sensus ipsi seorsum consistere possunt
Naribus, atque manu, atque oculis, atque auribus, atque
Lingua: nec per se possunt sentire, nec esse.

ANIMINVNQVAM MENS] lib. 4. *Mens animi vigilat.* ET VBI QVIQVID] sic legendum, non, ut in vulgatis, *quicquam, quicquid* autem id est *quicque*, ut sæpe aliàs, tum apud hunc scriptorem, tum apud alios. ATQVE ITA MULTIMODIS, &c.] hunc versum & proximum delendos censeo, ut spurios, & à nescio quo temere inculcatos. non pigebit me tamen admonere lectore, hunc priorem versum non vno modo legi: sed in quibusdam scriptis sic: *Atque ita multi modis in totis artibus esse.* in vno *Atque ita multi modis per totis*, in aliis: *Atque ita multi modis per totis, &c.* in vulgatis nonnullis *Atque ita multi modis pro totis*: in Parisiensibus. *Atque ita multimodis de totis, &c.* Omnino his versibus deletis sententia manebit integra, eritque planissima. CREARI IN FLVMINIBVS] sic legendum, non ut in vulgatis *creari Fluminibus* sine præpositione. ALGOR] frigus. utitur & eodem nomine in quarta declinatione infra eod. lib. Sollicitæ volitant morbis, algūque, famēque. PRÆTEREA SI IMMORTALIS, &c.] aliud argumentum. Si anima à corpore seuncta, sentire potest: ergo erit quinque sensibus prædita: at neque sine oculis, & naribus, &c. sensus esse possunt: neque oculi, & nares, &c. sine anima: ergo anima à corpore semota non sentit: ergo non est immortalis. Hoc argumentum refelli potest ex iis quæ sunt apud M. Tull. lib. 1. Tuscul. *animos per se viventes non poterant mente cō-*

plecti formam aliquam, figuramque querebant. sequitur paucis interpositis. *has tamen imagines loqui volebūt: quod fieri nec sine lingua, nec sine palato, nec sine faucium, laterum, pulmonum vi, & figura potest. nihil enim animo videre poterant: ad oculos omnia referebant. Magni autem ingenij est reuocare mentem à sensibus, & cogitationem à consuetudine abducere.* EAM FACIENDVM EST] id est eam facere oportet: τὸν τέρψ. suprā notauimus hoc loquendi genus, admonimusque esse huic scriptori familiare. NEC RATIONE ALIA, &c.] possemus, si cogitationem à consuetudine abducere possemus, vt scribit M. Tullius: & si mente complecteremur animos aliam solos, & per se vitā viuenteis, quā cum in corporibus inclusi sunt. ACHERVNTE VAGARE] vt videre licet apud Homerum, & Virgil. *Acherunte* autem excudendum curauit, quemadmodum scriptum est in membranis calamo exaratis. dicebant enim veteres *Acheruns Acheruntis*. Plautus Amphitr. *Verbero, etiam quis ego sim, me rogitas, vltimorum Acheruns?* Tum *vagare* excudi volui, cum in duobus manuscriptis ita scriptum reperissem, in toridem *vacare*. *vagare* autem idem valet, quod *vagari*: eoque verbo vitur & Plaut. Mil. *glor. te alloquor, vitij, probrique plena, quæ circum vicinos vages.* quidam reposuerunt *vocari*: quæ scriptura quanquam reperitur etiam in quibusdam scriptis, non probatur mihi tamen. SENSIBVS AVCTAS] præditas. sic Catull. carm. de Manl. & Iul. nupt. *quæ nullis sensibus aucta* Nec *missas audire queūt, nec reddere voces.* AT NEQVE SEORSVM] in voce seorsum e. & o. coeunt in vnam syllabam, quod non est nouum præsertim huic poëtæ. Nam quod P. Victorius seorsum legendum censet, testificans ita legi in quibusdam libris veteribus, ego quinque libros manuscriptos data opera hoc loco iterū consului, cum antea eos accuratè cum vulgatis contulissem: Sed liquidò iurare possum in eis sine vlla varietate scriptum esse seorsum. IPSA ESSE POTES ANIMA] sic legendum, non vt quidam putant, animæ. cohæret enim cum voce seorsum, vt sit seorsum ipsa anima, id est seorsum ab ipsa anima. ABSQVE ANIMA PER SE POSS.] sic legendum: non vt quibusdam manuscript. & omnibus vulgatis, *Auditum per se, &c.* nam sentire communiter pertinet ad oculos, naris, manū, linguam, aureis, non ad aureis tantum. At si legeremus auditum sentire, ad aureis tantum pertineret: vt taceam, quod Latine dici non potest, sentire auditum, pro audire. Docti complures existimant inter hunc versum, & eum qui proximè sequitur, cuius initium est, *Et quoniam toto, &c.* aliquot versus deesse. Et certe ita videtur, si quis attente consideret Lucretij sensum & argumentum. Alia ratione (inquit) nobis proponere non possumus animas apud inferos vagari, quā si quinque sensibus præditas faciamus. At neque oculi, neque nares, neque manus, neque lingua, neque aures sine anima per se possunt sentire, nec esse: nec pariter sensus sentire aut esse possunt sine oculis, naribus, manibus, lingua, naribus: ergo fieri non potest, vt animæ sint sensibus præditæ, cum oculis, naribus, &c. careant. Videtur igitur tales quidam tres versus deesse: quos ascribam, non vt pro Lucretianis habeantur: non ita insano: sed vt lector veluti oculis cernat, ita esse, vt docti viri suspicantur, nempe talis quosdam versus desiderari. *Nec sensus ipsi seorsum consistere possunt*

possunt Naribus, atq; manu, atque oculis, atque auribus, atque Lingua, nec per se possunt sentire, nec esse. fieri autem potuit, vt cum versus Lucretianus hoc loco ita desineret, vt ille qui est suprā, *sentire, nec esse*, librarius scriptor superiore illo versu scripto, deceptus extremorum similitudine, tres versus præterierit, & ita ad versum, *Et quoniam, &c.* transierit.

*Et quoniam toto sentimus corpore inesse
Vitalem sensum: & totum esse animale videmus:
Si subito medium celeri præciderit ictu
Vis aliqua, vt seorsum partem secernat vtranque:
Dispertita procul dubio quoque vis animæ,
Et discissa simul cum corpore disicietur.
At quod scinditur, & parteis discedit in vllas,
Scilicet æternam sibi naturam abnuit esse.
Falciferos memorant currus abscindere membra
Sæpe ita desubito permista cæde calenteis,
Vt tremere in terra videatur ab artibus id quod
Decidit abscissum: cum mens tamen, atq; hominis vis
Mobilitate mali non quit sentire dolorem:
Et simul, in pugnae studio quod dedita mens est,
Corpore cum reliquo pugnam, cædeisque petessit:
Nec tenet amissam læuam cum tegmine sæpe
Inter equos abstraxe rotas, falceisque rapaceis:
Nec cecidisse alius dextram, cum scandit, & instat.
Inde alius conatur adempto surgere crure,
Cum digitos agit propter moribundus humi pes:
Et caput abscissum calido, viuenteque trunco,
Seruat humi voltum vitalem, oculosque patenteis:
Donec reliquias animæ reddidit omneis.
Quin etiam tibi si lingua vibrante minantis
Serpentis caudam procero corpore, vtrinque
Sit libitum in multas parteis discindere ferro:
Omnia iam seorsum cernes ancisa recenti
Vulnere tortari, & terram conspergere tabo:
Ipsam seque retro partem petere ore priorem,*

*Volneris ardenti ut morsu premat ista dolore.
 Omnibus esse igitur totas dicemus in illis
 Particulis animas? at ea ratione sequetur
 Vnam animantem animas habuisse in corpore multas.
 Ergo diuisa est ea, quæ fuit vna simul cum
 Corpore: quapropter mortale vtrumque putandum est,
 In multas quoniam partes discinditur æquæ.*

ET QUONIAM TOTO SENTIMVS, &c.] Cum totum hominis corpus sit animale: id est cum tota anima per totum corpus pertineat & permânet, sequitur, ut corpore humano diuiso, ipsa quoq; diuidatur. At quod diuiditur, mortale est: ergo &c. nemo est qui non videat hoc argumentum esse valde infirmum. **ABNVT**] negat. **FALCIFEROS MEMORANT CVRRVS**] ἄρματα δευτερεύουσα: quæ sic describuntur à Xenophonte lib. 6. Cyri institution. πολυμηρία κατεπέλευσαν ἄρματα τροχῶν τε ἰχυρῶν, ὡς μὴ ῥαδίως πιυθῆνται, ἀξοὶ τε μακρῆς. ἥ τιλον ἃδ ἀνατέπειται πάντι τὰ πλατέα, τὴν δὲ δέφερον τοῖς ἠνιόχοις ἐποίησεν, ὅσπερ πύργον ἰχυρῶν ἐξέλεον. ὕψος δὲ τέτων ὅτι μίχι τῶν ἀκῶων, ὡς δούωνται ἠνιόχοι εἰς οἶπτοι ὑπὸ τῶν δέφρων. τὸς δ' ἠνιόχους ἐδεύευσεν πάντας πλὴν τῶν ὀφθαλμῶν. ἀρεστὲ δὲ καὶ ἐξ ἑλπίων αὐτῶν ἀπὸ τῶν δέφρων, ὡς εἰπιχέα, ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν ἐξέλεον τῶν τροχῶν: ἣ ἀλλὰ ἔπειτα ὑπὸ τῶν ἀξοῶν εἰς ἡλὴν βλέπονται, ὡς ἐμβαλοῦτων εἰς τὸς ἑσπερῶν τοῖς ἄρμασι: id est, Currus bellicos fabricandos curauit ex rotis validis, ne facile comminuerentur, & axibus longis: minus enim euertuntur omnia, quæ lata sunt. sellam autem aurigis fecit tanquam turrim ex lignis validis cōstruētam. altitudo porrò earum est vsque ad cubitos, ut possint equi supra fellas aurigari. Aurigas verò armavit totos, præter oculos. addidit autem etiam axibus falceis ferreas. circiter duorum cubitorum ex vtraque parte rotarum: & item alias infrà sub axe in terram versas, tanquàm huiusmodi curribus in hosteis impetum facturis. Idem Lucret. lib. 5. *Et biungo prius est, quàm bis coniungere binos, Et quàm falciferos inuentum ascendere currus.* & Veget. lib. 3. de re milit. cap. 24. *Quadrigas falcatas in bello rex Antiochus & Mitbridates habuerunt. Quæ ut primum magnum in acie intulere terrorem, ita postmodum fuerit derisui.* **PERMISTA CAEDE CALENTEIS**] sic legendum, & ita habent libri veteres, non cadentis, aut cadentum. & ita lib. 5. *Nequicquam: quoniam permista caede calentes Turbabani sæui nullo discrimine turmas.* **IN PVGNÆ STUDIO QVDD DEDITA**] in studio dedita, genus loquendi notandum, quo vtebantur veteres. sic lib. 4. *Præterquam quibus est in rebus deditus ipse?* & Catull. in Lul. & Manl. nuptias. *in mala Deditus vir adultera.* **CAEDEIS QVE PETESSIT**] sic habent libri manu scripti. vtitur eodem verbo M. Tull. Tuscul. 2. *qui hanc laudem petessunt, nullum fugiunt dolorem.* Idem 2. de cōsulatu. *Mentēque diuina calum, terrāque petessit.* Festus. *Petessere antiqui pro petere dicebant, ea quidem forma verbi, qua sunt laceessere, & incessere: sed ut mihi videtur, tum eo significabant sapius petere: ut petessant, sapius petant. nonnulli petissit dici volunt, non petessit.* **NEC TENET AMISSAM,**

&c.] ordo verborum est. nec tenet: id est & nescit sapere rotas, & falceis rapaceis inter equos abstraxisse manum læuam vnā cum regmine: id est clypeo, aut scuto. *abstraxe* positum pro abstraxisse: qualia sunt illa, *promisse* apud Catull. *diuissē* apud Horat. *produxē* apud Terent. & similia. **NEC CECIDISSE ALIVS DEXTRAM**] sic apud Virg. lib. 10. *Te decisa tuum laide dextera quatit, Semianimē(que micant digiti, ferrūmque retractant.* quod Virg. ex Ennio expresit, ut admonet Seruius. *Ofscitat in campis caput à ceruice repulsum Semianimē(que micant oculi, ferrūmque retractant.* **CVM SCANDIT**] ascendit vel in muros, vel in equum, vel in currum. **QVINETIAM TIBI S I**] dilemma. si quis serpentis caudam in plureis partes diuidat: singulas parteis videmus moueri, & circumagi. alterum igitur è duobus verum est, vel in singulis partibus singulas inesse animas totas, atque integras: vel animam esse dissectam & discissam. si illud dices, falsum dices: sin alterum, ergo animam mortalem esse fatendum est. quicquid enim diuiditur, mortale est: Huius rei extat exemplum apud Virg. lib. 5. *Æneid. Qualis sæpe via deprensus in aggere serpens, Arca quem obliquum rota transiit, aut grauis icū Seminecem liquit saxo, lacrimūque viator.* **LINGVA VIBRANTE**] id est emicante, & coruscante. Virgil. *Æneid. 2. Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.* **MINANTIS SERPENTIS CAUDAM PROC. CORP.**] sic reperi scriptum in membranis calamo exaratis, cum quibus conspirant exempla Parisiensia typis impressa. caudam autē proccero corpore: id est caudam procceram. **VTRINQVE**] sic legendum videtur potius, quàm *vtrumque*. **ANCISA**] sic habent duo codices manu scripti. Vaticanus, & Bertinianus: quos secutus sum. *ancisa* autem valet circuncisa. *an* enim in compositione valet circum, vtrā aliā notauimus. alij habent *incisa*. **OMNIBVS ESSE IGITVR,** &c.] lege interrogando. **AT EA RATIONE**] at ea ratione: id est si quis dicat omnibus in partibus serpentis totas & integras esse animas, sequetur vnū animal plures animas habuisse: quod falsum est. vna est enim enim vnus animalis anima. **ERGO DIUISA S T**] altera pars dilemmatis.

*Præterea si immortalis natura animæ
 Constat, & in corpus nascentibus insinuat:
 Cur super anteaetam ætatem meminisse nequimus?
 Nec vestigia gestarum rerum vlla tenemus?
 Nam si tant opere est animi mutata potestas,
 Omnis vt actarum exciderit retinentia rerum:
 Non (vt opinor) ea ab leto iam longiter errat.
 Quapropter fateare necesse est, quæ fuit antè,
 Interiisse: & quæ nunc est, nunc esse creatam.
 Præterea si iam perfecto corpore nobis
 Inferri solita est animi viuata potestas,*

*Tum cum gignimur, & vita cum limen inimus:
Haud ita conueniebat, uti cum corpore, & vna
Cum membris videatur in ipso sanguine cresse:
Sed velut in cauea per se sibi viuere solam.
— Conuenit, ut sensu corpus tamen affluat omne.
Quare etiam atque etiam neque originis esse putandum est
Experteis animas, nec leti lege solutas.
Nam neque tantopere adnecti potuisse putandum est
Corporibus nostris extrinsecus insinuatam,
Quod fieri totum contra manifesta docet res.
(Nanque ita connexa est per venas, viscera, nervos,
Ossaq; uti dentes quoque sensu participantur,
Morbus ut indicat, & gelidam stringor aquam,
Et lapis oppressus subito de frugibus asper.)
Nec tam contexta cum sint, exire videntur
Incolumes posse, & saluas exsoluere sese
Omnibus è nervis, atque ossibus, articulisque.*

ET IN CORPVS] quod volebant Pythagorei: & quidem quamlibet animam, in quoduis corpus introire, quod non probatur Aristoteli, sic enim ille lib. 1. de anima. *ὅτι δὲ τὸ δέξομαι σώματος ἐστὶν ἐν ποσειδοείῳ, ὡς αἰεὶ ἐν δὲ ξύμῳ κατὰ τὸν πύδα γένεσιν ὡς δὲ τὴν πύδα. ἢ χλὴ εἰς τὸ πύδα ἐν δὲ ξύμῳ σώματος. δὲ τὸ δὲ ξύμῳ ἰδὸν ἐστὶν ἐν δὲ ξύμῳ ἢ ποσειδῶ:* id est de corpore autem animam recepturo nihil præterea definiunt: quasi fieri possit iuxta fabulas pythagoricas, ut quælibet anima in quoduis corpus ingrediatur. Videtur enim vnumquicque propriam speciem & formam habere. **CVR SVPER ANTEACTAM]** inter hunc versum, & eum qui deinceps sequitur, inculcatus erat hic versus alieno loco, *Intervisse, & quæ nunc est, &c.* quem ego deleui, & suo loco referuavi, nempe post sextum ab hinc versum. **OMNIS VT ACTARVM]** libri manu scripti hoc loco inter se non cõsentiunt. alij enim habent: *Omnis ut actarum*, quemadmodum excudendum curauimus: alij *Omnium, &c.* **RETINENTIA]** nomen Lucretianum, & aliis, quod sciã, inuistatum: quod significat, opinor, *ἀνέμνησι*, siue *μνήμη*, id est recordatione, seu memoriam rerum præteritarum: vel (ut quidam malunt) continuationem quandam partium, ex quibus constamus, permanentem. **NON, VT OPINOR, BA]** animi potestas. **LONGITER ERRAT]** sic reposui ex Charisio: qui hunc versum proferens lib. 2. instit. gramm. ita legit. *Longiter.* Lucretius lib. 3. *Non, ut opinor, ea à leto iam longiter errat.* **PRAETEREA SI IAM PERFECTO]** præterea (inquit) si anima ingreditur

in corpus iam perfectum: non cõueniebat eam ita viuere in corpore, quasi vnã cum corpore nata esse, & creuisse videatur: sed potius erat consentaneum eam ita, ut auem in cauea, viuere sibi, & solam, hoc est à corpore separatam: quemadmodum auis in cauea inclusa, à cauea separata est. **HAVD ITA CONVENIEBAT]** viuere. **CONVENIT VT SENS V, &c.]** huc versus quis non videt non esse Lucretij, sed alicuius indocti, aliquid deesse existimantis? **NAM NEQVE TANTOPERE, &c.]** cum hoc versu copulatur ille alter, qui est ab hoc octauus, cuius principium est: *Nec tam contexta cum sint, &c.* ut sit hæc huius loci sententia: *Nam neque putandum est animas tantopere potuisse cum corporibus connecti, si extrinsecus in corpora intrassent: quas tamen videmus magnopere esse connexas: nec, cum sint ita cum corporibus connexæ, & cõtextæ, credibile est è corporibus exire incolumeis posse.* **VTI DENTES QVOQVE SENS V PARTICIPENT VR]** id est sensus participes sint. **MORBVS]** dentium scilicet, quidam tamẽ ad morbum totius corporis, & febrẽ referunt: quia interdum dolorem ex morbo natum sequitur dentium stridor, & crepitus. **STRINGOR AQUA]** frigus aquæ, quo dentes perstringuntur. **SVBITO DE FRUGIBVS]** omnes quidem codices, quos quidem viderim, sic habent, *Et lapis oppressus subitis è frugibus asper:* sed quibusdam placet legi, *subito de frugibus, &c.* aliis, *sub denis è frugibus asper.* **NEC TAM CONTEXTAE CVM SINT]** id est connexæ, ut supra.

*Quod si fortè putas extrinsecus insinuatam
Permanare animam nobis per membra solere:
Tanto quæque magis cum corpore fusa peribit.
Quod permanat enim, dissoluitur: interit ergo.
Dispertitur enim per caulas corporis omneis:
Ut cibus, in membra, atque artus cum diditur omneis,
Disperit, atque aliam naturam sufficit ex se:
Sic anima, atque animus, quamuis integra recens in
Corpus eunt, tamen in manando dissoluiuntur:
Dum quasi per caulas omneis diduntur in artus
Particula: quibus hæc animi natura creatur:
Quæ nunc in nostro dominatur corpore nata
Ex illa, quæ tunc perit partita per artus.
Quapropter neque natali priuata videtur
Esse die natura animæ, nec funeris expers.
Semina præterea linquntur, necne animam
Corpore in exanimis? quod si linquntur, & insunt:*

*Haud erit, ut merito immortalis possit haberi,
Partibus amissis quoniam libata recessit.
Sin ita sinceris membris ablata profugit:
Ut nullas partes in corpore liquerit ex se:
Vnde cadauera rancenti iam viscere vermeis
Exspirant? atque vnde animantium copia tanta
Exos, & exanguis tumidos perfluctuat artus?*

QVOD SI FORTE] *ἀντιποπο εἶ*. dicit aliquis animam ita insinuari in corpus, ut per omnia membra permānet. At si hoc dabimus, (inquit) tanto magis anima homine mortuo, diffusa interibit. nam quicquid permanat, facile dissolvitur. DIDITVR] distribuitur, dimanat, diffunditur: non, ut vulgus, *diuiditur*. PERCAVLA S] per inania, per foramina, & meatus. DISPERIT, ATQVE ALIAM, &c.] cum cibum oporteat esse similem ei, quod alitur, si futurum est, ut alae vtrumque autē sit similis, cum concoctus fuerit: antē quā autem concoquatur, contrarius sit ei, quod alendum est: necessariō cibus in aliam naturam cōmutari debet prius quā alere possit, quoniam nisi cōmutetur, cōcoqui non potest. SVFFICIT] suppeditat, subministrat, præbet, *παραίτει*. QVAE TVNC PERIIT PARTITA] quæ tunc commutata est, cum est didita, & distributa per artus: quemadmodum diximus cibum disperire, & commutari antē quā alere possit animantem. libri manuscrip. tamen habent: *que tum perit at partita, &c.* SEMINA PRAETEREA LINQVUNTNR] aliud argumētum, quod constat dilemmate, hoc modo. cum anima excedit ē corpore: aliquāne sui semina reliquit in corpore, an tota abit nullis relictis sui in corpore reliquiis? si eam aliqua semina relinquere dices: ergo non abit incolumis, neque integra: sin nulla prorsus: vnde nascuntur vermes in cadaueribus? HAUD ERIT VT MERITO] *οὐ ἔστιν ἄποπο*. non poterit contingere, ut. QVONIAM LIBATA] libata: id est deminuta. tralatio est à libaminibus, in quibus de vino, quod libatur, id est funditur, aliquid detrahitur. quidam tamen legunt *limata*, ut sit tralatio à lima. alij *librata* legi malunt. *librata* autem interpretantur *delibrata*, id est extenuata, & deminuta, ut infr. in extr. *nec delibrare valemus Tempore de mortis*. VNDE CADAVERA RANCENTI, &c.] secutus sum codicem Vaticanum & Bertinianū, & Memmian. & plerosque impressos. nam in Faërnian. & Tethia, & nonnullis impressis legitur, *Vnde cadauere rancenti*. huius autem scripturæ, quam secutus sum, videtur mihi probabilior ratio reddi posse, quā alterius. Si anima (inquit) ex corpore ita sincera, & integra excedit, ut nullam sui partem in eo reliquerit: vnde cadauera ē viscere rancenti vermeis edunt? atque ita *vermeis* erit legendum in quarto casu: & *expirant* significabit actionem quandam, ut lib. 2. *Sanguinis expirans calidum de pectore flumen*: & lib. 4. *Praeterea quacunque suo de corpore odorem Exspirant aciem*. & *exhalat* apud eundem

lib. 5. *Pulueris exhalat nebulam*. Si quis tamen alteram scripturam probabit magis, non repugnabo. EXOS ET EXANGVIS, &c.] Nonius hunc versum profert in nomine exos. TVMIDOS PERFL.] id est per tumidos artus fluctuat. eiusdem generis est illud Horatianum epist. 1. lib. 1. *Est mihi purgatam crebrò qui perfonet aurem*.

*Quòd si fortè animas extrinsecus insinuari
Vermeis, & priuas in corpora posse venire
Credis, nec reputas cur millia multa animarum
Conueniant, vnde vna recesserit: hoc tamen est, ve
Quarendum videatur, & in discrimen agendum:
Vtrum tandem animæ venentur semina quæque
Vermiculorum, ipsæque sibi fabricentur, vbi sint:
An iam corporibus perfectis insinuentur.
At neque, cur faciant ipsæ, quarè ve laborent,
Dicere suppeditat. neque enim, sine corpore cum sunt,
Sollicitæ volitant morbis, algûque, famæque.
Corpus enim magis his vitis, & sine laborat,
Et mala multa animus contagi fungitur eius.
Sed tamen his esto quamuis facere vtile corpus,
Cum subeant: at quâ possint, via nulla videtur.
Haudigitur faciunt animæ sibi corpora & artus.
Nec tamen est, ut iam perfectis insinuentur
Corporibus. neque enim poterunt subtiliter esse
Connexæ: neque consensu contagia fient.*

QVOD SI FORTE ANIMAS] *ἀντιποπο εἶ*. At dices (inquit) fortasse animas extrinsecus in vermeis insinuari. primū absurdum est dicere tota millia animarum eō conuenire, vnde vnica anima decesserit: deinde quarendum & dubitandum est, vtrum animæ captent & exquirant primordia vermiculorum, & ex iis ipsæ sibi corpora fabricentur, an in corpora vermiculorum iam perfecta ingrediantur. dilemma est. hunc versum & cum qui proximè sequitur, profert Nonius Marcellus in voce *prima*. *Prima* autem docet antiquos dixisse pro singulis. ET IN DISCRIMEN AGENDVM] id est in controuersiam vocandum, *ἰσχυρὸν ἄποπο*. IPSAEQVE SIBI FABRICENTVR, VBI SINT] & ipsæ sibi domicilia fabricentur, in quibus habitent. ANTIAM CORP. PERT.] sic legendum, ut vestigia scripturæ veteris indicant. AT NEQVE CVR FACIANT] prior pars di-

lemmatis. at neque datur dicere, cur ipsæ sibi domos fabricentur. *suppedi-*
ant, id est suppedatur, aut suppetit, licet. **NE QVE ENIM, SINE**
CORP.] ratio quare animæ ipsæ sibi domos non fabricentur: quia (inquit)
 sine corporibus non ægrotant, non algent, non esuriunt. his enim incom-
 modis corpus quidem afficitur, animus autem liber est. **ALGVQVE**] Pri-
 scianus lib. 5. aut vetus nescio quis apud eum grammaticus inextr. docet
 vsurpari à Latinis *algor is*, in tertia inflexione, & *algu, us*, in quarta, ut mi-
 nimè dubitandum sit, quin ita legendum sit, non *algoque*. nam quanuis sic
 habeant libri manuscripti, nihil hoc me mouet, cum sciam librarios illos
 sæpe o pro u: & u pro o scribere solitos esse. adde quòd Sosipater Charis-
 sius lib. 1. norat *algu* dictum esse à Latinis, profertque locum ex Plauto in
 Rudente, *tu vel suda, vel peri algu*. Idem ille grammaticus apud Priscianum
 citat alium locum Plauti in Vidularia *Inopiam, luctum, merorem, paupertatem,*
algu, famem. obstat his Nonius, qui hunc locum proferens, legit *algoque, fa-*
mæque: docetque *algo* pro *algor*e vsurpatum esse à veteribus. ego hoc tantum
 respondere possum, vel Nonium vsus esse corruptis libris, vel ipsum No-
 nium esse mendosum, atque apud eum legendum *algu pro algor*e, & locos
 omnes, qui ab eo proferuntur, sic esse restituendos. **FAME QVE**] fame
 hoc loco quintæ inflexionis est, nõ tertiæ: ut apud Virg. li. 6. *Obiicit ille fame*
rabida tria guttura pandens. **ET FINE LABORAT**] id est & mortale est
 seu, & finitur, atque interit. **ET MALA MVLTa ANIMVS CON-**
TAGI, &c.] id est animus fungitur, seu fert, & patitur multa incommoda
 contagione corporis. Sic autem restitui hunc versum, cum mendosus esset
 in vulgatis, in quibus ita legitur, *Et mala m. a. contagia fung. eius*: cùnque re-
 perissem in quattuor manuscriptis *contage*. Nam contagi pro contage in
 sexto aut septimo casu eadem ratione dictum est, qua, parti, colli, voci, &
 similia pro parte, colle, voce, &c. iam contages idem valet, quod contagiũ,
 i. seu contagio nis. vtitur eodem nomine lib. 4. *Quæ contage sua palloribus*
omnia pingunt. Constat tamen contagium, & contagio esse vsuratoriã, idem
 Lucret. supra eod. lib. *Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi.* Virgil.
 Tityro. *Nec mala vicini pecoris contagia ludent.* & Georg. 3. *Dira per incautum*
serpant contagia vulgus. de contagione Festus scribit *contagio dicendum potius*
quàm contagium. itaque illo potius, quàm hoc vtuntur oratores. **FVNGI-**
TVR] patitur, vt sup. lib. 1. *At facere & fungi nisi corpus nulla potest res.* **SED**
TAMEN HIS ESTO, &c.] sed tamen demus quantumuis his esse vtile
 corpus sibi fabricari eo ipso tempore, quo in corpus introire debet. at nul-
 la via patere videtur, vel nullus modus apparet, quo modo id possint. con-
 cessio est eius rei quæ facultatè non habet, & quæ est *ἀδύνατος*. **AT QVA**
POSSINT, &c.] at via nulla videtur, qua via possint sibi corpus fa-
 bricari. **NEC TAMEN EST VT IAM PERF.**] sic restitui ab antiquis,
 & manu scriptis codicibus ad veram, nisi fallor, scripturam quasi manu du-
 ctus. Nam sic codices Faëri. & Tethian. *Nec tamen est, vt qui eam*: Vatica-
 nus autem sic: *Nec tamen vt qui eam*: Bertinianus, *Nec tamen vt qui cum perf.*
inf. quas scripturas omneis nemò non videt esse deprauatas; ita tamen vt
 redoleant quædam germanæ scripturæ vestigia. Nam cum ita à Lucretio
 scriptum

scriptum esset, *Nec tamen est, vt iam perf. & cet.* Primò sic fortasse depraua-
 ta fuit: *Nec tamen est, vt eam*: deinde sic: *Nec tamen est qui eam*: deinde, *Nec*
tamen est qui cum: postremò, *Nec tamen est quasi iam, & cet.* Cum singula ca-
 pita eorum, qui sibi aliquid intelligere viderentur, singulas mutationes,
 & varietates excogitarent. Ego ne quis dicat me, quod in aliis peccatum
 reprehendo, id ipsum peccare, primùm antiquorum librorum scripturas
 oculis lectorum subiicio: deinde ex iis scripturis vnã elicio, quæ & ad illas
 proxime accedit, & elocutionem Lucretianam oleat, & quod caput est,
 sententiam cum iis & quæ antecedunt, & quæ sequuntur, consentaneam
 exprimat. Quod igitur ad elocutionem attinet, sæpè numero admonuimus
 ita & Lucretium, & Horatium, & alios scriptores Latinos loqui solere, *est*
vt: non est vt, pro fieri potest vt: & non potest fieri, vt, quod Græci dicunt,
ἔστιν ὅπως: & ἔστιν ὅπως. Est autem hæc altera pars dilemmatis. **NE QVE**
ENIM POTERVNT] ratio quare non sit verisimile animas ingredi in
 corpora iam perfecta. quia (inquit) si ita esset: animæ non essent subtiliter,
 & examusim cum corporibus connexæ, neque fierent contagia ex con-
 sensu corporis & animi. **NEQVE CONSENSV CONT.** neque per
 consensum fiēt contagia: quod fieri videmus.

*Denique cur acris violentia triste leonum
 Seminium sequitur? dolum vulpibus, & fuga cervis
 A patribus datur? & patrius pauor incitat artus?
 Et iam cetera de genere hoc, cur omnia membris
 Ex ineunte æuo ingenerascunt, inque genuntur,
 Si non certa suo quia semine, seminiòque
 Vis animi pariter crescit cum corpore toto?
 Quòd si immortalis foret, & mutare soleret
 Corpora: permistis animantes moribus essent:
 Effugeret canis Hyrcano de semine sæpe
 Cornigeri incursum cervi, tremeret que per auris
 Aëris accipiter fugiens veniente columba:
 Desiperent homines, saperent fera sæcla ferarum.
 Illud enim falsa fertur ratione, quod aiunt
 Immortalem animam mutato corpore flecti.
 Quod mutatur enim, dissoluitur: interit ergo.
 Traiciuntur enim partes, atque ordine migrant.
 Quare dissolui quoque debent posse per artus,
 Denique vt intereant vna cum corpore cuncta.*

*Sin animas hominum dicent in corpora semper
Ire humana: tamen quæram, cur è sapienti
Stulta queat fieri: nec prudens sit puer ullus:
Nec tam doctus equa pullus, quàm fortis equi vis,
Si non certa suo quia semine, seminiòque
Vis animi pariter crescit cum corpore quoque.
Scilicet in tenero tenerascere corpore mentem
Non fugient. quod si iam fit: fateare necesse est,
Mortalem esse animam: quoniam mutata per artus
Tantopere amittit vitam, sensumque priorem.*

DENIQUE CVR AC RIS VIOL.] huius argumenti hæc vis est. si animi essent immortales, & ex aliis corporibus in alia corpora migrarent: non essent animantium cuiusque generis propria quædam ingenia, propriique mores: sed essent permixtis & confusis moribus. Atqui videmus leones esse iracundos & violentos natura: vulpeis dolosas: ceruos timidos, & fugaceis, & ita de ceteris sentiendum: ergo &c. DOLV' VVLPIBVS] sic reperi scriptum in duobus cod. manuscript. atque ita melius currit oratio & sententia. ET FUGA CERNIS A PATRIB. DATVR.] secutus sum vulgatam scripturam. nam manuscripti sic habent: *Et fuga ceruos p. inc. artus: esse interiectum, & alienum, non poetæ. nam eo sublato, & seruata ea scriptura, quæ reperitur in lib. manu. scriptis, præterquam quod legendum esset, vulpeis dolus, ut est in vulgatis, & nonnullis calamo exaratis: sententia constaret. Verum tamen iudicet lector eruditus. Nam quod ad me attinet, sic puto legendum, ut excudendum curavi. ET IAM CETERA DE GENERE HOC] crebrò ita loquitur, & sæpenumero hoc versus principium reperitur: *Cetera de genere hoc: ut supra hoc eodem lib. Et iam cetera de genere hoc quacunque sequuntur. & lib. 5. Cetera de genere hoc monstra, & portenta loquuntur: & lib. 6. Cetera de genere hoc qua vi facere omnia possint, &c. quod imitatus est Horatius saty. 1. lib. 1. Cetera de genere hoc adeò sunt multa, loquacem Delassare valent Fabium.* CVR OMNIA MEMBRIS] cur omnia in membris. EX INEVNTE AEVO INGENERASCUNT] à genero as, fit generasco, ut à labo as labasco, ab integro as, integrasco. quidam tamen hoc loco legunt, *grandescunt*, id est *crescunt*. à quibus dissentio. INQVE GENVNTVR] & in membris ingenuntur, seu ingignuntur. sic autem restitui coniectura ductus. CVM CORPORE TOTO] sic habent lib. manuscripti. vulgati autem *cum corpore quoque*. quanquam infra non longè ab hoc loco, ubi & hic versus, & superior iterantur, scriptura codicum veterum nihil à vulgata discrepat. PERMISTIS ANIMANTES MORIBVS. ESSENT] hoc illud est, opinor, quod dicit Aristoteles eo, quem supra præ-*

tulimus, loco, suam cuiusque rei esse formam: quo significat suam cuiusque corporis esse animam. qui autem aliter sentiunt (inquit ille) simile quiddam dicunt ac si dicerent, artem fabricandi in tibias intrare posse. oportet enim ut artem suis ac propriis instrumentis: ita animam suo uti corpore. HYRCANO DE SEMINE] canis (inquit) ex semine tigris Hyrcanæ conceptus atque editus, ceruum fugeret: nedum persequeretur. Virg. lib. 4. *Aeneid. Hyrcanæq; admorunt vbera tigres.* DESIPERENT HOMINES] homines mentis & rationis expertes essent. FLECTI] mutari. QVOD MV TATVR ENIM] sic sup. Nam quodcumque suis mutatum finibus exit, Cōtinuò hoc mors est illius, quod fuit antè. DENIQUE VT INTEREANT] id est, ita ut tandem intereant. TAMBEN QV AERAM] sic habent tres libri manuscripti. CVR E' SAPIENTI, &c.] videmus enim ætates alias aliis esse prudentiores, ut senectutè adolescentia: homines etiam alios aliis esse sapientiores. homo homini quid præstat? (inquit ille.) NEC PRVDENS SIT PVER VLLVS] Cum prudentia versetur in rebus singularibus: res singulares autem vsu cognoscantur: puer autem non possit esse vsu peritus, sed numerus annorum, & longitudo temporis vsu afferat, puer prudens esse nullo modo potest. Aristot. lib. 6. de morib. ad Nicom. QV A' M FORTIS EQVI VIS] sic loquitur sup. *Cōsmile in cursu possint, ac fortis equi vis. fortis equi vis: id est fortis equus αἰεὶ ἔξαρσι.* TENERASCERE] teneram esse. sic enim interpretatur Nonius Marcellus: atque huc versus profert. NON FUGIENT] Cum libri omnes veteres haberent *Confugient*, atque ex hac scriptura docti quidam fecissent *confingent*, ego ad veram lectionem quasi manu ductus, reposui *Non fugient*: quemadmodum supra nõ minus probabili, atque adeò certa coniectura, ex non fiet, quod erat corruptum, feci, *consiet*, ibi, *Id quoque enim sine pernicie consiet eorum. non fugient autem interpretor non negabunt, non refutabunt, ut supra. tum præterea quod fugimus antè, &c.* QVOD SI IAM FIT] si mens in corpore tenero tenera est, in valido autem fit valida: ergo anima mutatur: si mutatur, ergo mortalis est.

*Quòve modo poterit pariter cum corpore quoque
Confirmata cupitum ætatis tangere florem
Vis animi, nisi erit consors in origine prima?
Quidve foras sibi vult membris exire senectis?
An metuit conclusa manere in corpore putri?
Et domus ætatis spatio ne fessa vetusto
Obruat? at non sunt immortalia vlla pericla.
Denique connubia ad Veneris, partusque ferarum
Esse animas præstò deridiculum esse videtur:
Et spectare immortalis mortalia membra*

Innumero numero, certareque præproperanter
 Inter se quæ prima, potissimâque insinuetur:
 Si non fortè ita sunt animarum fœdera pacta,
 Ut quæ prima volans aduenerit, insinuetur
 Prima, neque inter se contendant viribus hilum.
 Denique in æthere non arbor, non æquore in alto
 Nubes esse queunt, nec pisces viuere in aruis:
 Nec cruor in lignis, nec saxis succus inesse.
 Certum ac dispositum st, vbi quicquid crescat & insit.
 Sic animi natura nequit sine corpore oriri
 Sola, neque à neruis, & sanguine longius esse.
 Hoc si posset enim, multo prius ipsa animi vis
 In capite, aut humeris, aut imis calcibus esse
 Posset, & innasci quauis in parte soleret:
 Tandem in eodem homine, atque in eodem vase maneret.
 Quod quoniam in nostro quoque constat corpore certum:
 Dispositumque videtur, vbi esse, & crescere possit
 Seorsum anima, atque animus: tanto magis insiciandum
 Totum posse extra corpus durare, genique.
 Quare, corpus vbi interit, perisse necesse st
 Conspicere animam distractam in corpore toto.
 Quippe etenim mortale æterno iungere, & vnâ
 Consentire putare, & fungi mutua posse,
 Desipere st. quid enim diuersius esse putandum st,
 Aut magis inter se disunctum, discrepansque:
 Quàm, mortale quod est, immortalis, atque perenni
 Iunctum, in concilio seuias tolerare procellas?

FLOREM] ἀνύλω, sic sup. lib. I. quibus possint ani contingere florē. QUID-
 VE FORAS SIBI] id est aut quid sibi vult, quod anima exit è corpore
 senectute confecta? SENECTIS?] senio confectis, aut certè affectis.
 Plautus Aulul. quem senecti ætate ludos facias. Lucret. lib. 5. Post vbi equum va-
 lida vires ætate senecta, Membræque deficiunt &c. & item sæpe. AT NON
 SVNT IMMORTALI] at si anima est immortalis (inquit) nõ debet me-
 tuere, ne aut ruina domus obruatur, aut quouis alio incommodo afficiatur.

non celabo lectorem, ita scriptum esse in codice Bertiniano. *at non sunt iam
 mortali: vnde suspicor esse legendum. at non sunt iam immortali &c.* id est at
 iam si anima immortalis est, nulla ei pericula imminet. quæ lectio longè
 concinnior esset. SI NON CONNVBIA AD VENERIS] quidam li-
 bri habent. *Si non concubia ad Veneris. SI NON FORTE] εἰσφοβία* est. rudi-
 culum est, inquit, animas, cum sint immortales, ad concubitus, partusque
 animantium præstò adesse, & certare inter se quæ prima earum in corpus
 recens, & modò natum introeat: nisi fortè hæc inter se fœdera inierunt, vt
 corpora quæque sint primarum aduenientium, atque ita deinde occupan-
 tium: quemadmodum vulgò dicere solemus, qui prior sit tempore, eum
 priorem esse iure. DENIQUE IN ÆTHERE] hic versus cum duo-
 decim deinceps sequentibus iteratur lib. 5. non longè à principio. NON
 ÆQVORE IN ALTO] aliàs non æquore falso. vt lib. 5. VBI QVIC-
 QVID CRESCAT] sic legendum. quicquid autem valet quicque, vt sæpe
 alibi. ET SANGVINE LONGIVS ESSE] quidam docti legunt hoc
 loco longiter esse, vt suprâ, Non (vt opinor) ea ab leio iam longiter errat. QVOD
 QVONIAM IN NOSTRO, &c.] post vocem corpore, tolle distinctio-
 nem, & lege coniunctim constat certum, id est certum est. GENI QVE]
 Priscianus lib. 10. gigno, genui: pro quo vetustissimi geno protulerunt. Varro Ana-
 bata. Sed quòd hæc loca aliquid genuunt. cuius infinitum passium Lucretius in 3.
 protulit geni, &c. CONSENTIRE] συμπαθεῖν. ET FUNGI MUTVA]
 mutuo pati. QVID ENIM DIVERSIVS, &c.] sic Arist. lib. 1. de anim.
 ἐπιπορον δὲ ἢ τὸ μαίχδει τὸ σώματι μὴ διακίωρον ἀπολυδίαι, ἢ περὶ πνεύτων, εἴ
 ἢ βέλπον τὸ γὰρ μὴ μετὰ σώματος εἶναι, καὶ διὰ τὸ εἶωδέ τε λήθεαι, ἢ πολλοῖς σωθεαί.
 id est, Cùm graue autem & laboriosum est cum corpore animam com-
 mistam esse, neque ab eo dissolui posse: rùm fugiendum est, siquidem me-
 lius est animo non esse cum corpore copulatum, quemadmodum & dici
 solet, & multis videtur. IN CONCILIO] in cœtu. SAEVAS TOLE-
 RARE PROCELLAS] sexcentis casibus aduersis iactari. translatio dici
 cta à mari. lege Arnobium aduersus genteis lib. 2. de miseris atque ærum-
 nis, quas perferunt animæ in corporibus humanis inclusæ. ibi. Nisi forte rex
 mundi iccirco ex se genitas huc animas misit, vt quæ fuerant apud se Deæ, &c.

Præterea quæcunque manent æterna, necesse st
 Aut quia sunt solido cum corpore, respuere ictus,
 Nec penetrare pati sibi quicquam, quod queat arctas
 Dissociare intus parteis, vt materiâ
 Corpora sunt: quorum naturam ostendimus antè:
 Aut idèò durare ætatem posse per omnem,
 Plagarum quia sunt expertia, sicut inane st:
 Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum:
 Aut idèò, quia nulla loci sit copia circum,

Quò quasi res possint discedere, dissoluique:
 Sicut summarum summa est aeterna: neque extra
 Quis locus est, quò diffugiant: neque corpora sunt, quæ
 Possint incidere, & valida dissoluere plaga.
 At neque (vti docui) solido cum corpore mentis
 Natura est: quoniam admistum est in rebus inane,
 Nec tamen est vt inane, neque autem corpora desunt,
 Ex infinito quæ possint fortè coorta
 Proruere hanc mentis violento turbine molem:
 Aut aliam quamuis cladem importare pericli.
 Nec porro natura loci, spatiumque profundi
 Deficit, exspergi quò possit vis animæ:
 Aut alia quamuis possit vi pulsa perire.
 Haud igitur leti præclusa est ianua menti.

PRAETEREA QVAECVNQVE] vitur eodem fere argumento, &
 verò iisdem versibus lib. 5. ad probandum mundi interitum. NEQVE
 AB ICTV FVNGITVR HILVM] neque quicquam ab ictu patitur. sic
 autem restitui manuscriptorū codicum auctoritatem secutus, cum in vul-
 gatis legatur: *frangitur*: in quibusdam etiam *figitur*: quod vtrunque mendo-
 sum est, & ab indoctis deprauatum, qui, quid sibi vellent hoc *fungitur*, nesci-
 rent. QVAE POSSINT INCIDERE] quæ possint incidere in summa
 retur. vitur eodem verbo sup. lib. 2. *Incidere è supero leuioribus*. AT NE-
 QVE (VTI DOCVI)] remouet nunc & refellit tria, quorum vno aliquo
 posito posset esse anima immortalis: quo factò sequitur eam esse mortale.

PRORUERE HANC] fateor equidem in libris manuscriptis legi *Cor-
 ruere*, quemadmodum & in vulgatis. Veruntamen reposui, *Proruere*. Nam
corruere verbum est absolutum, nisi quòd à Plauto videtur vsurpari *corruere*
in Rudente: *Ibi me corruere posse aiebas diuitias*. Verum non significat illis
 locis euertere, aut procellere, quam verbi significationem hic locus postu-
 lat, sed vnà eruere, & colligere, seu *αυαθεύειν*: vt & apud Varr. lib. 4. de
 ling. lat. *Corbes ab eo quòd spicas, aliudve quid corruerant*. Apud Catullum au-
 tem in carmine ad Manlium, vbi vulgò legitur, *corruerit*, legendum *torruerit*.
 Nam mihi quam dedit duplex *Amathuntia curam*, Scitis, & in quo me torruerit
genere. quod mihi indicauit non ita pridem Adr. Turnebus, cum antea su-
 spicatus essem legèdum *exercuerit*. *Proruere* igitur hoc loco reposui Lucretij
 sententiam secutus: quod significat longè, latèque percellere, & peruerte-
 re, vt apud Horat. oda 37. lib. 1. *Iniuuoso ne pede prouas Stantem columnam*.
 EXSPERGI] foras dispergi, & dissipari. HAUD IGITUR LETI,
 &c. id est non igitur mens immortalis est. Arnobius lib. 2. aduersus gen-

teis. omnis enim passio, leti atque interitus ianua est, ad mortem ducens via, & ineni-
 tabilem rebus afferens functionem.

Quòd si forte ideò magis immortalis habenda est,
 Quòd letalibus ab rebus munita tenetur:
 Aut quia non veniunt omnino aliena salutis:
 Aut quia, quæ veniunt, aliqua ratione recedunt
 Pulsa prius, quàm, quid noceant, sentire queamus:
 Scilicet à vera longè ratione remotum est.
 Præter enim quod tum morbi est, cum corpori agrè est:
 Aduenit id, quòd eam de rebus sepe futuris
 Macerat, inque metu malè habet, curisque fatigat:
 Præteritisque admissa annis peccata remordent.
 Adde furorem animi proprium, atque obliuia rerum:
 Adde quòd in nigras lethargi mergitur vndas.
 Nil igitur mors est, ad nos neque pertinet hilum,
 Quandoquidem natura animi mortalis habetur:
 Et velut antea cto nil tempore sensimus agri,
 Ad confligendum venientibus vndique Pœnis:
 Omnia cum belli trepido concussa tumultu
 Horrida contremuere sub altis aetheris auris:
 In dubioque fuit sub vtrorum regna cadendum
 Omnibus humanis esset, terræque, marique:
 Sic vbi non erimus: cum corporis, atque animæ
 Discidium fuerit, quibus è sumus vniter apti:
 Scilicet haud nobis quicquam, qui non erimus tum,
 Accidere omnino poterit, sensumque mouere:
 Non, si terra mari miscebitur, & mare celo.
 Et si iam nostro sentit de corpore, postquàm
 Distracta est animi natura, animæque potestas:
 Nil tamen hoc ad nos, qui cætu, coniugioque
 Corporis, atque animæ consistimus vniter apti.
 Nec, si materiam nostram conlegerit ætas
 Post obitum, rursumque redegerit, vt sita nunc est:

Atque iterum nobis fuerint data lumina vitæ,
Pertineat quicquid tamen ad nos id quoque factum,
Interrupta semel cum sit repentina nostra.
Et nunc nil ad nos de nobis attinet, ante
Qui fuimus, nec iam de illis nos afficit angor,
Quos de materia nostra noua proferet ætas.

QVOD SI FORTE IDEO M.] *ἀνθυποπόει*: qua occupat, quod dici poterat pro animæ immortalitate, nempe eam à rebus lethaliibus, & mortiferis esse tutam, vel quia incommoda illa non sint prorsus à salute aliena, vel quia quæ ei eueniunt incommoda & noxia, prius repellantur, quàm quid noceant, sentire possit: id igitur totum una, eadèmq; opera remouet, ac refellit, probatque esse falsum, cum à morbis corporis, quibus ipsa quoque laborat, tum ex ipsius animi propriis, dum & futurorum metu cruciatur, & præteritorum dolore, ac mærore, & ceteris affectibus contabescit. legendum autem est ita, vt excudèdum curauit: *letalibus ab rebus munita*: id est tuta ab ea parte, qua res letales eam lædere & perimere possent. Sic enim loquuntur Latini à *periculo tutus, à frigore, ab iniuria cali, & similibus munitus*. AUT QVIA NON VENIUNT, &c.] hic versus cum duobus deinceps sequentibus, fuerant turpiter, & fœdè suo ordine, & loco moti. eos autem in suum ordinem & locum restitui à codicibus manuscript. adiutus: nempe post versus, *Quod letalibus &c.* & ante versus, *Scilicet à vera longè, &c.* refellit autem (vt dixi) negatque duas illas rationes, quæ possent valere ad confirmandã animi immortalitatem: quarum hæc prima est, ea quæ animo letalia sunt, non accidere animo prorsus aliena à salute: altera est: ea quæ letalia ei eueniunt, prius ab eo repulsa recedere, quàm damnum sentiantur.

ALIENA SALVTIS] vel sic legendum: nam ita scriptum reperi in duobus lib. calamo exaratis: vel aliena salute. *alienum salutis* autem vsitatũ loquendi genus est Latinis, & alienum salute, & alienum à salute. PRAETER ENIM QVOD TVM MORBI ST, CVM CORPORA EGRE ST,] hunc versus misere laceratum in libris vulgatis, restitui ex vestigijs antiquorum codicum: quorum in alijs legitur: *cum corporis ægrie*: in alijs, *cum corpore ægrest*. quod autem ad principium versus attrinet, cum in vulgatis quidem, & duobus manu script. ita legatur: *Præter enim quàm quod morbi est*, (quæ scriptura sine dubio mendosa est:) in alijs autè duobus partim ita: *Præter enim quàm tam*, partim ita: *Præter enim quod quàm morbi st*, neque hoc sine litura, ego sic reposui: *Præter enim quod tum morbi st*, &c. id est præter enim id morbi, quod est tum, cum corpori ægre est, &c. PRAETERITIS QVE ADMISSA ANNIS P, R.] Cum in duobus codicibus manuscriptis, *Præteritisque admissa manis*, scriptum reperiissem: lectio autem vulgata *Præteritisque admissa malis peccata, &c.* non dico mihi, sed viris doctissimis non ferenda videretur: ego coniectura ductus, & scripturæ veteris vestigia secutus sic restitui: *Præteritisque admissa annis peccata remordent.*

quæ

quæ lectio sine dubio recta, & germana Lucretiana est. Nam quod alij libri manu scripti habent, *Præteritisque malè admissis peccata, &c.* hæc quoque deprauata est. NIL IGITVR MORS EST, AD NOS NEQVE, &c.] concludit nunc ex eo, quod anima sit mortalis, quod probare conatus est, mortem nihil esse, nihilque ad nos pertinere: qua de re sic Epicurus apud Laertium. *σωζέσει δὲ ἑαυτὸν ἐν τῷ γαίματι μηδὲν παρὰ τὸν θάνατον: ἐπειπεὶ πᾶν ἀγαθὸν καὶ κακὸν ἐν αἰθήρσι: σέρσις δὲ ἔστιν αἰθήρσις ὁ θάνατος: ἴθιαν γὰρ οὐδὲν εἴηαι παρὰ τὸν θάνατον. Απολαύσον γὰρ ποιεῖ τὸ τῆς ζωῆς θυμὸν, οὐκ ἀπειρον παρὰ τὴν εἴηαι χρόνον, ἀλλὰ τὸν ἀθανάσιον ἀφελουμένον πέσον, &c.* id est assuefac teipsum ei rei, vt putes mortem nihil ad nos pertinere. Nam omne bonum & malum in sensu est. Mors autem sensus priuatio est: ex quo recta opinio, & notitia nascitur, mortem nihil ad nos pertinere. Dat enim eius mortalitatis, quæ vitæ est particeps, fruendæ facultatem, non infinitum tempus adiiciens, sed immortalitatis desiderium auferens. Idem apud Plutarch. libro *ὅτι ἐστὶ ζῆν ὅσον ἰδέσθαι κατ’ Ἐπίκουρον*. βέλπρον τι τῶν ἐν τῷ βίῳ ματὰ τὸν βίον ὀπνοεῖς ἐξυπαίτησαι. τὸ γὰρ λυθὸν ἀναθήτῃ: τὸ δ’ ἀναιδιτοῦ ἴδεν παρὰ ἡμῶν. id est, Tunc melius quippiam iis, quæ sunt in vita, post vitam tibi cogitatione depingis: magnopere falleris. Nam quod dissolutum est, sensu caret. quod autè sensu caret, nihil ad nos. Ad eandem sententiam pertinet Græcum illud epigramma. *Τὸν θάνατον τί φοβέσῃτε, τὸν ἰσχυρίαι ἕως τῆς ἡμέρας. Τὸν πᾶνοντα νόσος, καὶ πᾶν ὄνειδος: Μοῦνος ἀπαξ θνητὸς περὶ γίνεται, ἢ δὲ ποτ’ αὐτῶν ἔστιν περὶ θνητῶν δεύτερον ἐν χρόνῳ. Αἰδὲ νόσος πολλὰ καὶ ποικίλα ἄλλοτ’ ἐπ’ ἄλλον ἐργάζουσι θνητῶν, καὶ μεταβαλλόμεθα.* id est: *Qui mortem horretis causam, matremque quietis? Tollentem morbos, pauperiemque grauem? Sola ad mortales semel aduenit illa, neque vnquam Aduenientem iterum ceruere quis potuit. At multi & varij hinc illinc inuadere pergunt Nunc hunc, nunc illum morbi alij, atque alij.* ET VELVT ANTEACTO] Ad hunc locum illustrandam pertinent illa M. Tull. lib. i. Tuscul. *Qui enim satis viderit, id quod est luce clarius, animo & corpore consumto, totòque animante delecto, & factò interitu vniverso, illud animal, quod fuerit, factum esse nihil: is plane perspiciet, inter Hippocentaurum, qui nunquam fuerit, & regem Agamemnonem, nihil interesse: nec pluris nunc facere M. Camillum hoc ciuile bellum, quàm illo viuo ego fecerim Romam captam, &c.* Idè ibidem paucis post versib. *Natura verò sic se habet, vt quo modo initium nobis rerum omnium ortus noster afferat, sic exitum mors: quæ vt nihil pertinuit ad nos ante ortum, sic nihil post mortem pertinebit. in quo quid potest esse mali, cum mors nec ad viuos pertineat, nec ad mortuos: alteri nulli sunt, alteros non attingit.* IN DV-BIO QVÆ FVIT SVB VTRORVM REG.] nihil ferè discrepabant hoc loco libri manuscripti à vulgatis: qui sine dubio corrupti sunt. itaque meum institutum, ne quid mutarem, nisi ex auctoritate veterum codicum, tenere non potui. Sed sic excudendum curauit, *In dubioque fuit sub vtrorum regna cadendum Omnibus, &c.* id est & dubium seu incertum fuit, sub vtrorum imperium casuri essent omnes homines. Cathaginensium ne, an Romanorum. hæc enim scriptura multo facilior, & planior est: nam primum ita alibi loquitur: *in dubio fuit, pro dubium fuit, infra eodem libro in extremo Posteràque, in dubio est, fortunam quam vebat ætas.* deinde Plaut. *Trinum.* *In ambiguo scietiam nunc quid de hac re fiat:* Deinde cadere sub imperiũ,

regnum, & leges, & similia, v'statiora sunt, quàm ad imperium, &c. vt idem libro quinto, quo magis ipsum Sponte sua cecidit sub leges, arctà que iura. recepta autem & vulgata scriptura durior, & quæ non videtur aliter explicari posse, quàm si verbum fuere, referatur ad illud, quod antecedit, omnia, hoc modo. & cum omnia fuere in dubio ad vtrorum regna cadendum esset omnibus hominibus terra, & mari, id est in vtrorum, seu sub vtrorum regna omnes homines necessariò casuri essent. Nam *cadere ad regna* loquendi genus insolens & inusitatū. SIC, VBI NON ERIMVS] sic vbi non erimus, id est cum animus à corpore seiunctus erit, ex quibus constamus, & vnum quiddam effecti sumus: Scilicet haud nobis quicquam, &c. QVIBVS ESVMVS VNITER APTI] id est ex quibus conflati & coagmentati sumus. corrupti erant hoc loco vulgati cōdices, in quibus legitur: quibus haesimus, pro, quibus è sumus: quæ scriptura sine vlla litura reperitur in libris manusc. VNITER] agnoscit hoc aduerbium Charisius. SCILICET HAUD NOBIS, &c.] hic versus pertinet ad illa superiora: sic, vbi non erimus, & cum animus à corpore discissus ac diuulsus fuerit, ex quibus sumus vnum quiddam facti, scilicet haud nobis quicquam accidere omnino poterit, neque commodi, neque incommodi. versus autem illū, Nam si materiam, &c. qui alieno loco fuerat inculcatus, neque reperitur in libris manuscrip. sustuli. QVI NON ERIMVS] sic habent libri manu scr. non, vt vulgati, cum non erimus. nam particula, tum, refertur ad partic. vbi supra: Sic ubi, &c. NON SI TERRA] non poterit (inquam) nobis quicquam accidere, ne si terra quidem mari misceatur, & mare cælo. hunc versum imitatus, atque adeò mutuatus est Iuuenal. saty. 2. Quis celum terræ non misceat, & mare cælo? QVI COETV, CONIVGIÓ QVE] Sic habet aliquot lib. manuscripti: alij qui coetu, alij, qui coitu. cœtus autē idē valet, quod coitus, mutato i. in c. ET SI IAM NOSTRO] id est & si iam deinus animam, posteaquàm distracta & diuulsa est à corpore, sentire de nostro corpore: id est ex eo corpore, cum quo iuncta fuit, sensum quendam cōtraxisse: tamen nihil hoc ad nos pertinet: qui constamus ex animo & corpore. NEC SI MATERIAM, &c.] hoc dicit. nec si post obitum nostrum ex eadē materia, ex qua constamus, alius homo nascatur, ita vt videamur quodammodo reuixisse: non (inquam) hoc factum quicquam ad nos pertineat, cum semel repetētia nostri fuerit interrupta. MATERIAM NOSTRAM] quidam lib. habent nostri. PERTINEAT] sume copulationem negantem, nec. & si hoc fiat, non pertineat quicquam ad nos id factum. REPETENTIA NOSTRI] sic curavi excudendū fretus auctoritate lib. manusc. nā vulgati, alij habent *repentia nostra*, alij *repentia nobis*, alij *reinentia nostra*. repententiam autē interpretor *anæmnosy* & recordationem: & retinentiam quandam, vt supra: quòd si quis malet legi *repentia*, vt habent etiam nonnulli scripti manu, interpretabor tacitam quandam & sensim progredientem viuendi assiduitatem, vel simpliciter itionem, siue ingressionem, siue incessam, siue cursum vitæ, vt sit translatio à reptilibus. Omnino *repententia* mihi magis placet, quàm *repentia*. Veruntamen iudicet lector. ET NUNC NIL AD NOS, &c.] id est & neque nunc de iis solliciti sumus, qui fuerunt iidem ipsi, qui

nunc sumus: neque rursus de iis laboramus, aut eorum incommodis angimur, qui de materia nostra creabuntur. ANTE QVI ERIMVS] qui fuimus antea alij nos, verbi gratia, finge me abhinc mille annis fuisse & vixisse. illius temporis nullus ad me sensus peruenit, qui nunc viuò: neque rursus, si casus ita ferat, vt post sexcētos annos alius Lambinus ex mea materia nascatur, id ad me quicquā nunc pertinet, aut me vlla molestia afficit.

*Nam cum respicias immensi temporis omne
Præteritum spatium: iūm motus materiæ
Multimodi quàm sint: facile hoc adcredere possis,
Semina sæpe in eodem, vt nunc sunt, ordine posta:
Nec memori tamen id quimus reprehendere mente.
Inter enim iectâ est vitæ pausa, vagæque
Deerrarunt passim motus ab sensibus omnes.
Debet enim miserè cui fortè, agrèque futurum est,
Ipse quoque esse in eo tum tempore, cum malè possit
Accidere. at quoniam mors eximit im, prohibetque,
Illum, cui possint incommoda conciliari
Hæc eadem, quibus agros sumus, antè fuisse:
Scire licet nobis nihil esse in morte timendum,
Nec miserum fieri, qui non est, posse, neque hilum
Differre, an nullo fuerit iam tempore natus,
Mortalem vitam mors cui immortalis ademit.
Proinde vbi se videas hominem indignarier ipsum
Post mortem fore, vt aut putrescat corpore posto,
Aut flammis interficiat, malisve ferarum:
Scire licet, non sincerum sonere: atque subesse
Cacum aliquem cordi stimulum: quamuis neget ipse
Credere se quenquam sibi sensum in morte futurum.
Non (vt opinor) enim dat, quod promittit, abunde:
Nec radicitus è vita se tollit, & eicit:
Sed facit esse sui quiddam super inscius ipse.
Vivus enim sibi cum proponit quisque futurum,
Corpus vti volucres lacerent in morte, feræque:
Ipse sui miseret: neque enim se vindicat hilum,*

*Nec remouet satis à proiecto corpore: & illud
Se fingit: sensuque suo contaminat adstans.
Hinc indignatur se mortalem esse creatum:
Nec videt in vera nullum fore morte alium se,
Qui possit viuus sibi se lugere perentum,
Stansque iacentem: nec lacerari, vr̄ve dolere.
Nam si in morte malum est, malis, morsuque ferarum
Tractari: non inuenio qui non sit acerbum
Ignibus impositum calidis torrescere flammis:
Aut in melle situm suffocari, atque rigere
Frigore, cum in summo gelidi cubat æquore saxi:
Vr̄ger̄ve supernè obtritum pondere terræ.*

NAM CVM RESPICIAS] *ἀνδραπορεῖ* est. poterat enim quispiam ita dicere: quī fieri potest, vt alius ego vel multis antè seculis fuerit, vel multis post seculis nascatur ex eadem materia? huic igitur responderet non esse incredibile, si retro spectemus præteriti temporis spatium immensum, & si consideremus materiæ motus varios, & multiplicēs, primordia rerum, ex quibus constat hodie homo aliquis singularis, eodem ordine & olim posita fuisse, quo nunc sunt ordine collocata: & posthac eodem collocatum iri, negabit tamen infra etiam si hoc derur, eundem, qui nunc sit, aut olim fuisse, aut posthac futurum: quia scilicet vitæ interruptio facta sit per mortem.

REPREHENDERE MENTE] sic habent lib. manuscripti: INTER ENIM IECTA' ST VITAI] id est vitæ interruptio facta est. *pausa*: id est quies, & cessatio quædam. vitur eodem verbo infra hoc libro *Frigida quem semel est vitæ pausa secuta.* & sup. lib. 2. *nec dare pausam Principiis* &c. DEERRARUNT] vitur eodem verbo Virg. *Melibæo. Vir gregis ipse caper deerrauerat.* & auctor ad Herenn. *si non deerrabimus ab eo, quod cepimus exponere.* & Plautus Menæch. *Inter homines me deerrare, atque inde auehi.* DEBET ENIM MISERE CUI FORTE, &c. sic habet liber Vaticanus, neque admodum ab hac scriptura ceteri discrepant. Est autem hæc sententia. Is cui forte miserè, ægréque futurum est: id est is qui forte miser, & æger est futurus, debet eo esse tempore, quo tempore ei male accidere possit: alioqui non poterit esse miser. At homo mortuus, desit esse: ergo nullo modo miser esse potest, nullaque in eum miseria cadit. hæc eadem disputantur, & demonstrantur à M. Tullio lib. 7. quæst. Tuscu. AT QUONIAM MORS EXIMIT IM,] id est at quoniam mors liberat eum ne possit miser esse. *im* pro eum dictum esse à veteribus testantur Pomp. Festus, & Charisius, & ceteri. Quod autem libri manuscripti habent, esse, illud esse factum est, ex *em*, vel *im*: quod vtrunque idem valet, quod *eum*. nam cum à librario scriptum esset 13 pro *im*, factum est postea is. deinde ab eo qui corrigere gestiret, repo-

litum est esse: atque ita hic locus deprauatus est ignoratione linguæ Latinæ antiquæ. sic vsurpat verbum *eximendi* Plaut. Epidico. *Ita non omnes poterunt ex cruciatu eximere Epidicum.* PROHIBET QVE ILLVM, CUI POSSINT, &c.] id est, & quia mors prohibet, ne ille, cui hæc eadem incommoda, quibus nos consistamur, euenire possint, id est qui viuat: antè fuerit, *Scire licet*, &c. Videtur hic locus pugnare cum iis quæ supra dixit, ex materia alicuius hominis alium hominem multis post seculis nasci posse, qui sit quodam modo idem alter. respondeo hoc quidè supra dictum esse: sed non ea mente, eaue gratia, vt asseueraret, eum qui ex materia mei, verbi gratia, multis post vel sæculis, vel annis nasceretur, fore alterum me: sed vt ostenderet, etiam si id fieret, nihil hoc tamen neque ad eum, qui antè vixisset, eius qui postea ex eadem materia exiturus esset, casus: neque ad eum qui postea ex eadem materia conflatus, victurus esset, eius qui antè vixisset, incommoda pertinere. QUIBUS AEGRI NOS SVMVS] secutus sum hoc loco libros vulgatos, in eo quod habent vocem *ægr̄i*: in eo quod habet nunc ante verbum, *sumus*, manu scriptos: in quibus partim ita scriptum est, *quibus & nunc nos sumus*, partim ita *quibus è nunc nos sumus*. MORTALEM VITAM MORS CUI] mortem immortalem dixit, quia ex veterum illorum sententia, qui mortuus est, reuiuiscit nunquam. Sic quidam apud Athenæum: *δαιατὸς ἀδαιατὸς.* & Catull. *Soles occidere, & redire possunt: Nobis, cum semel occidit breuis lux, Nox est perpetua vna dormiēda.* & ita Horat. oda 7. lib. 4. *Damna tamen celeres reparant cælestia lunæ: Nos, vbi decidimus, &c.* deinde sequitur. *Cum semel occideris, & de te splendida Minos Fecerit arbitria, &c.* PROINDE VBI SE VIDEAS HOMINEM INDIGNARIER IPSVM &c.] hunc versum cum eo, qui deinceps sequitur, sic explico: proinde vbi videas hominem indignari seu indignè ferre, quod futurum sit post mortem, vt aut putrescat, &c. Sed *miserari* legendum arbitror, nō *indignari*, idque ex vestigijs obscuris scripturæ veteris, duriusculum enim videtur ita loqui: hominem seipsum indignari, fore, vt &c. CORPORE POSTO] corpore humato, & in fossa condito. AVT FLAMMIS INTERFIAT] interficiat pro interficiatur: id est cōficiatur, absumatur, nempe in rogiū impositus. Sic supra eodem libro confiet posuit, pro conficietur. *Id quoque enim sine pernicie confiet eorum.* MALISVE FERARVM] aut malis ferarū laceretur: videlicet proiectus inhumatus, atque insepultus. huc pertinet illud Diogenis, qui cum se proici inuisisset inhumatum, tum amici, volucribusne & feris? *Minimè verò (inquit) sed bacillum prope me, quo abigam, ponitote. Quis poteris? inquiunt illi, non enim senties. Quid igitur (inquit ille) mibi ferarum laniatus oberit, nihil sentienti?* NON SINCERM SONERE] *sonere* antiquū pro sonare, notat Nonius, producitque testem versum illum, qui est supra *Caligare oculos, sonere aureis, &c.* ABVNDE] libri manuscripti pro *abundè*, habent, & vnde. ET EICIT] *eicit* pro *eiicit*. *eicit* autem disyllabum est, vt *reice* apud Virgil. Menal. *Tytire pascentis à flumine reice capellas.* & iterum *eicit* apud Lucret. lib. 4. *Eicit enim sulci recta regione, viâque Vomere.* Veruntamen alij volunt esse proceleumaticum pro dactylo, vt *Genna labant.* Quemadmodum autem in verbis *eicit*, & *reice* alterum i. sublatum est: item

fit in voce *reicula*, qua voce vtuntur Cato, & Varro de re pecuaria: Sūn-
que reiculae oues, quas pastor reicit ac remouet de toto grege. SED FA-
CIT ESSE, &c.] coniunge verbum *esse* cum prapositione *super*, vt sit *esse*
super, pro *super esse*. Quidam legunt: *Sed facit ipse sui quiddam super inscius esse*:
quæ scriptura esset facilior quidem illa, veruntamen nihil mutandum cen-
seo. CORPVS VTI VOLVCRES, &c.] vt qui iacent in sepulchris: quales
illi apud Homer. *αὐτὲς δ' ἐλθέειν τῶν χεῖν ἠρώων, Οἰωνοῖσι τε πᾶσι.* IPSE SVI
MISERET) nihil mutare aulus sum: quanuis legendum existimem: *Ipse*
sui miseretur, nec se diuidit bilum, vel sic potius, *Ipse sui miseretur, nec se vindicat*
bilum, &c. Testantur enim Festus & Priscianus antiquos vsurpasse *miserere*
res, pro *miserere vis*. & quidem ita Plautus in Trinummio: *caue tui alius mise-*
reat. ne hoc quidem lectorē celabo, cum in Italia essem, incidisse in manus
meas librum typis impressum, qui fuerat Iouiani Pōtani: in quo erat emen-
datum, aut certè a scriptum ipsius manu: *ipse sibi miser est*. NEQVE ENIM
SE VINDICAT HILVM] secutus erā initio libros vulgaros. Sed cum
animaduertissem in manuscriptis aliis ita legi, *neque enim se vidit bilum*: in
aliis, *vidit illum*, planè mendosè, sed vnde tamen vera scriptura elici & resti-
tui posset: sic existimaui esse reponendū, *neque enim se vindicat bilum*, seu po-
tius, *nec se vindicat bilum*, &c. vt prior pars vers. sic legatur, *Ipse sui miseretur*.
ET ILLVD SE FINGIT] & fingit se esse illud corpus, quod iacet mor-
tuum & insepultum. SENS V'QVE SVO] & corpus exangue & inani-
mum, & sensus expers, sensu contaminat, se adstantem faciens: contami-
nare autem videtur corpus suum sensu, quia dum ei tribuit sensum, sui mi-
seretur, & horret ferarum atque auium morsus: quod non faceret, si corpus
exanimum omni sensu carere sibi persuasum haberet. NEC VIDET IN
VBR A] nec videt, exempli gratia, Dionysius Lambinus, qui indignatur se
mortalem esse natum, suamque conditionem deplorat, nō videt (inquam)
in vera morte nullum alium fore Dionysium Lambinum, qui viuus & stās
possit se mortuum, & iacētē lugere, &c. QUI POSSIT VIVVS, &c.]
ordo & sententia verborum est. qui viuus possit sibi lugere se esse perem-
tum, nec qui possit dolere se à feris aut auibus lacerari, aut flammis crema-
ri. *sibi dandi casus est ornatus causa positus: vt ibi suo sibi hunc iugulo gladio.*
NAM SI IN MORTE, &c.] Hæc ad id pertinent, quod proxime addi-
dit, *virtue*. poterat enim aliquis dicere: lacerari à feris malum est: sed com-
buri rogo impositum, non est æquè acerbum, aut omnino nō est acerbum.
ad hoc sic responderet, dixi lacerari, virtus, quali sint similia. Nam si malum
est in morte maxillis ferarum diripi, & dilacerari: non video quomodo nō
sit etiā molestū & asperum in rogam impositum flāmis torreri, aut aliis
sepulture generibus, que summo studio ab hominibus procurantur & expe-
tantur, affici. AUT IN MELLE SITVM] hoc quoque fuit sepulture
genus à veteribus vsurpatum, aut certè ratio seruandorum corporū: quam
commemorat Xenophon lib. 5. *Ἐν μύσῳ*, vbi narrat Agesipolin Lacedæ-
monium graui morbo affectum, eoque ipso morbo die septimo consum-
tum, in melle positum, & Lacedæmonem reuēctum regia sepultura fuisse
decoratum, verba Xenoph. sunt hæc. *ὃς ἐν μέλιτι τεθνήκει, ὃς κομίδει*

ὄνειδος, ἔτι καὶ τῆς βασιμῆς παφῆς. Varro *ἔτι παφῆς* apud Nonium in nomine, vul-
gus. Quare Heraclides Ponticus plus sapit, qui præcepit, vt comburerent, quàm De-
mocritus, qui vt in melle seruarent: quem si vulgus secutus esset, preeam si centum de-
nariis calicem mulsu emere possumus. AEQVORBSAXI] in æqualitate saxi:
id est in faxo æquabili, aut exæquato, & polito.

At iam non domus accipiet te læta, neque vxor
Optima, nec dulces occurrent osculanati
Præripere, & tacita pectus dulcedine tangent.
Non poteris factis tibi fortibus esse, tuisque
Præsidio: miser ò miser, aiunt, omnia ademit
Vna dies infesta tibi tot præmia vitæ.
Illud in his rebus non addunt, nec tibi earum
Iam desiderium rerum super insidet vna.
Quod bene si videant animo, dictis que sequantur,
Dissoluant animi magno se angore, metūque.
Tu quidem, vt es leto sopitus, sic eris aui
Quod superest, cunctis priuati doloribus agris.
At nos horrifico cineractum te propè busto
Insatiabiliter deflebimus, æternūque
Nulla dies nobis mærorem è pectore demet.
Illud ab hoc igitur querendum est, quid sit amari
Tantopere, ad somnum si res redit, atque quietem:
Cur quisquam æterno possit tabescere luctu.
Hoc etiam faciunt, vbi discubere, tenentque
Pocula sæpe homines, & inumbrant ora coronis,
Ex animo, vt dicant, breuis hic est fructus homullis.
Iam fuerit, neque post vnquam reuocare licebit.
Tanquam in morte mali cum primis hoc sit eorum,
Quod sitis exurat miseros, atque arida terra:
Aut aliæ cuius desiderium insideat re.
Nec sibi enim quisquam tum se, vitæque requirit,
Cum pariter mens, & corpus sopita, quiescunt.
Nam licet æternum per nos sic esse soporem,
Nec desiderium nostri nos adficit vllum:

*Et tamen haud quaquam nostros tunc illa per artus
 Longè ab sensiferis primordia motibus errant:
 Quin correptus homo ex somno se conligit ipse.
 Multo igitur mortem minus ad nos esse putandum,
 Si minus esse potest, quàm quod nihil esse videmus.
 Maior enim turba dissectus materiai
 Consequitur leto, nec quisquam expergitus extat,
 Frigida quem semel est vitæ pausa secuta.*

AT IAM NON DOMVS, &c.] *μύμνος* stultarum lamentationum, quibus uti solent qui mortuum lugent. NON POTERIS FACTIS TIBI FORTIBVS ESSE,] sic restitui, ad hanc scripturam ab vno libro manuscripto, quasi manu ductus. in quo cum reperissem ita scriptum, Non poteris facti ti foretibus, semperque antea hic locus mihi suspectus fuisset, non dubitavi quin hæc esset vera, & germana Lucretiana scriptura. Nam vulgata planè inepta est. non dissimulabo tamen me in Vaticano ita scriptum reperisse Non poteris factis florentibus esse cuiquam Præsidio, &c. de qua scriptura iudicet lector. Ego, ut dicam, quod sentio, alteram malo. MISER Ô MISER] quatuor lib. manuscr. habent misero misere, quam scripturam si recipimus, hæc verba erunt coniungenda cum sequentibus. hoc modo, vna dies infesta tibi misero omnia misere ademit tot præmia vitæ. NEC TIBI EARVM, &c.] qui non desiderat autem, non videtur carere. TV QVIDEM, VT ES LETO SOPITVS,] sic habent libri manuscripti, & ita legi debet, nõ ut est in vulgatis, leto. CINEFACTVM] id est in cinerem versum, & dissolutum. sic Nonius, qui hunc versum profert. hoc autem dixit homo Romanus ex consuetudine Romanorum, qui mortuos comburebant. VSTO] bustum (inquit Festus) proprie dicitur locus, in quo mortuus est combustus, & sepultus, &c. idè ibid. sed modo busta sepulcra vocamus. DEFLIBIMVS] libri manuscripti habent, defleuimus, quod eò annotavi, ut sæpe admoneam lectorem u. pro b. & contra b. pro u. in membranis calamo exaratis scriptum reperiri. ET INVMBRANT ORA CORONIS] & capitibus imponunt coronas è floribus: quod erat vsitatũ veteribus illis Græcis, & Latinis, ut & ex utrisque scriptoribus intelligere licet, & nos in comment. Horatianis aliquot exèpla collegimus. BREVIS EST HIC FRUCTVS HOM. IAM FVERIT] *μύμνος* eorum, quæ dicere solent homines in poculis. sic Apollonides lib. 2. Epigramm. Græc. Ἐσθ' ὄρ' ἔπιμεδα πολὺς χρόνος. ἀλλά' ἐπέγυ: Ἡ πολὺ κερταφὼν ἀπτεται ἡμετέρων. id est Tempus erit longum, quo non potabimus: eia Corripit en nobis tempora canities. Plaut. Bacchid. Non tibi venit in mentem, amabo: si dum vinas, tibi bene facias. Iam pol id quidem esse haud perlonginquom? neque si hoc hodie amiseris, post in morte id euenturum vnuquam? AT QVE ARIDA TERRA] sic habent duo cod. manuscr. Faern. & Tethianus. reliqui duo: arida terræ: nonnulli vulgati, arida torrat: mendose.

dose. AVT ALIÆ CVIVS DESIDERIVM INSIDEAT RES] duo cod. manuscr. habent, Aut aliæ c. d. inf. res. Memmianus autem, Vaticanus, & Bertinian. rei, plane mendose. nam vel res, vel re legendum est pro rei. Aliæ autem patrius casus antiquus, ut notant Diomedes, Sospater, Priscianus, & ceteri grammatici. Iam patrius casus quintæ declinationis fuit veteribus es, e. ei, & ij, ut dies genit. dies, vel die, vel dici, vel dij. Ennius 16. ann. Postrema longinqua dies confecerit etas. M. Tull. pro P. Sextio. Equites verò daturos illius dies pœnas. Virg. Geor. li. 1. Libra dij, somnig, pares ubi fecerit horas. Licet igitur legere hoc loco vel re, vel res. cuius autem positum pro alicuius, ut sit hæc sententia, aut tanquam alię cuiuspiam rei desiderium insideat, ac remaneat. CVM PARITER MENS ET CORP.] cū dormimus altum & placidum somnum. NAM LICET AETER PER NOS] Nam licet per nos, &c. id est non recusamus, vel non obstatum, quo minus ita sit æternus sopor. sic locutus est, ut cum dicimus, per me stertas licet. per me trabantur pedibus omnes rei. id est non impedito quo minus stertas: non recusato quin omnes rei pedibus trahantur. NEC DESIDERIVM NOSTRI NOS ADFICIT VLLVM] sic reposui, cum vulgatorum alij habeant attigit, alij indigit. manuscriptorum autem adigit: quod depravatam est ex adficit. ET TAMEN HAUD QVAQVAM] cum dormimus (inquit) nosmetipsos non requirimus, neque vitam nostram, neque vlllo nostri desiderio afficimur: & tamen corpora prima, ex quibus animus noster constat, non longè aberrant à motibus sensiferis, neque tota anima foras eiecta est: quin ex somno excitamur, & expergiscimus. Quanto minus mortem ad nos pertinere existimandum est, in qua nullus sensus remanet? HAUD QVAQVAM NOSTR. T. ILLA P. ART. LONGE AB] nam si nimis longè aberrarent, & si omnis anima esset foras eiecta: tum mortuus esset homo, tumque iaceret æterno corpus perfusum frigore leti, ut ait li. 4. SI MINVS ESSE POTEST, &c.] si potest esse aliquid minus eo, quod nihil est: quod certe non potest. DISIECTVS] disiectio, dissipatio. CONSEQUITVR LETO] quidam docti legunt letum. libri autem omnes habent leto. quod interpretor, in leto, seu in morte, vel per letum. EXPERGITVS] expergitus (inquit Festus,) ab alio excitatus: quem solemus dicere expergescitum. Lucill. E somno pueros cum manè expergiu' clamas. Diomedes: expergiscor, experrectus: expergor expergitus. FRIGIDA QVEM, &c.] frigida vitæ pausa: id est mors, quæ est vitæ interruptio & cessatio. Itaque recte dixit frigidam. ut sup. eod. lib. gelidi vestigia leti. & lib. 4. Aeterno corpus perfusum frigore leti. sic Virgil. lib. 4. Æneid. Et cum frigida mors, &c.

*Denique si vocem rerum natura repente
 Mittat, & hoc alicui nostrum sic increpet ipsa:
 Quid tibi tantopere st mortalis, quod nimis agris
 Luctibus indulges? quid mortem congemis, ac fles?
 Nam si grata fuit tibi vita antea, priorque,*

*Et non omnia pertusum congesta quasi in vas
Commoda perfluxere, atque ingrata interiere:
Cur non, ut plenus vitæ conuiuia, recedis?
Aequo animoque capis securam stulte quietem?
Sin ea quæ fructus cunque es, periere profusa:
Vitæque in offensu st: cur amplius addere quæris,
Rursum quod pereat malè, & ingratum occidat omne?
Non potius vitæ finem facis, atque laboris?
Nam tibi præterea quod machiner, inueniamque
Quod placeat, nihil est: eadem sunt omnia semper.
Si tibi non annis corpus iam marcet, & artus
Confecti languent: eadem tamen omnia restant,
Omnia si perges viuendo vincere sæcla:
Atque etiam potius, si nunquam sis moriturus.
Quid respondeamus, nisi iustam intendere litem
Naturam? & veram verbis exponere causam?
At, qui obitum lamentetur miser amplius æquo:
Non meritò inclamet magis, & voce increpet acris?
Aufer ab hinc lachrymas barathro, & cõpescere querelas.
Grandior hic verò si iam, seniõrque queratur:
Omnia perfructus vitæ præmia marces:
Sed quia semper aues, quod abest: præsentia temnis:
Imperfecta tibi elapsa st, ingrataque vitæ,
Et necopinanti mors ad caput adstitit antè,
Quam satur, ac plenus possis discedere rerum.
Nunc aliena tua tamen ætate omnia mitte:
Aequo animoque, ægedum, iam aliis concedere: necesse st.
Iure (ut opinor) agat, iure increpet, incilet que.
Cedit enim rerum nouitate extrusa vetustas
Semper, & ex aliis aliud reparare necesse st:
Nec quicquam in barathrum, nec tartara deditur atra.
Materies opus est, ut crescant postera sæcla:
Quæ tamen omnia te vitæ perfuncta sequentur.*

*Nec minus ergo antè hæc, quam tu, cecidère, cadentque.
Sic alid ex alio nunquam desistit oriri:
Vitæque mancipio nulli datur, omnibus vsu.*

[QVID TIBI TANTO PERE] *ὅτι τοποποιε* nature: id est oratio, in qua facit naturam cum homine nimium vitæ cupido, mortemque horrente loquentem, grauisimamque, atque acerrima obiurgatione vtetem. PERTVSVM CONGESTA QVASI IN VAS] quod nihil continet, quodque nunquam expletur. infrà: *laticem pertusum congerere in vas, &c.* ATQVE INGRATA INTER.] et si nõ ingrata interiere. CVR NON, VTPLE NVS] imitatus est hunc locum Horat. saty. i. lib. i. *Inde sit ut rard, qui se vixisse beatum Dicat, & exacto contentus tempore vitæ Cedat, uti cõuiuia satur, reperi-re queamus.* Marius (vt refert Plutarchus in Mario) cū annos duos & septuaginta vixisset: septies consul primus omnium renunciatus, ac declaratus fuisset: suam fortunam deplorabat, quasi à morte occupatus antè quam ea, quæ cupiebat, assecutus esset, quæque cogitabat, perfecisset, è vita excederet: tã inexplibilis vitæ cupiditas homines tenet. Melius Plato, qui moriens Genium suum, fortunamque suam laudabat, primùm quod homo, non fera: deinde quod Græcus, non barbarus: postremò quod ætate Socratis natus esset. SIN EA, QVÆ FRVCTVS CVMQVE ES] id est sin ea omnia commoda, quæ in vitæ percepisti, tibi è memoria effluerunt, vel te non expleuerunt, & viuendo in aliquas offensiones incurristi, cur amplius addere quæris? cur vitam producere & prolatare cupis? *fructus* autem excudendum curavi secutus auctoritatem librorum manuscriptorum, cum in vulgatis legatur *functus* mendosè. *fructus sum* enim præteritum est à verbo fruor. M. Tull. in Hortensio. & humanitate summa perfructus est. VITAE IN OFF.] & si vitæ est in offensu, id est in offensione, vel, vt quidam legendum censent, in offensa, id est si in vitæ offendisti, & incurristi in aliquas difficultates, & res aduersas. in offensu autem reposui, cum in omnibus fere libr. *offenso* reperissem, memor peruersæ librariorum illorum consuetudinis: qui o pro u: & u pro o scribere solebant. Quod si legimus *in-offensa* st, *offensa* accipiendum erit pro offendiculo. NAM TIBI PRÆ-TEREA QVOD MACHINER] nam quod tibi præterea excogitem, aut fabricer, aut comminiscar, quod tibi placeat, nihil est. machinari dixit Latine, pro eo quod Græci *μηχανῶδες* dicunt. Plato in Gorgia *ἔὰν δὲ ἐλθῆ, μηχανη-τέον ὅπως ἂν διαφύγη, καὶ μὴ δῶν δύνῃ οὐ ἐχθρός:* id est si autem venerit in iudiciũ, omnis incunda ratio, omniisque machina adhibenda est, vt effugiat, & vt ne det pœnas. Xenoph. *κύριον παρὰ τὴν δέπης ἄεξ, καὶ βελτίων αὐτῶ φανῆ, δὲ ῥῆε, ἔφη, ὃ κύριον δὲν σε δέσει πῶ ἀγαθῶν ἀδελῶν μάλιστα, ἀλλ' ἐκείνος ἀρκεσει πῶτο μηχανώματος, ὡς ὑπολέσῃ τὸν αὐτῶ βελτίονα.* id est Si quis autem eo melior existat, bono animo es Cyre: non erit tibi necesse cum viro bono & forti pugnare: sed ille vnus huic rei fatis erit, omnem ad hanc rem machinam adhibens, vt virum se meliorem de medio tollat. Sic Plaut. Captiuus: *neque iam seruare salus, si vult, me potest: nec copia st, nisi si aliquam corde machinor Astutiam. quam, malum?*

quid machiner? quid comminiscar miser? Polyb. lib. 1. ἔτε ἄλλω ἐξήμιον εὐρέθει
 πῶς τὸ τοῦ μηχανῶν δουρατὸν. id est neque vllā aliam ad hoc machinā reperire
 pote. EADEM SVNT OMNIA SEMPER] facerissimus extat apud
 Lucian. Menippi & Chironis dialogus: in quo Chiron interrogatus à Me-
 nippo quamobrem, cum ei immortali esse liceret, mori maluerit, respon-
 det perpetuum rerum tenorem, & similia omnia suo tempore vicissim re-
 currentia vitæ fatietatem sibi peperisse. QUID RESPONDEAMVS]
 omnes quidem libri tum manuscripti, tum typis excusī habent *respondemus*,
 sed videtur legendum vel *quid respondeamus*, vt e & a coalescant in vnam
 syllabam, vel *responderimus* in præterito coniunctiu. AVFER AB HINC
 LACRYMAS BARATHRO] *barathro*: id est homo insatiabilissime, at-
 que avidissime. secutus sum autem hīc libros manuscriptos, qui partim ha-
 bent *baratre*, partim *barathro*: quibuscum consentiunt nonnulli typis excu-
 si. vulgati autem habent, *barde*. Iam *bardus* idem valet, quod stultus, & inge-
 nio tardus, vt docent Festus, & Nonius. Sed ego hoc loco *barathro* legen-
 dum puto, itēque apud Horat. *Mendici mimæ barathrones, hoc genus omne.*
 GRANDIOR HIC VERO, &c.] si quis verò natu grandior queratur,
 quod sibi sit moriendum: sic eum increpabit natura. *Omnia perfructus vitæ
 præmia marces*: id est omnibus vitæ præmiis perceptis, atque in vita degenda
 abunde gustatis, iam ætate confectus es. *perfructus* autem legendum, non
perfunctus, à verbo *perfruar*, vt sup. diximus. Cum his congruunt illa Eurip.
 in Alcest. Μήτην ἀπ' οἱ γέροντες ἔυχον· ἴδαντες τῆσσι Νέροντες, ἃ μακρὸν χρόνον εἶς· ἢ ἡδ'
 ἔχυσ' ἰδὸν θάνατος, ἔδ' εἰς βούλεται θῆσθαι, τὸ γῆρας ἄ· ἢ ἔτ' ἔς' αὐ τοῖς βάρῃ. QVOD
 ABEST] videlicet futurum. INGRATA QVE VITA] & non grata,
 neque tibi satisfaciens. ANTE QVAM SATVR,] Horat. satyra, quam
 suprà memorauimus. *Cedat vti conuiua satur.* NVNC ALIENA TA-
 M EN] sic Horat. epist. 2. lib. 2. in extrem. *Vivere si rectè nescis, decede peritis.*
Lustisti satis, edisti satis, atque bibisti. Tempus abire tibi est, &c. IVRE (VT OPI-
 NOR) AGAT] iure tecum sic loquatur: vel iure tibi hanc litem intendat.
 INCILET QVE] *incilare est increpare, vel improbare, atque incusare*, inquit
 Festus, Attius Meleagro. *Quique non me spernens, incilians probris, sermone indé-
 corans, turpi fama differret.* Pacuius Duloreste. *Si quis hac me oratione incilet,*
quid respondeam? Lucillius. *Nunc Cæ quoniam incilians nos ledit vicissim.* CE-
 DIT ENIM RERV M NOVITATE] sic Horat. epist. ad Pison. *Vt siluæ
 foliis pronos mutantur in annos, &c.* ad quem locum lege si vacas, quæ annota-
 uimus. NEC QVICQVAM] id est nec quicquam in nihilum interit, vt
 docuit lib. 1. sed omnia resoluuntur, & reuertuntur in corpora prima. *Huc
 accedit vtiq; quæque in sua corpora rursum Dissoluat natura, neque ad nihilum in-
 terimat res.* DEDITVR ATRA] ad oram libri Bertin. ascriptū erat à ne-
 scio quo emendatore, *decidit*. in ipso contextu scriptum *dedit*: in vno alio
 manuscripto integrum inest *decidit*: in vulgatis *deditur*: quos secutus sum.
decidit tamen probo. MATERIES OPVS EST] sic sup. lib. 2. locutus
 est. *Scire licet nil principis opus esse colores.* M. Tull. epist. ad Curion. lib. 2.
dux nobis & auctor opus est, & eorum ventorum, quos proposui moderator quidam,
& quasi gubernator. QVÆ TAMEN OMNIA, &c.] quæ tamen omnia

vbi vita defuncta fuerint, te sequetur, & morientur, vt tu. NEC MINVS
 ERGO ANTE HÆC QVAM TV.] hic versus variè reperitur & scri-
 ptus & impressus in codicibus: alij enim habent *quàm tu, cecidere*, vt excu-
 dendum curavi: alij, *quàm nunc*, alij *quàm tunc*, alij *quàm cecidere*, ita vt faci-
 le appareat mendum subesse in particula *tunc*, aut *nunc*. ego *tunc* non probo.
tu, aut *nunc* legendum censeo, ita tamen vt, si legamus *quàm nunc*, legi velim
ante hæc: si *quàm tu*, *antè hæc*: quorum vtrum sit melius, iudicet lector. co-
 dices quidem tres manuscripti habent, *quàm tu*. Horatius hunc locum mu-
 tuatus est epist. ad Pisones: *Multa renascentur, quæ nūc cecidere, cadentque. Quæ
 nunc sunt in honore vocabula, si volent vsus. SIC ALID EX ALIO] alid pro
 aliud, ab antiquo nominatio alis, de quo suprà ad illū versum lib. 1. Quan-
 do alid ex alio reficit natura, nec vllam, &c.* DESISTET] sic habent libri ma-
 nuscripti, & aliquot typis impressi. VITA QVE MANCIPIO NVLLI
 D.] id est (vt loquuntur recentiores iuriscōsulti) nulli datur vitæ proprie-
 tas, sed vsus, aut vsusfructus tantum. *mancipium* dictum est à manu capien-
 do. Itaque *mancipio* ea accepisse dicimur, quorum dominium nobis qua-
 situm est, seu quorum domini sumus, per abalienationem aliquam, videli-
 cet per emtionem lege *mancipi* seruata, aut per donationem, aut per in iu-
 re cessionem: & *res Mancipi* dicuntur, quarum dominium ab alio in alium
 transferri potest, quæque alienari possunt: & *mancipio dare*, est rem *manci-
 pi*, puta, fundum, domum, equum, seruum alienare per traditionem, ita vt
 præstare debeas emtori, aut per in iure cessionem. M. Tull. Topic. *Finge
 Mancipio aliquem dedisse id quod Mancipio dari non potest: num iccirco id eius factū
 est, qui accepit? aut num is, qui Mancipio dedit, ob eam rem se vlla re obligauit?* M.
 Curius ad Cic. lib. 7. epist. *Sum enim χεῖρῶν ἰδῶ* (id est vsu quidem) *tuus:*
κτῆσῶ δὲ (id est possessione & *mancipio*) *Attici nostri. Ergo fructus est tuus:*
mancipium *verò illius.* M. Tull. ad Cur. eodem lib. *Attici quando proprium te
 esse dicis Mancipio, & nexu, meum autem vsu & fructu, contentus isto sum. Id enim
 eniusque proprium est, quo quisque fruitor, atque utitur.* Plautus Curculione. *Quis
 tibi hanc dedit Mancipio? aut vnde emisti? fac sciam.*

*Respice item quàm nil ad nos antea acta vetustas
 Temporis æterni fuerit, quàm nascimur, antè.
 Hoc igitur speculum nobis natura futuri
 Temporis exponit, post mortem denique nostram
 Num quid ibi horribile apparet? num triste videtur
 Quicquam? nōnne omni somno securius extat?
 Atque ea nimirum quæcunque Acherunte profundo
 Proditæ sunt esse, in vita sunt omnia nobis.
 Nec miser impendens magnum timet ære saxum
 Tantalus (vt fama est) cassa formidine torpens:*

Sed magis in vita diuini metus vrget inanis
 Mortaleis, casumque timent, quem cunq̄ue ferat fors.
 Nec Tityon volucres ineunt Acherunte iacentem:
 Nec, quod sub magno scrutentur pectore, quicquam
 Perpetuam aetatem poterunt reperire profecto,
 Quamlibet immani proiectu corporis extet,
 Qui non sola nouem dispersis iugera membris
 Obtineat, sed qui terrai totius orbem:
 Non tamen aeternum poterit perferre dolorem:
 Nec praeber e cibum proprio de corpore semper.
 Sed Tityos nobis hic est, in amore iacentem
 Quem volucres lacerant, atque exest anxius angor:
 Aut alia quavis scindunt cuppedine cura.
 Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est,
 Qui petere à populo fasceis, seu a s̄que secureis
 Imbibit: & semper victus, tristi s̄que recedit.
 Nam petere imperium, quod inane est, nec datur vnquam:
 Atque in eo semper durum sufferre laborem:
 Hoc est aduerso nixantem trudere monte
 Saxum, quod tamen à summo iam vertice rursus
 Voluitur, & plani raptim petit aequora campi.

RESPICE] retrò aspice tempus praeteritum. QUAM NASCIMVR ANTE] antè quàm nascimur. HOC IGITVR SPECVLVM] vt, quemadmodum praeteritum tempus, quo non fuimus, nihil ad nos pertinet, ita neque futurum, quo nõ erimus, quicquam nos attingat. EXPONIT] proponit, foris ponit, & expromit. POST MORTEM DENIQVE] hæc cõ iunctè lego cum superioribus. NVN QVID IBI, &c. ibi, nempe in tempore praeterito, quo non fuimus. ATQVE EA NIMIRVM] hic locus erat deprauatus in omnibus libris impressis: integer & incorruptus in trib. codicibus manuscriptis, quos secuti sumus. accedit Priscianus, qui lib. i. hũc versum ita legit: *Atque ea nimirum quaecunq̄ue Acherunte profundo*, vbi docet *Acherunte* legendum per u, non *Acheronte* per o. idque more veterum. Atque ea (inquit) omnia, quae poëtae prodiderunt esse apud inferos, Tantalus, Tityus, Sisyphi, Danaidum poënae, Cerberus, Furiae, Tartarus &c. sunt nobis in vita, nõsque viuos exercent, lacerant, excruciant, exterrent, fodicant. Ad hunc locum pertinent, quae scribit Seruius ad illum versum, *Cernere erat, per*

tota nouem, &c. libro 6. Aeneidos; his verbis. *Sandè de his omnib. rebus mire reddidit rationem Lucretius, & confirmat in nostris esse vita omnia quae finguntur de inferis. dicit enim Tityon amorem esse, hoc est libidinem: quae secundum phisicos, & medicos in icore est, vt risus in splene, iracundia in felle, &c. NEC MISER IMPENDENS] Eurip. Oreste. Κορυφῆς ὑπὲρ τέλλοντα δειμαίνων πέρσον Αἰεὶ ποτῆϊ, ἔ τινοι τῶ πτω δὴ λυῖ. Sed apud Homerum alia poëna Tantalus afficitur: quam Horatius attigit sary. i. lib. i. Tantalus à labris suiens fugientia captat Flumina. M. Tull. Tuscul. quæst. lib. i. mento summam aquam attingens, siti enecltus Tantalus. CASSA FORMIDINE] inani metu. QVEM CUNQVE FERAT FOR S] ita legi debet: & ita scriptum est in libris antiquis. NEC TITYON VOLUCRES] Horat. od. 4. lib. 3. Incontinentis nec Tityi iecur Relinquit ales nequitiæ additus Custos. NEC QVOD SVB MAGNO] nec certe possent, aut possunt perpetuò reperire quicquam, quod sub Tityi pectore scrutentur, & pascantur. QUAMLIBET IMMANI, &c.] quantumuis magnum terrae spatium suo corpore occupet. de quo sic Virgil. 6. *per tota nouem cui iugera corpus Porrigitur: restroq̄, immanis vultur adunca Immortale iecur tundens, sacundaque poënis Viscera, &c. SED TITYVS NOBIS] amator (inquit) Tityus est. lege Macrobi. lib. i. cap. 10. in somn. Scip. de inferorum poënis. CUPPEDINE CURAE] codex Vatic. Memm. & Bertin. habent *cuppedine cura*. quos secutus sum. alij, & plerique vulgati. *torpedine cura*. SISISYPHVS] ambitiosus (inquit) in hac vita Sisyphus est: QUI PETERE A POPULO FASCEIS] qui petere à populo honores. IMBIBIT] imbibit petere, id est induxit in animum petere: hoc sibi persuasit, honores esse petendos. certum ac deliberatum ei est honores petere. sic loquitur lib. 6. *vi ex ira poënas petere imbibat acreis.* & ita M. Tull. orat. pro Quintio. *Quid si facere nolit, atque imbibit eiusmodi rationibus illum ad suas condiciones perducere: sese nihil precari &c.* sic enim hic locus legendus, & ita impressum est in libris Manutianis. sed hoc de verbo lege cap. 5. lib. i. Variar. lectionũ M. Antonij Mureti. ET SEMPER VICT. TRISTISQVE RECEDIT] Horat. epist. ad Quint. lib. i. *pone meum est: pono, tristi s̄que recedo. ATQVE IN EO SEMPER D. S.]* cod. Vaticanus habet, *Atq̄, ideo semper, &c.* Iccirco Epicurus negabat sapientem ad temp. accessurum. Horatius in ea, quam modo commemoravi epistola, pulchrè ostendit popolareis honores esse admodum incertos, fluxos, & caducos. Pausanias in Atticis hoc amplius, grauitèr asseuerat, nondum cuiquam, qui sese effusè ad temp. gerendam contulerit, seseque auræ populari crediderit, oprabilem exitum contigisse. verba eius sunt hæc: *Εὐ δὲ μοι κελύχῃσι δοκῆι, ἀνδρῶν ἀρετῶν ἔσπεσοντα ἔς πολιτείας, ἢ περὶ ἡγοσιμεθρον τὰ τῶ δῆμου, μὴ πτω χελεύσῃ τελευτῆσαι.* HOC EST ADVERSO, &c.] hoc facere (inquit) est nixantem aduerso monte, saxum trudere. sic de Sisypho vetus quidã poëta, apud M. Tull. *quod Sisyphus versat Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum.***

*Deinde animi ingratis naturam pascere semper:
 Atque explere bonis rebus, satiarèque nunquam:*

Quod faciunt nobis annorum tempora, circum
 Cum redeunt: fatiſque ferunt, variſque lepôres,
 Nec tamen explemur vitæ fructibus vnquam:
 Hoc (vt opinor) id eſt, auo florente puellas
 Quod memorant, laticem pertuſum congerere in vas:
 Quod tamen expleri nulla ratione poteſtur.
 Cerberus & Furia iam verò, & lucis egenus
 Tartarus horriferos eructans faucibus æſtus,
 Hæc neque ſunt vſquam, neque poſſunt eſſe profectò.
 Sed metus in vita pœnarum pro malefactis
 Eſt inſignibus inſignis, ſceleris que luela
 Carcer, & horribilis de ſaxo iactu deorſum,
 Verbera, carnifices, robus, pix, lamina, tede:
 Quæ tamen & ſi abſunt: at mens ſibi conſcia facti
 Præmetuens, adhibet ſtimulos, torrét que ſtagellis:
 Nec videt interea, qui terminus eſſe malorum
 Poſſit, nec quæ ſit pœnarum denique finis:
 Atque eadem metuit magis hæc ne in morte graueſcant:
 Hinc Acheruſia ſit ſtultorum denique vita.

DEINDE ANIMI INGR. NAT. P.] deinde (inquit) animum paſcere ſemper bonis rebus, & nunquam iis rebus explere, neque ſatiare, quod ſit cum redeuntibus annis tâta rerum, quas terra parit, copia fruenter, nunquam explemur tamē: hoc eſt aquam in dolium pertuſum cōgerere: quod de Danai puellis fabulantur poëtæ. Nonius Marcellus hos verſus profert in verbis *explere & ſatiare*: atque ita interpretatur, *explere quidem animum bonis rebus, ſed nunquam ſatiare*: quaſi explere ſit minus, quàm ſatiare: ſed errat, mea quidem ſententia. ATQUE EXPLERE BONIS R. S.] ordo. atque explere nunquam, nunquamque ſatiare bonis rebus: hunc verſum profert Nonius (vt dixi) duobus locis. Taleis deſcribit lenas Argyrippus ille apud Plaut. Aſin. qualis hîc Lucretius homines nimiam vitæ cupidus, & infinita viuendi cupiditate ardenteis. *Qui moduſt dandi? nam nunquam tu quidem expleri potes. Modò cum accepisti, band multo pòſt aliq̄uid, quod poſcas, parvas.*

CIRCVM CVM REDEVNT] cum reuoluuntur, ὅτε ἀπέχρονται. ex quo appellantur ἀναυτοι, quaſi in ſe redeuntēs, & anni ἀεπλόμοι ab Homero dicti, quaſi ἀεπλόμοι. LATICEM PERTVSVM CONG. IN VAS] Horat. od. II. lib. 3. *Audiat Lyde ſcelus, atque notas Virginum pœnas, & inane lymphæ Dolium fundo pereuntis imo, Serâ que fata. POTESVR]* ita loquebantur

bantur veteres, cum iungebatur huic verbo infinitius paſſius. Pacuſius. *ſiqua poteſtur inueſtigarî via.* Quadrigarius annal. 3. *Adeo memorari nō poteſtur.* Cælius lib. I. annal. *Cum iure ſine periculo bellum geri poteratur.* Virg. Æneid. 8. *Quod fieri ferro, liquido ve poteſtur electro.* ſic enim legunt Nonius, & Prifcianaſ reclamante Politiano, qui legendum contendit, poteſt electro. SC E L E R I S Q V E L V E L A] & carcer ſceleris expiatio, & pœna. Sic ego hūc locum explico. Sed nonnulli codices typis excuſi, in quibus ſunt Aldini antiq. & quidam manuſcripti, habent *ſceleris que numella*. Eſt autem numella (vt docet Nonius) machinæ genus ligneum ad diſcruciandos noxios cōparatum, quò & collum, & pedes immittunt. Feſtus autem ſcribit genus eſſe vinculi, quo quadrupedes deligantur. Plaut. Aſin. *Nervos, catenas, carcere-rem, numellas, pedicas, boias.* Ego quid ſibi velint hæc, *ſceleris que numella*, non video. quare vulgatam & receptam probo. ET HORRIBILIS DE S A X O I A C T V D E O R S V M] ſic reſtitui facili coniectura ductus. Nam cum reperiffem in quodam cod. peruétuſto *iactus deorum*, ſapèque in hoc loco hæſiffem, neque viderem quò pertineret vox *eorum*, facile adductus ſum, vt reponerem *deorſum*. neque eſt quòd quēquam moueat, quòd hoc loco ſit triſyllabum: cum in I. lib. ſit diſyllabum, ibi Nam *per aquas quacunque cadunt, at que aera deorſum*, & item alibi. ſit enim hoc idem in aliis vocibus, vt in ſueuit, ſuadet, ſeorſum: nempe, vt modò ſunt diſyllaba, modò triſyllaba, vt hoc lib. ſup. *Conturbatur, & (vt docui) diuiſa ſeorſum, Diſiectatur eodem illo & c. lib. 4. Aër, id quod nos umbram perhibere ſuemus. & lib. 2. Quin vacuum per inane deorſum cuncta ferantur.* deiciēbantur autem de ſaxo Tarpeio perduellionis rei, id que iuſſu tribuni plebis. Horat. ſaty. 6. lib. 1. *Deicere è ſaxo ciueis, & tradere Cadmo?* R O B V S] robus (vt docet Feſtus) *dicitur is locus, quò præcipitatur maleficiorum genus, quòd antè arcis. robuſtèis includebatur.* L A M I N A] lamina candens. Horat. epiſt. ad Vaalam. *ſcilicet vt ventres lamna candente nepotum Diceret vrendos.* P R A E M E T V E N S] ante quàm ſit damnatus, aut accuſatus metuens. H I N C A C H E R V S I A] ex hoc (inquit) ſtultorū vita ſit anxia, ſollicita, ærumnoſa, omnibus denique pœnis & cruciatibus referta, ita vt videantur viui eas pœnas perferre, quibus Tantalus, & Sifyphus, & Tityus, & Danaides & c. affici apud inferos putantur.

Hoc etiam tibi tute interdum dicere poſſis:
 Lumina ſis oculis etiam bonus Ancuſ reliquit,
 Qui melior multis, quàm tu, fuit, improbe, rebus.
 Inde alij multi reges, rerūque potentes
 Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.
 Ille quoque ipſe, viam qui quondam per mare magnum
 Stravit, itérque dedit legionibus ire per altum,
 Ac pedibus ſalfas docuit ſuperire lacunas:
 Et contempſit, aquis inſultans, murmura ponti,

Lumine ademto animam moribundo corpore fudit.
 Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror,
 Ossa dedit terra proinde ac famul infimus esset.
 Adde repertores doctrinarum, atque lepōrum:
 Adde Heliconiadum comites: quorum vnus Homerus
 Sceptra potitus, eadem aliis sopitu' quiete' st.
 Denique Democritum postquam matura vetustas
 Admonuit memorem motus languescere mentis,
 Sponte sua leto caput obuivis obrulit ipse.
 Ipse Epicurus obit decurso lumine vitæ,
 Qui genus humanum ingenio superauit, & omneis
 Præstinxit stellas, exortus vti atherius sol.
 Tu verò dubitabis, & indignabere obire,
 Mortua cui vita est propè iam viuo, atque videnti?
 Qui somno partem maiorem conteris aui?
 Et vigilans stertis, nec somnia cernere cessas,
 Sollicitamque geris cassa formidime mentem?
 Nec reperire potes, quid sit tibi sepe mali, cum
 Ebrius vrgeris multis miser vndique curis,
 Atque animi incerto fluitans errore vagaris?

HOC ETIAM TIBI TVTE] Præscribit hîc quædam, quæ magnopere
 valent ad mortem æquo animo ferendam, cum recordemur viros præstan-
 tissimos, potentissimos, & clarissimos eadem conditione vfos esse. LV-
 MINA SIS OCVLIS ETIAM] sic restitui ex auctoritate quattuor li-
 brorum manuscriptorum. sis autem antiquum pro suis: quemadmodū sum
 pro eum posuit Ennius lib. 1. At te non, vt sum, summam seruare decet rem: &
 lib. 2. At sese sum quæ dederat in luminis oras. & sos pro eos antiqui dicebant.
 Idem Ennius. Constitit inde loci propter sas diua deorum. & interdum pro suos, vt
 cum per datiuum casum idem Ennius effert, sis pro suis: Postquam lumina sis oculis
 bonus Ancu' reliquit. Hæc ferè ad verbum Festus. vnde perspicuum est, Lu-
 cretium hunc versum ab Ennio mutuatum esse. MAGNIS QUI GEN-
 TIBVS IMPER.] imitatus est hunc versum Horat. saty. 6. lib. 1. qui ma-
 gnis legionibus imperarunt. ILLE QVQVE IPSE] Xerxes, qui Helle-
 ponto iuncto, Athone perfosso maria ambulauit, terramque nauigauit, vt
 narrat Herod. Polyhymn. DOCVIT.] tralatio. sic loquitur Horat. epist.
 ad Villicum: Addit opus pigro viuius, si decidit imber, Mulia mole docendus aprico
 parere campo. idem epist. ad Pison. Seu cursum mutauit iniquum frugibus amnis

Doctus iter melius. SVPERIRE] sic habent quattuor libri manuscripti: &
 ita legendum. ET CONTEMPSIT AQVIS INSVLTANS MVRM.]
 & insultans aquis, contempsit murmura ponti. aquis autem legendum, non
 equis, si historiam spectes, quæ est apud Herodotum Polyhymn. vbi narrat
 ille Xerxem indignatum quòd audisset pontem in Helle ponto factum, co-
 orta sæua tempestate esse disturbatum, & contritum, iussisse trecentas pla-
 gas fluctibus infligi, & mare verberari, & compedibus cōstringi, cum qui-
 dem ij quibus hoc negocij datum esset, talia quædam loquerentur obiur-
 gantes, ὁ πνεύρον ὕδατος, ἡ ἀλλυρόν, δεσπότισται, δίκλω ἔπιπτεῖ πῶδε, ὅτι μιν ἡ δίκησος,
 ἔδεν ποδὸς ἐκείνου ἄδικον παδάν: ἡ βασίλεις ἡδὲ ἑρέτης διαβύσει τὰ ἴσα ἦν τε σὺ γὰρ βέλῃ, ἦν τε
 μιν. σὶ δ' ἤ κ' δίκλω ἄεξ. ὅς ἔδεις ἀνδρόπων δύς, ὅς ἔδεντι δολεροῦ τε ἡ ἀλλυρόν ποταμῶ:
 id est ὁ aqua amara & falsa. dominus has de te pœnas sumit, quia eum iniu-
 stè læsisti, nulla ab eo accepta iniuria: & rex quidem Xerxes te traiciet ve-
 lis nolis: meritò autem tibi nemo homo sacrificat, vtpote qui sis fluuius do-
 losus & falsus. Iam insultare est contumeliose quippiam in alterum aut di-
 cere, aut facere. Virgil. Æneid. 8. neque finitimus Mezentius vnquam Huic ca-
 piti insultans tot ferro sæua dedisset Funera. idem 10. Cernis vt insultent Rutuli.
 Horat. od. 3. li. 3. Dum Priami, Paridisque busto Insuldet armentum. ANIMAM
 MORIB. CORP. F.] Xerxes ab Artabano interfectus est, cum annos
 amplius xx. Persarum regnum obtinisset, vt scribit Diod. Siculus lib. 11.
 SCIPIADES] Scipio. sic Horat. saty. 1. lib. 2. Virtus Scipiada, & mitis sapiē-
 tia Lali. BELLI FVLM.] Virgil. Æneid. 6. duo fulmina belli Scipiadas.
 PROINDE AC] tanquam, proinde ac si. FAMVL INFIMVS] famul
 famulus (inquit) Nonius. Ennius. mortalem fortuna repente Reddidit è summo re-
 gno vt famul infimus esset. sic autem emendauit Ennij versum, qui corruptus
 est apud Nonium. Famuli origo (inquit Festus) ab Oscis dependet, apud quos ser-
 uus famul nominabatur: vnde & familia vocata. ADDE HELICONIA-
 DVM] Adde (inquit Lucret.) Musarum comites, nempe poëtas. profert hûc
 versum Nonius, cum eo qui deinceps sequitur, in verbo potior, docens hoc
 verbum interdum inuigi cum quarto casu, vt hîc: & ita Terent. A delph. Ille
 autem sine labore patria potitur commoda. QVORVM VNVS HOM. SC. P.]
 id est, quorum vnus Homerus primus, & principatum obtinens. EADEM
 ALIIS SOP.] Græcorum more locutus est. ἡ αὐτῆ ποίς ἄλλοις. id est eadem
 atque alij. sic lib. 2. Atque animalibus sunt mortalibus vna, eademque. & lib. 4.
 Nempe eadem facit, & scimus facere omnia turpi. & Horat. Inuitum qui seruat,
 idem facit occidenti. DENIQUE DEMOCR. POSTQ. MAT. VET.]
 Democritum, cum centum & nouem annos vixisset, primò mortem pro-
 pinquam dies aliquot nidore panum retardasse: deinde spõre sua mortem
 oppetisse traditum est. ADMONVIT MEMOREM] sic emendauit, recla-
 mantibus codicibus omnibus. quin autem ita sit legendum nemo doctus
 dubitabit. notum prouerbiū memorem moues, seu admones. Plaut. Sticho.
 capri consilij memorem mones. IPSE EPICVRVS.] Ipse vñ ἐξοχῶ dictum
 & ἐμοσωντικῶς. illud autem alterum, ipse, quod antecedit, idem valet quod vl-
 tro. Non enim Democritus diem mortis expectauit, sed anteuerit, & ca-
 put ei vltro obtulit: nisi quis dicat legendum obtulit ipsi, vt cohæreat cum

voce *leto*, manente eadem sententia. DE CURSO LUMINE VITAE] duæ tralationes dissimiles concurrentes, & confusæ. nam decurrere spatiū vitæ, seu decurrere ætatem, tralatio est à cursoribus. Terent. Adelph. *Nam ego vitam duram, quam vixi vsque adhuc, prope iam decurso spatio, mitto.* Plaut. Stich. *Quid mihi opus est decurso spatio cum eis gerere bellum?* M. Tull. pro Quinctio: *prope acta iam ætate, decursa que, iam lumen vitæ altera tralatio est:* Ita decurrere lumen vitæ duas continet tralationes permixtas, simile quiddam notat M. Anton. Muretus apud Catull. ad illum locum, *Loquente sæpe sibilum edidit coma, ad faselum.* ET OMNEIS PRÆSTINXIT STELLAS] hîc codices manuscripti, neque cum impressis, neque ipsi inter se consentiunt: sed alij habent *restinxit*, alij *restrinxit*, alij *extinxit*. Ego autem partim his scripturis consideratis, atque inter se comparatis, partim sententia Lucretij exquisita non dubitavi reponere *Præstinxit*, vt sit præteritū à verbo *Præstinguo*: quod verbū libratorum culpa penè è tora lingua Latina deletū esset, nisi ego à Nonio Marcello commonitus restituissem. Nam vbicunque apud M. Tull. Plautum, & ceteros legitur *præstringere*, & *præstrinxit* oculorum aciem, legendum est *præstinguere*, & *præstinxit*. est enim verbum compositum à *præ* & *stinguo*. quo verbo vitur Lucretius lib. 2. & 4. *Præstinguere* autem (vt docet Nonius) valet obtenebrare. Cum igitur hoc loco Lucretius innuat & significet Epicurum aliorum omnium philosophorum nominis splendorem, & gloriam obscurasse, atque (vt ita dicam) obtenebrasse, quemadmodum sol exoriens stellarum fulgorem obscurat: dubitari non potest, quin legendum sit *præstinxit*, non *restinxit*, aut *extinxit*. non enim sol exoriens stellarum splendorem extinguit, sed duntaxat præstinguit. restinguit autem multo minus, nam restinguere de ardore, aut colore dicitur, non de lumine, aut fulgore. Præstinxit igitur hîc legendum. Ac sententiam meam adiuuat M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. *Sol dictus vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus, vel quia cum est exortus, obscuratis omnibus solus apparet.* non dixit *extinctis*, sed *obscuratis*, id est obtenebratis, ac præstinctis. à quo verbo dictæ sunt præstigiæ, & à præstigiis præstigiatores. hos versus proferes Luctar. lib. 3. de falsa sapient. Quos equidem versus (inquit) nunquam sine risu legere possum. Non enim de Socrate aut Platone hoc saltè dicebat, qui velut reges habentur philosophorum: sed de homine, quo sano & vigente nullus æger ineptius delirauit. STELLAS] philosophos, & sapiētes. PROPE IAM VIVO ATQUE VIDENTI] *ὅσον τὸ ὄρασι*, prouerbum olet. Terent. Eun. *uiuus, videns que pereō.* M. Tull. pro Quinctio. *huic acerbißimum viuo, videnti que funus ducitur.* Idem pro P. Sextio. *uiuus (vt aiunt) est, & videns cum victu, ac vestitu suo publicatus.* Æschines *κατὰ κτήσιφ. τὰ δέκα τάλαντα ὄραντων, φερούων των, βλαπέντων ὁ μὲν ἔλαθον ὁ φιλόσοφος:* id est decē talenta videntibus, afficientibus vobis furtim subtraxerunt. ET VIGILANS STERTIS] sic Amphitryo ille in comœd. sui nominis apud Plautum. *vix apud me sum. Vigilans prope dormio: vigilans somnior uiuus & sanus intereo.* CASSA FORMIDINE] inani timore. ATQUE ANIMI INCERTO FLERR.] ordo: *Fluitans incerto animi errore vagaris, error animi, & error mentis quid significant apud scriptores, non obscurum*

est. M. Tull. lib. 3. epist. ad Attic. *Nam quod scribis te audire, me etiam mentis errore ex dolore affici, mihi verò mens integra est.* Horat. epist. 2. lib. 2. *pol me occidisti amici, Non seruas, ait, cui sic extorta voluptas, Et demtus per vim mentis gratissimus error.* ita neque de veritate huius scripturæ dubitandum est, & vulgata illa *Atque animo incerto* &c. reicienda est. Veruntamē doctus quidam, idēque mihi amicissimus, putabat legendum *Atque animi incerti fluitans errore vagaris.*

*Si possent homines, proinde ac sentire videntur
Pondus inesse animo, quod se grauitate fatiget,
E quibus id fiat causis quoque noscere, & vnde
Tanta mali tanquam moles in pectore constet:
Haud ita vitam agerent, vt nunc plerunque videmus,
Quid sibi quisque velit, nescire, & querere semper,
Commutare locum, quasi onus deponere possit.
Exit sæpe foras magnis ex adibus ille,
Esse domi quem pertæsum st. subito que reuertit:
Quippe foris nihilo melius qui sentiat esse.
Currit agens mannos ad villam præcipit anter,
Auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans:
Oscitat extemplo tetigit cum limina villa:
Aut abit in somnum grauis, atque obliuia querit,
Aut etiam properans urbem petit, atque reuifit.
Hoc se quisque modo fugit: at, quod scilicet, vt fit,
Effugere haud potis est, in gratis hæret, & angit,
Propterea, morbi quia causam non tenet ager:
Quam bene si videat: iam rebus quisque relictis
Naturam primum studeat cognoscere rerum,
Temporis æterni quoniam, non vnius horæ,
Ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis
Actas post mortem, quæ restat cunque, manenda:
Denique tantopere in dubiis trepidare periclis
Quæ mala nos subigit vitæ tanta cupido?
Certa quidem finis vitæ mortalibus adstat,
Nec deuitari letum pote, quin obeamus.*

*Præterea versamur ibidem, atque insumus vsque:
 Nec noua viuendo procuditur vlla voluptas.
 Sed dum abest, quod auemus, id exsuperare videtur
 Cetera, post aliud, cum contigit illud, auemus:
 Et sitis aqua tenet, vitæ semper hianteis:
 Posterâque, in dubio est, fortunam quam rebat ætas,
 Quidve ferat nobis casus, qui've exitus instet.
 Nec prorsum vitam ducendo, demimus hilum
 Tempore de mortis, nec delibrare valemus,
 Quo minus esse diu possimus morte peremti.
 Proinde licet quot vis viuendo condere sæcla,
 Mors æterna tamen nihilo minus illa manebit:
 Nec minus ille diu iam non erit, ex hodierno
 Lumine qui finem vitæ fecit, & ille,
 Mensibus, atque annis qui multis occidit antè.*

E' QVIBVS ID FIAT] si ita possent homines suarum ægritudinum, & molestiarum causas cognoscere, ut sentiunt molestiarum aculeos, & grauitatem: non ita viuerent, ut magna ex parte eos viuere videmus. Videtur legendum, *Et quibus id fiat causis, &c.* & ita habent cod. Parisienses. **MALI TAN QUAM MOLES]** εἰρων. quod si dixisset *mali moles*, non addito *tanquam*, fuisset translatio. sic lib. 1. de orat. ad Qu. Fratr. princip. *in eo maxima molestiarum moles, & turbulentissima tempestates extiterunt.* Idem lib. 3. Tusc. *Aui semper aliquã molem meditabar mali.* **QVDSIBI QVISQVE]** sic legendum, & ita habent lib. manuscr. & nonnulli impressi. **EXIT SAERPE FORAS]** talis describitur Charinus ille Plautinus in Mercat. *Sûmme ego miser, qui nusquã bene queo quiescere? Si domi sum, foris est animus: si foris sum, animus domi est: Ita mihi in pectore, atque in corde facit amor incendium.* **MANNOS]** equos breues & paruos. Hora. epist. ad Mæcen. lib. 1. *Impositus mannis aruum, calidumque Sabinũ Non cessat laudare.* **AUXILIVM TECTIS QVASI FERRE]** significat summã festinationẽ. **OSCITAT EXTEMPLO]** oscitatio hominis est aliud agentis, & præsentibus non cõtenti, & quæ adsunt, fastidientis, & quæ absunt, desiderantis. **ATQVE OBLIVIA QVAERIT]** quærit quomodo ea obliuiscatur, quæ sibi molesta sunt. Horat. saty. 6. lib. 2. *O rus: quando ego te aspiciam? quandoque licebit, Nunc veterum libris, nunc somno, & inertibus horis Ducere sollicita iucunda obliuia vitæ?* **HOC SE QVISQVE MODO]** Horat. saty. 7. lib. 2. *adde quòd idem Non horam tecum esse potes: non otia recte Ponere: tẽque ipsum vitas fugitivus vt erro, Iam vino quærens, iam somno fallere curam, Frustra: nam comes atra premit, sequiturque fuga-*

cem. nemo igitur se fugere potest, ne ij quidem, qui relictâ patria alias terras perunt: Quid igitur (inquit idem Horat. oda 16. lib. 2.) terras alio calenteis Sole mutamus? patria quis exsul Se quoque fugit? AT, QVOD SCILICET, VTFIT, &c.] secutus sum codices vulgatos. sed suspicor hoc in loco inesse aliquid vlcis. nam manuscr. habent. *ad quem scilicet, &c.* ut fortasse legendum sit, *at, quem scilicet, vt sit, &c.* cuius lectionis hæc esset sententia. at is, quem non potest effugere: nempe ipsemet, (nemo enim se effugere potest) ingratiis hæret: vel sume *ἄνω κινῶ* vocem *morbus*, hoc modo, at morbus, quem effugere non potest, ingratiis hæret, & angit, quia ipsius morbi causam ignorat. **INGRATIS]** ingratiis, aut ingratis pro ingratiis aduerbium est: quod significat inuitẽ, & præter voluntatem, & non sponte: quod Græci dicunt *ἀνωθως*. Plaut. Amphir. Sol. *Non adepol volo profectõ. M. at pol profectõ ingratiis.* Idem Curcul. *Tamen est eundum, quò imperavit, ingratiis.* idem Cistell. *Nunc mihi bona necessu est esse ingratiis.* Terent. Eunuc. *Opus faciam, vt defatiger vsque, ingratiis vt dormiam.* Idem Heautont. *ea coacta, ingratiis Postilla coepit victum vulgò quærere.* Vclim autem non ignorare lectorem, quòsdam libros, in quibus sunt Parisienses, habere hoc loco, *inuitus adhæret*, pro vera scriptura *ingratiis hæret*. quod iccirco notavi, vt meminerit quòd supra pluribus verbis egi, ad illum locum *Tum quasi talipedans, &c.* hanc vocem *inuitus*, seu *inuito*, fuisse annotationem: deinde ab imperito, & stulto librario in texturam verborum Lucretij transcriptam esse. **IAM REBUS QVISQVE RELICTIS]** rebus relictis, vltatum genus loquendi veteribus, quod idem valet atque rebus aliis omnibus relictis. Plaut. Epid. *Ego relictis rebus Epidicum operam quærendo dabo.* Idem Trinu. *Probus est amator, qui relictis rebus rem perdit suam.* Terent. Andr. *Hærus me relictis rebus iussit Paphzulum Hodie obseruare.* Idem Heautont. *Mihi nunc relictis rebus inueniendus est Aliquis, labore inuenta meo cui dem bona.* vbi tamen vulgati libri habent *relictis omnibus*, cum sit legendum, *relictis rebus*, itaque scriptum sit in libris manuscr. **TEMPORIS AETER. QVON. N. V.N. H. AMB.]** quoniam non est controuersia, vel nõ quæritur de statu vnius horæ, sed de statu temporis æterni, atque infiniti, quod est post mortem. **ambigitur:** id est in controuersiam vocatur, *ἄμφοτεροίτητος*. **MANENDA]** sic legendum, non vt in lib. vulgatis, *manendo*. ordo autem & sententia est: in quo statu temporis æterni, omnis ætas, quæcũque post mortem restat, mortalibus est manenda: id est perduranda: in quo statu temporis æterni, homines omnem ætatem quæcũque post mortem restat, necessariò permanebunt, & perdurabunt: neque vnquam de integro hanc lucem intuebuntur, etiam si eandem materiam, ex qua constabant viui, temporis longinquitas denuo colligar, & in eũdem ordinem, atque in eandem posituram redigat. **IN DVBIIS TREP. PERICLIS]** pericula dubia dicuntur, quia incertum est vtrũ quis ex iis saluus euadere possit, necne. sic dicimus *in dubiis rebus*. Plaut. Mostell. *Qui homo timidus erit in dubiis rebus, is nauici non erit.* sic, *dubia tempora, & dubij casus* apud Horatium. Quid est (inquit) quòd tantopere trepidemus in rebus aduersis, & periculosis? nam quantumuis diligenter, & accuratè vitæ, & salutis nostræ consulamus, moriendum tamen est ali-

quando. NEC DEBITARI LETVM POTE] pote, id est *δυνατόν*, quod possibile diceremus, si liceret. SED DVM ABEST] hic m. nō eliditur. qua de re supra diximus ad illū locum. *Corporum augetur numerum* lib. 1. nunquā (inquit) fruimur bonis præsensibus, sed futuris semper inhiamus: quæ ubi adepti sumus, alia itē, quæ absunt, desideramus. rectē igitur præcipiunt, qui suadent, vt in diem viuamus, vt Horat. od. 29. lib. 3. *ille potens sui, Lætūq; deget, cui licet, in diem dixisse vixi, cras vel atra Nube polum pater occupato.* VEHAT] sic Horat. od. 29. lib. 1. *Quod fugiens semel hora vexit.* VITAM DV-CEND O] vitam producendo, & diutius viuendo. DEMIMVS] detrahimus, deminimus. NEC DELIBRARE VALEMVS] nec possumus quicquam deripere, seu detrahere. de tempore mortis. *delibrare* valet librū seu corticem de ligno detrahere: quo verbo vtitur & Cæsar lib. 7. de bello Gall. *firmis ramis abscis, atque horum delibratis, ac præacutis cacuminibus.* vnde per translationem deminuere significat, vt sup. diximus. *delibrare* autem habent duo cod. manuscripti, quibuscum congruunt Parisienses: alij delibrare, quibuscum cōsentiunt Aldini antiquiores: quod quidem factum est ex *delibrare*, cum indocti siue librarij, siue lectores, quid sibi vellet delibrare, non intelligerent. sententia autē huius loci hæc est. non possumus quicquam detrahere, seu demere de tempore mortis, quo minus diu mortui simus: id est etiam si aliquot annis, atque adeo sæculis tardius moriamur, non idē tamen minus diu mortui erimus. MORTE PEREMTI] mortui. Virg. Æneid. 6. *indigna morte perenti.* idem 9. *Et primis vna tot cade perentis.* non celabo lectorem, me scriptum reperisse in lib. manuscriptis *morte perenti* n ante t. quod eo notandum duxi, vt intelligant tandem omnes litterarum studiosi veteres scripsisse *perentium, ademtum, emtum, comtum* & similia per m sine p ante t: posteaquā autem Italiam barbaries oppressit, alios scripsisse *perentum*, & similia per n ante t. alios per m interposito p inter m & t existimantis m. ante t sine p nec scribi debere, nec pronunciarī posse: quorum errorem coarguimus, & conuicimus in epistola ad lectorem, quā præposuimus commentariis Horatianis. CONDERE SÆCLA] condere sæcla dictum est vel vt dicimus *condere frumenta, & fructus*, vel vt *condere mortuum*, vel vt *condere lustrum*: quoquomodo dictum sit, tralatio esse videtur. Sic forte Horat. od. 5. lib. 4. *Condit quisque diem collibus in suis.* condere enim diem videtur, qui ad vesperum peruenit, & cui dies totus consumptus est. *condere* igitur *tempora, sæcula, annos* dici posse videtur, cui tempora, sæcula, anni consumti & præteriti sunt. MORS AETERN A] *δαιμόνιος ἀθάνατος*. vt supra. *Mortalem vitam mors cui immortalis ademit.* NEC MINVS ILLEDIV, &c.] id est & æque diu mortuus erit ille, qui ex hodierno die viuendi finem fecit, atque ille qui multis antē annis interiit. nam cum tempus sit infinitum, vterque post mortem mortuus tempus æque infinitum manebit.

Dionysius Lambinus, M.

Antonio Mureto S. D.



*S*I quis est ex iis, quibuscum aliqua mihi necessitudo intercedit, cui vnus aliquis è sex T. Lucretij Cari de natura rerum libris à me ex auctoritate codicum manuscriptorum emendatis, & explanatis debeat: tu profectò Marce Antoni, non in postremis dignus es, qui tuam quoque huius munusculi iustam partem consequare. Nam cum hos libros sex, hominibus mihi amicissimis donare constituissem: plures autem, quàm quot essent libri, cum multorum causa, eadem, aut certe pene par, ac similis esset, donare non possem: si te, vt hominem summa mecum necessitudine coniunctum, omnique doctrina liberali præstantem, præterissem: neque tibi vllam iniuriam fieri, neque à me ius amicitiae lædi fortasse meritò queri posses. Multos enim viros licet mihi commemorare tibi notissimos, atque adeò cōmuneis amicos, eosdēque perquā eruditos: in his P. Paschaliū, virum eloquentis. historiographū Regium: I. A. Baiffiū: I. Maludanū: I. Passeratiū, à me necessariò, cum hæc meæ facultates iam exhaustæ, & consumptæ essent, neque hæc nostra perangusta benignitas ad pluris, quàm ad sex, dimanare posset, indonatos, atque adeò insalutatos relictos. Si igitur amicitiae, aut eruditio-nis causam duntaxat spectare vellem, cum sit hoc hominū ferè ingenium, vt quod quisque se scire profitetur, in eo ceteris vel antecellere, vel certè æqualis videri velit: & te talem virum, ac mihi tam carum præterirem: nihilo tu fortasse iustiore, quàm multi alij, de me querendi causam haberes. Nunc autem cum ad eius causas, quæ tibi cum aliis nonnullis possunt esse communes, accedant quedam propriæ, ac præcipuæ tuæ: grauisime me peccaturum, & dedecus admissurum esse existimarem, si te siue imprudens, siue cōsultò præterirem, neque tibi vnum ex mei Lucretij libris librum donarem. Tu enim mihi cum Romæ essem, princeps acerrimos ad hoc negocium suscipiendum, ac perficiendum stimulos admouisti, mihiq; vulgata Lucretij exempla cum exemplaribus antiquis, ac manuscriptis conferenti assiduam operam dedisti. neque hoc tantum fecisti, verum etiam cum in scripturam aliquam à vulgata discrepantem ac diuersam incidere-mus, atque in ea hereremus: tu sæpe ex obscuris, & propemodum oblitteratis veteris scripturæ vestigiis veram lectionem (quo ingenio, quoque acumine es) sagacissimè odorabaris. Præterea cum anno superiore vna cum clarissimo viro Hippolyto Estensi Cardinali Ferrariensi, Pij IIII. Pontificis Romani legato in Galliam nostram longo intervallo venisses, audiresque me

singulos T. Lucretij Cari libros singulis amicis dicare in animo habere: videres autem mihi per civilis discordias, & Reip. calamitatem, huius politissimi scriptoris editionem maturare non licere: neque tamen dubitares quin, ubi a tot, tantisque malis Gallia conquiesset, aut certe respirasset, id statim parerem, quod iandiu parturissem: paucis ante quam Galliam patriam tuam tua voluntate iterum relinqueres, Romamque repeteres, diebus, certum quendam ex mei Lucretij libris a me stipulatus es: non quod rem ipsam tanti faciendam putares, quanquam tu soles nostras non minimi aestimare nugas: sed ut hoc apud omnes mortales & qui hodie vivunt, & qui post alius erunt in annis, amicitiae nostrae monumentum extaret sempiternum. Quod igitur tibi tot nominibus debeo, mi Murete: sero quidem, temporum culpa, quominus hoc aes alienum ad diem representarem, impeditus: sed aliquando tamen bona fide, libenterque persoluo. Tibi autem hoc munusculum meum eo gratius fore confido, quod cum tibi a me optio eligendi facta fuerit, hunc ipsum librum elegisti. neque vero tibi in eligendo, iudicium defuit. Totam enim hic liber simulacrorum, seu imaginum Epicurearum, quibus ille ad oculos nostros affluentibus, visum lacepsi: ad animum autem accurrentibus, cumque ferientibus, cogitandi vim, & diavolus partibus excitari putabat, explicationem complectitur: idem speculorum rationem rem varietatis plenam, & cognitione dignissimam: idem acerrimam sensuum defensionem adversus novos Academicos, qui sensus esse incertos ac fallaces, & nihil sciri posse contendebant: idem plenissimam atque uberrimam de quinque sensibus, de cogitandi ratione, de ingressu, de fame & siti, & de earum rerum causis, de somno, & somniis, de libidine, & amore, multaque alia utilissima, ac iucundissima continet. Etunc igitur librum tibi promissum, & debitum, ac pene dicam tuum, tibi non dono, sed optima fide reddo. Vale. Lutetiae, anno a salute generi humano data 1563. pridie idus Septemb.

T. LVCRETII CARI
DE RERVM NATVRA,
LIBER QVARTVS.



*Via Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo: iuuat integros accedere fonteis,
Atq; haurire, iuuatq; novos decerpere flores,
Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Vnde prius nulli velarint tempora Musae.
Primum quod magnis doceo de rebus, &
artibus*

*Religionum animum nobis exsoluere pergo:
Deinde, quod obscura de re tam lucida pango
Carmina, musaeo contingens cuncta lepore.
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur.
Nam veluti, pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flauoque liquore,
Ut puerorum etas improvida ludificetur
Laborum tenus: interea perpotet amarum
Absinthii laticem, deceptaque non capiatur:
Sed potius tali facto recreata valescat:
Sic ego nunc, quoniam haec ratio plerunque videtur
Tristior esse, quibus non est tractata, retroque
Volgus abhorret ab hac: volui tibi suauiloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram,
Et quasi musaeo dulci contingere melle,
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Versibus in nostris possem, dum percipis omnem
Naturam rerum: ac praesentis utilitatem.
Sed quoniam docui, cunctarum exordia rerum
Qualia sint, & quam variis distantia formis*

Sponte sua volitant aeterno percita motu:
 Quoque modo possint res ex his quaeque creari:
 Atque, animi quoniam docui natura quid esset,
 Et quibus è rebus cum corpore comta vigeret,
 Quo ve modo distracta rediret in ordia prima:
 Nunc agere incipiam tibi, quod vehementer ad has res
 Attinet, esse ea, quae rerum simulacra vocamus:
 Quae quasi membranae summo de corpore rerum
 Derepta volitant vltro, citroque per auras:
 Atque eadem nobis vigilantibus obuia menteis
 Terrificant, atque in somnis, cum saepe figuras
 Contuimur miras, simulacraque luce carentum:
 Quae nos horrificè languentis saepe sopore
 Excierunt, ne fortè animas Acherunte reamur
 Effugere, aut vmbrae inter viuos volitare:
 Neve aliquid nostri post mortem posse relinqui,
 Cum corpus simul, atque animi natura peremta
 In sua discessum dederint primordia quaeque.

AVIA PIERIDVM] hi 17. versus iam sup. lib. I. & à Lucretio positi sunt, & à nobis explicati. CONTINGENS CUNCTA LEPORE] duo codic. manuscripti cont. cuncta liquore. non probo. PRAESENTIS] id est antè sentis. sic autè habent quinque libri manuscrip. & nonnulli typis excusi. CVM CORPORE COMTA] sic supra lib. 3. quibusque Comta modis vigeant. utrobique tamen quidam legi volunt iuncta. ORDIA PRIMAE] primordia. NUNC AGERE INCIPIAM, &c.] Nunc de simulacris seu imaginibus disputare meditatur, quae εἰδωλα, & τύποι nominantur ab Epicuro. Diog. Laërt. Καὶ μὲν δὲ τύποι ὁμοιοζήμονες τοῖς σερραϊνῶν εἰσι, λεπτότησιν ἀπέχοντες μακρῶν τῶν φανερῶν, &c. τούτους δὲ τοὺς τύπους εἰδωλα προσεγορεύουσιν. id est atqui & formæ sunt simili figura præditæ, atque ipsa solida corpora, subtilitate, & tenuitate longè distantes ab iis quæ oculis cernuntur, &c. has autem formas, idola, id est simulacra seu imagines appellamus. SUMMO DE CORPORE RERVVM] id est de summa, & extrema rerum circumcæsura, de extremis lineamentis rerum. DEREPTAE] id est detractæ. sic autem legendum est, & ita scriptum repertum in libris manuscriptis. de quo verbo alibi diximus. VLTROQUE CITROQUE] sic habent libri manuscripti. SIMULACRAQUE LUCE CARENTVM] Virgilius Georg. 4. tūn corpora luce carentum Exportant tellis. ibid. Vmbrae ibant tenues, simulacraque luce carentum, NE FORTE ANIMAS] hoc dico, esse simu-

lacia quaedam, &c. ne forte putemus animas, &c. A VT VMBRAS INTER V. VOL.] Virgil. lib. 10. Aeneid. Morte obira quales fama est volitare figuras, Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus. PEREMTA] Fectus peremta, & interemta pro interfectis poni solet à poetis. Lucr. Cum corpus simul atque animi nar. per. IN SVA DISCESS. DED. PRIM.] id est in sua primordia resoluta sint, & discesserint. quod docuit lib. I. idemque approbat Eurip. ἰκατῆσι. ὁδον δ' ἔγασον εἰς τὸ σῶμα ἀρίητο. Ενταύτῃ ἀπὸ ληθῆ : πικρῶμα μὲν πρὸς αἰδέεσσι, τὸ σῶμα δ' εἰς λυθῆ. ἢ πῶς κεντῆμεθα. Ἡ μέτερον αὐτὸ, πλὴν ἐνοικῆσαι θίον: Καίπειτα πλὴν ἀρέλασαν αὐτὸ δειλαβεῖν.

Dico igitur rerum effigias, tenuesque figuras
 Mittier ab rebus summo de corpore earum:
 Quae quasi membranae, vel cortex nominanda est:
 Quod speciem, ac formam similem gerit eius imago,
 Cuiuscunque cluet de corpore fusa vagari.
 Id licet hinc quamuis hebeti cognoscere corde.
 Principio, quoniam mittunt in rebus apertis
 Corpora res multae, partim diffusa solute,
 Robora ceu fumum mittunt, ignesque vaporem:
 Et partim contexta magis, condensaque, ut olim
 Cum veteres ponunt tunicas aestate cicadae,
 Et vituli cum membranas de corpore summo
 Nascentes mittunt, & item cum lubrica serpens
 Exuit in spinis vestem: nam saepe videmus
 Illorum spoliis vepreis volitantibus auctas:
 Haec quoniam sunt, tenuis quoque debet imago
 Ab rebus mitti summo de corpore earum.
 Nam, cur illa cadant magis, ab rebusque recedant,
 Quam quae tenuia sunt, hincendi st nulla potestas.
 Praesertim cum sint in summis corpora rebus
 Multa minuta, iaci quae possint ordine eodem,
 Quo fuerint, veterem & formae servare figuram,
 Et multò citius, quanto minus indupediri
 Pauca queunt, & sunt in prima fronte locata.
 Nam certè iaci, atque emergere multa videmus
 Non solum ex alto penitusque, ut diximus antè,

Verum de summis ipsum quoque saepe colorem.
 Et volgo faciunt id lutea, rursaque vela,
 Et ferrugina, cum magnis intenta theatri
 Per malos volgata, trabesque tremantia pendent.
 Nanque ibi confessum caueai subter, & omnem
 Scenai speciem patrum, matrumque, Deorumque
 Inficiunt, coguntque suo fluitare colore.
 Et quanto circum mage sunt inclusa theatri
 Mœnia, tam magis hæc intus per fusa lepore
 Omnia conrident conrepta luce diei.
 Ergo lintea de summo cum corpore fucum
 Mittunt, effigias quoque debent mittere tenuis
 Res quæque: ex summo quoniam iaculantur utraque.
 Sunt igitur iam formarum vestigia certa,
 Quæ volgo volitant subtili prædita filo,
 Nec singillatim possunt secreta videri.
 Præterea omnis odor, fumus, vapor, atque aliæ res
 Consimiles, idè diffusa è rebus abundant,
 Ex alto quia dum veniunt intrinsecus orta,
 Scinduntur per iter flexum, nec recta viarum
 Ostia sunt, quæ contendunt exire coorta.
 At contra tenuis summi membrana coloris
 Cum iacitur, nihil est, quod eam discernere possit
 In promptu, quoniam sit in prima fronte locata.
 Postremò in speculis, in aqua, splendorèque in omni
 Quæcunque apparent nobis simulacra, necessest,
 Quandoquidem simili specie sunt prædita rerum,
 Esse in imaginibus missis consistere eorum.
 Nam, cur illa cadant magis, ab rebusque recedant
 Corpora, res multæ quæ mittunt corpore aperto,
 Quàm quæ tenuia sunt, hiscendi st nulla potestas.
 Sunt igitur tenues formarum, consimilesque
 Effigie, singillatim quas cernere nemo

Cum possit: tamen adsiduo, crebroque repulsa
 Reiecta reddunt speculorum ex æquore visum:
 Nec ratione alia seruari posse videntur
 Tantopere, ut similes reddantur cuique figura.

EFFIGIAS] sic habent lib. manuscripti. Plaut. Rud. prob di immortales,
 Veneris effigia hæc quidem est. SUMMO DE CORPORE EARVM] se-
 cutus sum cod. Vaticanum. nam ceteri habent summo de cortice: quam
 scripturam reieci. QVAE QVASI MEMBRANAE VEL COR.] Pro-
 fert huc versum Nonius Marcellus, vbi docet nomen cortex interdum re-
 periri generis feminei: & præterea illum Virgilianum in Sileno. Tum Phaë-
 toniadas musco circumdat amara Corticis. ID LICET HINC] hinc, id
 est ex iis, quæ deinceps dicturus sum. PRINCIPIO QUONIAM] pri-
 mum argumentum, quo probat esse rerum imagines, est à simili. multæ res
 (inquit) mittunt ex se corpora quædam partim diffusa, & tenuia, & rara, ut
 lignum in ignem coniectum mittit fumum: ignis vaporem seu calorem:
 partim magis contexta, & spissa, ut cicadæ tunicas tenuis æstate ponunt:
 sic & imagines à rebus fluunt. IN REBUS APERTIS] manifestis, &
 quæ sunt in promptu. OLIM] aliquando, ποτέ. ILLORVM SPOLIIS,
 &c.] profert hunc versum Nonius in voce vepres docens esse & masculini
 generis, ut apud Virg. lib. 8. sparsi vorabant sanguine vepres: & feminini, ut hic:
 profert & in voce spolia. Sed quæri potest cum dixerit lubricam serpentem ex-
 uere vestem in spinis: subiungat Illorum spoliis. videbatur enim dicere debuisse
 Illius spoliis, aut certè mutato duntaxat numero, quod saepe fieri solet, Illarum,
 nempe serpētium lubricarum: nisi ita dicamus, illorum, nempe cicadarum,
 vitulorum & serpentium. HISCENDI ST NULLA POTESTAS]
 magnam profectò gratiam debemus codici Bertiniano, & Memmiano:
 quorum beneficio hic locus restitutus est. nam ceteri libri scripti nihil me
 iuuerunt, nisi quòd in eis legitur partim ostendi st, partim hostendi st. vulgati
 autem in quibus legitur ostendit multo sunt deprauatiores. hæc igitur est
 recta scriptura, & germana Lucretiana. hiscendi st nulla potestas: quæ hoc signi-
 ficat, nihil posse dici, nullamve causam afferri, quare illa quæ cernuntur,
 nempe membranæ de vitulis nascentibus: tunicæ de serpentibus, & cica-
 dis, fumus de ligno, & simil. magis cadant & defluant de rebus, quàm quæ
 sunt pertenuia, & per subtilia, ut imagines. ne hiscere quidem licet. hyper-
 bole. VETEREM ET FORMAE SERV. FIG.] videtur hæc quidem
 scriptura integra & plana: sed tamen libri scripti alij habent Quo fuerint, &
 cum formæ ser. fig. alij veterem formæ, &c. lacuna interiecta inter duas voces
 veterem & formæ. Vaticanus neque habet vocem veterem, neque solitam, quæ
 reperitur in vulgatis. Memmian. sic. Quo fuerint & cum formæ seruare figuram.
 Vnde mihi suspicio interiecta est hunc locum mendo non vacare, & vocem
 solitam esse adiectam, ut fortasse sit ita legendum. Quo fuerint & conformè,
 seu potius consimilem seruare figuram. NAM IACIRE CERTE, AT-
 QUE EMERGERE MVLTÀ] Cum reperissem in codicibus manu-

scriptis hunc versum mire deprauatum, sed ita, vt obscura quædam appa-
rerent scripturæ veteris vestigia, sic excudendum curavi. sic autem habent
cod. Bertinian. & Memmian. *Nam certè iacere, ac mergi, &c.* ex quibus scri-
pturis hanc feci: *Nam certè iaci, atque emergere.* Quod si quis malet ita reponi,
Nam iacere certè, atque emergere (seu emergi) multa videmus, nō pugnabo. satis est
EX ALTO] ex intimis, & penetralibus partibus, vt declarat vox penitus.

DE SUMMIS] de partibus extremis. **ET VOIGD FACIUNT]** hoc
est vnum de multis mathematicis postulatis, lucem per res quasilibet colo-
ratas permanantem, colorari. quod demonstrari potest similitudine liqui-
dorum: quæ colorem contrahunt ex iis locis, per quæ fluunt. **LVTEA]**
lutei coloris, id est rubicundi, aut crocei. Virgil. Alex. *Mollia luteola pingue*
vaccinia caltha. & apud eundem *Aurora lutea,* & in Pollione: *croceo luto,* pro
croco luteo, vt vult Seruius. & Horat. epod. oda 10. *Tibi que pallor luteus.* nam
lutum priore longa est color luteus, quali colore est ouorū vitellus. **RVS-**
S AQVE] sic legendum, & ita habent cod. manuscripti. rufus color autem
rubro finitimus est: à quo rufata factio nominata. **ET FERRUGINA]**
ferruginea. *ferrugo* autem purpura est obscurior, & propemodum nigra,
Hispana, vt docet Seruius ad illum locum Virgil. Georg. 1. *Cum caput obscu-*
ra nigrum ferrugine textit. Idem Virgil. Georg. 4. *& ferrugineos hyacinthos.* idem
Æneid. 11. *Ille peregrina ferrugine clarus, & ostro.* Plaut. Mil. glori. *Facito, vt ve-*
niat ornatu huc naucleriaci, causiam Habeas ferrugineam, culturam ad oculos lineā:
Palliolum habeas ferrugineum. nam is color thalassicus. **TREMENTIA PEN-**
DENT] non dubium est quin in verbo *pendent* mendam subit. nam libro-
rum manuscriptorum alij habent *tremetia fluetus*, alij *tremetia circum*, alij
tremetia, deinde lacunam: in qua nihil est præterea scriptum, neque *pendet*,
neque *circum*, neque *fluetus*. codices Florent. autem *trabetis que, temetia cir-*
cum. de hoc igitur loco iudicet lector. nam mihi quidem aqua hæret. **CA-**
VEA T] cauea hoc loco significat totum illum locum, in quo sedent specta-
tores. M. Tull. Catone. *Vt Turpione Ambivio magis delectatur, qui in prima ca-*
uea spectat: delectatur tamen etiam, qui in vltima. **SCENAI SPECIEM]** sic
repositi cum reperissem in lib. manuscr. *Scenali speciem.* **INFI CIENT]** tin-
gant suo colore. **ET QVANTO CIRCVM MAGE SVNT INCLV-**
S A] ita vt nullus luci pateat aditus à lateribus. **CONRIDENT]** tralatio
vsitata scriptoribus, omnia simul renident, & læticia diffundunt spectatori:
vel hilaritatem eiusmodi præ se ferunt vt ridere videantur. **CONREPTA**
LVCE DIEI] celeriter & raptim concepta, videlicet à parte superna. sic
autem habent lib. manuscr. non, vt vulgati *concepta.* **ERGO LINTEA**
DE SUMMO CVM CORPORE] id est, Ergo cum lintea de summo
corpore: id est de sua extremitate factum: id est colorem mittant, non de-
bet mirum videri, si res quæque etiam imagines tenuis ex se mittant. **EF-**
FIGIAS QVOQVE DEBENT] sic lib. manuscr. non vt vulgati, *effigies.*
TENVES] anapæstus pro spondeo in sexta sede: vel tenuis hinc dissylla-
bum est. **VESTIGIA CERTA]** sic lib. manuscr. & nonnulli vulgati. qui-
dam itè vulgati, vt Paris. *vestigia cæca.* **SVBTILI PRAED. FILO]** sub-
tilli

tilli textura. tralatio est à tela, seu lino aut lana, quæ digitis carpitur ac dedu-
citur. Filum interdum est res quæque ad tenuitatem ducta. **IDEO DIF-**
FVS AE REBVS ABVND.] idè hæ res dispersæ effluunt è rebus, quia
dum ex intimis rerum partibus oriuntur, scinduntur per vias flexuosas, &
tortuosas: colores autem & imagines, quæ ex summis rerum corporibus
fluunt, rectis viis egrediuntur, nec quicquā est, quod illa discerpere queat.
IN SPECVLIS] de speculis infra copiosè explicabit. **ESSE IN IMA-**
GINIB.] miserabilem in modum hic versus laceratus, & corruptus est in
omnibus libris. Nam in manuscriptis quidem ita legitur, *Ex imaginibus mis-*
sis conf. eorum: planè mendose. in vtrisque Aldinis, Parisiensib. & Lugdun.
Esse in imaginibus misis consistere eorum. in Florent. *Esse & imaginibus &c.* Io-
uianus Pontanus sic legebat: *Hæc ab imaginibus, &c.* Ego in tanta varieta-
te mihi licere putavi, quod mihi potissimum videretur, probare. Ita secutus
sum codices Veneros: cuius mei facti hæc rationem reddere possum, quod
ex hac scriptura, probabilissima & Epicuri opinioni maxime consentanea
sententia elici posse mihi videtur, nempe hæc, esse, seu τὸ εἶναι, καὶ τῶν ὁμοίων:
id est essentiam eorum simulacrorum, quæ nobis in aqua, & speculis, & ce-
teris corporibus læuibus apparent, consistere in imaginibus misis, id est in
iis imaginibus, quas dicimus ex summo corpore rerum mitti: per quas cer-
nimus, atque adèd cogitamus. Verum hanc Epicuri opinionem nō sequun-
tur mathematici. dicunt enim illi cum ex omni lumine radij quidam rectis
lineis & directò ad res oppositas producantur, tum ex oculis nostris, qui lu-
mina quædam sunt, radios quosdam ad eas res, quæ cernuntur profluere: at-
que hanc esse causam visus. **RES MVLTAE]** sic legendum. non *res mul-*
tas. Est enim hic ordo. Nam cur illa corpora potius cadant, atque ab rebus
recedant, quæ corpora multæ res abs se mittunt corpore aperto prædita,
quàm corpora tenuia, dici non potest. sed non dissimulabo hunc versum
Corpora res multæ, &c. abesse à codice Bertiniano. **TENVES FORMA-**
RVM, CONSIMILES QVE] sic legendum, non *dissimile que.* **ADSI-**
DVO, CREBRQVE REPVLSV REIECTAE] singulæ enim ima-
gines, quæ in speculis cernuntur, ex sententia Epicuri, non sunt vnæ: sed
multæ, perpetuo repulsi multarum imaginū à nobis in specula breui tem-
pore defluentium ita cōtinuatæ, vt quæ sunt plures, vna videantur. **SPÉ-**
CVLORVM EX AEQVORE] ex æquabilitate, & læuore speculorum.

*Nunc age, quàm tenui natura constet imago
Percipe: & in primis quoniam primordia tantum
Sunt infra nostros sensus, tantòque minora,
Quàm quæ primùm oculi cæptant non posse tueri.
Nunc tamen id quoque vti confirmem, exordia rerum
Cunctarum quàm sint subtilia, percipe paucis.
Primùm animalia sunt iam partim tantula, eorum*

Tertia pars nulla ut possit ratione videri.
 Horum intestinum quoduis quale esse putandum est?
 Quid cordis globus, aut oculi: quid membra: quid artus:
 Quantula sunt: quid præterea primordia quæque,
 Unde anima, atque animi constet natura necessum est?
 Nonne vides, quàm sint subtilia, quàmque minuta?
 Præterea, quacunque suo de corpore odorem
 Exspirant acrem, panaces, absinthia tetra,
 Abrotanique graues, & tristia centaurea:
 Horum vnumquoduis leuiter si forte ciebis,
 Quamprimùm noscas rerum simulacra vagare.
 Multa modis multis, nulla vi, cassaque sensu.
 Quorum quantula pars sit imago, dicere nemo est
 Qui possit, neque eam rationem reddere dictis.
 Sed ne forte putes ea demum sola vagare,
 Quacunque ab rebus rerum simulacra recedunt:
 Sunt etiam, quæ sponte sua gignuntur, & ipsa
 Constituuntur in hoc caelo, qui dicitur aer:
 Quæ multis formata modis sublimè feruntur:
 Nec speciem mutare suam liquentia cessant:
 Et cuiusquemodi formarum vertere in ora.
 Ut nubeis facile interdum concreescere in alto
 Cernimus: & mundi speciem violare serenam,
 Aëra mulcentis motu. nam sæpe gigantum
 Ora volare videntur, & umbram ducere latè:
 Interdum magni montes, auolsaque saxa
 Montibus anteire, & solem succedere præter:
 Inde alios trahere, atque inducere bellua nimbos.

NUNC AGE QUAM TENVI] nunc incipit docere imagines esse tenuissimam naturam præditas, idque à similitudine primorum corporum. Sic Laërtius. εἶδ' ὅτι τὰ εἶδωλα ταῖς λεπτότησιν ἀνοσθητοῦ καὶ κέρχρηται, ἃ δὲν αἰτῆ μαρτυρεῖ τῶν φαινομένων. HORVM INTESTINVM • QVODVIS, &c.] hunc versum profert Nonius in voce *intestinum*, sed mēdosè. adde quòd veteres codices dissentiant à vulgatis. Sic enim in illis legitur: *Harum intestinū quo quis volet esse putandum*. quam iccirco proposui, ut consideret lector, ecquid ex ea

boni trahi possit. ODOREM EXSPIRAVIT] sic sæpe loquitur, ut verbo *expirandi* quartum casum tribuat. PANACE S] panaceam vocat Virgil. lib. 12. *Aeneid. Ambrosia succos, & odoriferam panaceam*. à nonnullis Heracleum nominari scribit Dioscorides lib. 3. cap. 55. *ipso nomine omnium morborum remedium promittit*, inquit Plin. LEVITER SI FORTE CIEBIS] cum in quinque libris manuscriptis reperissem scriptum *si forte duobus: quia ciebis* propius abesse ab antiqua scriptura mihi videbatur, quàm *mouebis*: ita excudendum curavi. SVBLIMÈ FERVNTVR] vltima syllaba vocis *sublimè* semper corripitur à bonis scriptoribus. ordinem horum decem versum scèdè perturbatum, restitui. AERA MVLCENTEIS MOTV: NAM, &c.] sic restitui ex auctoritate duorum librorum manuscriptorum: quibuscum consentit Memmianus: alij duo habent *Aëra mulcentes motum*. INTERDVM MAGNI MONTES] sic habent quattuor lib. manusc. Memm. autem, *Interdum montes magni*. ordo est: interdum magni montes, & laxa montibus auulsa videntur anteire, & præter solem succedere: id est sursum ire & subire ultra solè, vel potius ante solem, & è regione solis. sic orat. in Verr. frumentar. *Apronius interea pocula & cenam poscebat. serui autem eius, qui & moribus in se esse essent, quibus dominus, & eodem genere ac loco nati, præter oculos Lollij hæc omnia ferebant, præter oculos Lollij*, id est ante oculos Lollij, inquit Non. sic & Varro Eumen. *præter matris Deum adem ex audio cymbalorum sonitum*. INDE ALIOS TRAH. ATQVE IND. BELL. NIMBOS] sic habent quinque lib. manusc. ne quis forte contendat legendū *nubila*, ut est in vulgatis. Et videtur, inquit, bellua trahere, & inducere alios nimbos. quidā tamen hanc scripturā modicè emēdantes, legūt *Inde aliàs trahere, &c.*

Nunc ea quàm facili, & celeri ratione genantur,
 Perpetuòque fluant ab rebus, lapsaque cedant.
 Semper enim summum quicquid de rebus abundat,
 Quodiaculentur: & hoc alias cum peruenit in res,
 Transit, ut in primis vestem: sed ubi aspera saxa,
 Aut in materiem ligni peruēnit: ibi iam
 Scinditur, ut nullum simulacrum reddere possit.
 At cum, splendida quæ constant, opposta fuerunt,
 Densaque, ut in primis speculum est: nihil accidit horum.
 Nam neque uti vestem, possunt transire, neque antè
 Scindi, quàm meminit leuor præstare salutem.
 Quapropter fit, ut hinc nobis simulacra genantur.
 Et quamuis subito, quouis in tempore, quanque
 Rem contra speculum ponas, apparet imago:
 Perpetuò fluere ut noscas è corpore summo

Texturas rerum tenuis, tenuis que figuras.

Ergo multa breui spatio simulacra genuntur,

Vt meritò celer his rebus dicatur origo.

Atque, vt multa breui spatio summittere debet

Lumina sol, vt perpetuò sint omnia plena:

Sic à rebus item simili ratione necessè st

Temporis in puncto rerum simulacra ferantur

Multa modis multis in cunctas vndique parteis.

Quandoquidem speculum queiscunque obuertimus oris,

Res ibi respondent simili forma, atque colore.

Præterea modò cum fuerit liquidissima celi

Tempestas, perquam subitò fit turbida fædè

Vndique, vti tenebras omneis Acherunta reamur

Liquisse, & magnas celi complefse cauernas.

Vsque adèd tetra nimborum nocte coorta,

Impendent atræ formidinis ora supernè.

Quorum quantula pars sit imago, dicere nemo st,

Qui possit, neque eam rationem reddere dictis.

NUNC EA QUAM FACILI, ET CEL. RAT. GENANTVR.] Nunc incipit docere, quàm facile & celeriter gignantur imagines: qua de re sic apud Laërtium. ἢ ὁμοίως τῶν εἰδῶν εὐα τῶ νοῦματι συμβάνει. ἢ γὰρ ῥεῦσις ἀπὸ τῆς σωματικῆς ἐπιπολῆς συμμοχῆ, ἢ μειώσεται διὰ τὴν ἀναπλήρωσιν σώζουσι τὴν ἐπὶ τῆ σεραιτικῆ ἐξέσιν, ἢ τῆ ἐν τῶν ἀτόμων ἐπὶ πολὺν χρόνον, εἰ ἢ ἐλίσσεται συγχρωτίζουσα, ἢ πάλαι. id est ortus imaginum celeritate cogitationem æquat. Fluxus est enim ab extremitate corporum, continuatione, aut diminutione per suppletionem diu conseruâs situm, & ordinem corpusculorum primorum in solido. GENANTVR] gignantur, sic sine dubio legendum, reclamantibus omnibus codicibus. SUMMVM QVIC QVID] id est summum quicque, vt sæpe aliàs. DE REBVS ABVNDAT] de rebus fluit. ALIAS CVM PERVENIT IN RES] hoc dicit: cum simulacrum petuenit in res nullo splendore, nullòque læuore præditas: aut eæ res sunt tenues, aut densæ: si tenues, transit: si densæ, scinditur. VESTEM] vestem aliquam tenuissimam intellige, vt Coam. AT CVM SPLENDIDA] duo sunt omnium fere cõsensu necessaria ad speculorum naturã, nempe corporis læuitas, seu læuor, qui nunquam est sine splendore: alterum est densitas. nam si corpus sit læue quidem & splendidum, sed ita tenue, vt simulacrum ab ore fluens transcat: non erit speculum, neque reddet imagines. Quo magis miror Platonẽ

in Timæo, vbi de speculis disputat, & causas imaginum, quæ à speculis redduntur, affert, densitatem omisisse, cum splendorem, & læuitatem posuisset. sic enim ille: τὸ δὲ πρὸς τὴν ἐπιπολῆν εἰδωλοποιεῖται, ἢ πάλαι, ὅσα ἐμφανῆ ἢ λεία κρ. πάλαι, ἢ δὲ ἐπὶ χλευποῖ. Εἰ γὰρ τῆς ἐπιπολῆς, ἐπιπολῆς τε τῆς πρὸς ἐπιπολῆς κοινῆς ἀλλήλοις, ἐπὸς τε αὐτῶν πρὸς τὴν λαϊότητα ἐλάσσονται γλυκοῦς ἢ πολλὰ ἀλλή μεταβήδμιδέντος, πάλαι τὰ πάλαι ἐξασθέντος ἐμφανέταις τῶ πρὸς τὸ πρὸς πάλαι, τῶ πρὸς τὴν πάλαι πρὸς τὸ λείον ἢ λαμπερὸν συμπαγῆς γλυκοῦς: id est, Quamobrem autem specula, & quæ sunt splendida, læuiãque aspectu, reddant imagines, non est difficile etiam cognoscere. Nam ex ignis externi, & interni inter se communicatione, qui assidue, & continenter in læuore fit vnus, & se penumero ad eũ applicatur, atque accommodatur, tales imagines necessariò repræsentantur, cum is ignis, qui ori, & faciei circumdatus est, sese cum eo igne, qui ob oculos offusus est, in corpore splendido & læui coniunxit, & confudit. Cum sint autẽ duæ de ratione speculorum, id est quamobrem specula reddant, & repræsentent imagines, sententiæ: alij enim dicunt corporum, quæ speculo opposita sunt, imagines, cerni in speculo, non quòd ipsæ imagines, quæ cernuntur, sint in speculo, sed quòd ipsa oculorum acies in speculum per rectam lineam proiecta, in seipsam à speculo per aliam rectam lineam reflectatur: alij simulacra ipsa cerni putant à nostris corporibus missa & profusa in corpus læue, & splendidum, & densum: horum sententiam sequitur Epicurus: Pythagorei & mathematici alteram probant. NIHIL ACCIDIT HORVM] neque imago scinditur, neque transit. quidam libri tamen habent, nihil occidit horum. VT HINC SIMVLACRA GENANTVR] gignantur. In quibusdam libris & manuscri. & impressis legitur, redundent. quod verbum puto esse subditum ab iis, qui videbant verbum gerantur. huic loco conuenire non posse. ET QVANTVS] & quantumuis subitò.

PERPETVO FLVERE VT NOSCAS] quancunque rem speculo opposueris, eius rei quantumuis subitò imago appâret. ex quo intelligere licet, tenuis rerum quasi membranas, & texturas è summis rerum corporibus perpetuò & continenter, & indefinenter fluere. Vnde efficitur quod antè dixi, & Plato probat, imaginem quæ in speculo cernitur, non esse vnũ quiddam stabile & certum, & idem: sed alias atque alias esse imagines alteram in alterius locum deinceps & sine vlla interruptione succedenteis: quod probat & Lucretius à similitudine luminum & radiorum solis. VT MERITò CELER HIS] nomen celer hîc fæminini generis est, vt sit hîc & hæc celer. sic autem legitur in lib. manuscriptoris: & ita legebat Auancius.

HIS REBVS] his texturis rerum, id est imaginibus. AT QVE VT MVLTÀ] Cum libri manuscripti haberent, Et quasi, vulgati autem Et cen: ego Atque vt reposui, coniectura ductus. QVE ISCVN QVE OBVERTIMVS ORIS, RES IBI] cum in duobus codicibus manuscr. Bertiniano & Memmiano scriptum reperissem: quocunque obuertimus oris, curavi excudèdum, quiscunque obuertimus oris: id est, quibuscunque regionibus obuertimus. Vaticanus porro habet quocunque obuertimus, illuc Res tibi respondent, &c. PRÆTEREA] aliud simile. TEMPESTAS] tempestas nomen est μέσην: id est medium. sic enim loquuntur Latini, tempestas liquida,

idonea, bona, egregia: & contrà, turbida, aduersa, mala. Varro lib. 6. de ling. Lat. in 12. tabulis. *solis occasus diei suprema tempestas esto.* ACHERVNTA REARIS] sic codex Vatic. Bertin. & Memm. alij *reamur*: nonnulli *Achevunte* *retecto*, planè mendosè. Iteratur autem hic versus cum tribus deinceps sequentib. lib. 6. CAELI COMPLESSE CAVERNAS] sic Varro Marcipore apud Nonium. *Nubes aquai frigido velo leues Caeli cavernas aureas subduxerāt.* & M. Tull. in Arato. *Dicitur & latè celi lustrare cavernas.* Ennius, *celi ingentes fornices.* QVORVN QVANTVLA] quidam docti existimāt hunc versum, cum eo qui deinceps sequitur, alieno loco esse inculatos, cum suprā suo positi fuerint. ego eos scriptos reperi in quattuor codicib. manuscriptis, & excusis omnibus. neque continuo si suprā positi sunt, hinc sunt expungendi.

*Nunc age, quàm celeri motu simulacra ferantur,
Et quæ mobilitas ollis tranantibus auras
Reddita sit, longo vt spatio brevis hora teratur,
In quem quæque locum diuerso numine tendunt,
Suauidicis potius, quàm multis versibus edam:
Paruus vt est cycni melior canor, ille gruuum quàm
Clamor in ætheriis dispersus nubibus Austri.
Principio persæpe leueis res, atque minutis
Corporibus factas, celeres licet esse videre.
In quo iam generèst solis lux, & vapor eius,
Propterea quia sunt è primis facta minutis:
Quæ quasi trudentur, pèrque aëris interuallum
Non dubitant transire sequenti concita plaga.
Suppeditatur enim confestim lumine lumen,
Et quasi protelo stimulat fulgure fulgur,
Quapropter simulacra pari ratione necessest
Immemorable per spatium transcurre posse
Temporis in puncto: primùm quòd parvula causa
Est satis, à tergo quæ prouehat, atque propellat:
Deinde, quòd vsque ad eòdè textura prædita rara
Mittuntur, facile vt quasuis penetrare queant res,
Et quasi permanare per aëris interuallum.
Præterea si, quæ penitus corpuscula rerum
Ex alto in terras mittuntur, solis vt lux,*

*Ac vapor, hæc puncto cernuntur lapsa diei
Per totum celi spatium diffundere sese:
Pèrque volare mare, ac terras, cælumque rigare,
Quod superàst: vbi tam volucris hæc leuitate feruntur:
Quid? quæ sunt igitur tam prima in fronte parata,
Cum iaciuntur, & emissum res nulla moratur,
Nónne vides citius debere, & longius ire?
Multiplèxque loci spatium transcurre eodem
Tempore, quo solis peruolgant lumina cælum?*

NUNC AGE QVAM CAELERI] nunc de imaginum celeritate incipit explicare. VT BREVIS HORA TERATUR] sic legendum censeo, secutus tamen nonnullos libros typis excusos. significat autem Lucretius simulacra esse mobilissima, & celerrime ferri, quia breuissimo tempore longum spatium peragunt. hoc enim significant hæc verba *longo vt spatium brevis hora teratur*: vt breue spatium temporis, longo loci spatio conteratur. Et verò Aristoteles lib. 4. physic. celere sic definit, quod breui tempore, longum spatium percurrit: tardum, quod longo tempore breue spatium permetitur. IN QVEM CVMQVE LOCVM DIV. NUMINE TENDUNT] sic habet cod. Vaticanus, nisi quòd habet *tendit*: planè mendosè: *tendunt* enim legèdum, cum subintelligatur vox numeri multitudinis, *simulacra*. Præterea codex Bertinianus, & Memm. habent: *In quem quæque locum diuerso numine* autem, id est diuerso nutu. quidam tamen legi volunt *diuerso momine*, vt habent nonnulli lib. vulgati: id est diuerso motu. PARVVS VT EST CYCNI MELIOR] sic suprā initio libri, dicit non esse, quòd hirundo contendat cum cycnis. Sed cum hoc loco maxime congruit illud Antipatri in Erinna lib. 3. epigr. *Λαίτρεος κύων μίμνος ἔρπος, ἢ κολοίων κρωμῶς, εἰ εἰαεναῖς κινάμμος νεφέλαις*: id est Paruus cycnorū melior cantus, strepitus quàm Graccorū nebulis sparsus in ætheriis. ÆTHERIIS] quidam libri habent, *ætherij*. SOLIS LUX] Nam etiam mathematici docent lumen non impeditum per totum id spatium quod sibi ex proportionem respondeat, puncto temporis, & tempore quod sensum effugit, diffundi. ET VAPOR EIVS] & calor eius. È PRIMIS] è primordiis, seu principiis. sic lib. 2. *Nec quicquam commutari sine conciliatu Primorum.* QVÆ QVASI TRVDVNTVR] sic habet cod. Scipionis Tethij, & item cod. Faëni. ceteri, *Quæ quasi cuduntur.* NON DVBITANT] sic locutus est lib. 6: *Apedibúq; minutim succedere frigus Non dubitabat.* PROTELO] impulsu producto, perpetuo, & continuo, vt sup. diximus. FVLGURE FVLGVR] id est fulgore fulgor. Fulgor enim & fulgur pro eodem vsurpantur à Lucretio, & nonnullis aliis. IMMÉMORABILE] ἀδιήγητον, ἢ ἀμύθητον, & ita immensum. PRÆTEREA SI, QVÆ PENITVS, &c.] Præterea, si ea, quæ ex alto, & ex intimis rerum partibus mittuntur, puncto temporis per

immensum spatium sese diffundunt, tantaque leuitate feruntur: quanto celerius moueri, quantoque longius interuallum transcurrere credibile est ea quæ è summis corporibus mittuntur, & quæ sunt in prima fronte, arque in promptu posita, nempe imagines? QVOD SVPERA'S T] cælum, quod est suprâ: VBI TAM VOLVCR I] propterea quod multa interposuerat, ab illo loco, si quæ penitus, &c. ut succurrat memoriæ lectoris, subiungit quasi de integro, vbi hæc, id est quandoquidem hæc &c. nō dissimulabo tamen hunc versum abesse hoc loco à quibusd. lib. manuscr. & positum esse suprâ post versum Est, procul à tergo, &c. MULTIPLEX QVE LOCI SPAT.] nihil muto. Vaticanus codex tamen habet, Multiplicisque loci spat.

*Hoc etiam in primis specimen verum esse videtur,
Quàm celeri motu rerum simulacra ferantur,
Quòd simul ac primùm sub diuo splendor aquai
Ponitur: extemplò calo stellante, serena
Sidera respondent in aqua radiantia mundi.
Iàmne vides igitur, quàm puncto tempore imago
Aetheris ex oris ad terrarum accidat oras?
Quare etiam atque etiam mitti hæc fateare necesse est
Corpora, quæ feriant oculos, visumque laceffant:
Perpetuòque fluant certis ab rebus obortu:
Frigus vt fluuuis, calor à sole, æstus ab vndis
Aequoris, exesor mærorum littora circum.
Nec varia cessant voces volitare per auras:
Denique in os falsi venit humor sæpe saporis,
Cum mare versamur propter, dilutæque contrâ
Cum tuimur miseri absinthia, tangit amaror:
Vsq; ad eò omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur: & in cunctas dimittitur vndique parteis.
Nec mora, nec requies inter datur vlla fluendi:
Perpetuò quoniam sentimus, & omnia semper
Cernere, odorari licet, exaudire sonorem.*

SPECIMEN VERVM] iudicium, & quasi argumentum, sic autem legitur in quattuor libr. manuscriptis: in vno, & item in Paris. specimen veri. QVOD SIMVL AC PRIMVM] hoc specimen & argumentum est, quàm celeriter ferantur imagines. QVAM PUNCTO TEMPORE] id est

est quàm breui tempore. AD TERRARVM ACCIDAT ORAS?] Sic habent quinque libri manuscr. nisi quod Vaticanus habet *accidit*: & item Parisienses. ceteri vulgati *incidat*. ego puto legendum *accidat*. & ita paucis post versibus hic idem scriptor loquitur. QVARE ETIAM ATQVE ETIAM MITTI] sic restitui coniectura ductus cum in codicibus manuscriptorum reperissem scriptum *mira*: in aliis *minima*: quod vtrūque scilicet deprauatum est ex antiqua & vera scriptura *mitti*. nam ex *mitti* factum est *mini*: deinde nunc *minima*, nunc *mira*. Meam coniecturam adiuuat versus ille, qui est lib. 6. *Perpetuo fluere, ac mitti, spargique necesse est Corpora, &c.* PERPETVOQVE FL. CERT. AB R. OBORTV.] secutus sum codicem Florent. typis excusum. nam ceteri omnes & manuscr. & typis impressi habent, *ab rebus odoyes*, planè mendosè. atque hanc scripturam, quam secutus sum, probabat & Donatus Iannoctius Florentinus vir cum primis doctus. *obortu* autem coniungitur cum adiect. *perpetuo*, vt sit, *perpetuo obortu*, id est, perpetuo agnatione, atque accessione: *oboriri* enim idem valet, quod *adnasci*, vt docet Festus. nam præpositionem, *ob*, solitam esse vsurpari pro *ad*, testis est hic versus (inquit ille) *Tantum gaudium oboriri ex tumultu maximo*: & hic Ennianus, *Ob Romam noctu legiones ducere capit*. superior autem versus cum duodecim deinceps sequentibus iterantur lib. 6. AESTVS] commotio vel impetus maris. & ita Nonius qui hunc versum profert. EXESOR M OERORVM] sic legi debet, & ita scriptum est in quinque libris manuscriptis, nisi quod in Vaticano est *mærororum*: in Faern. *maurorum*. Parisienses planè habent *mærorum*. dictum autem *mærorum*, pro murorum antiquè, vt notat Seruius ad illum locum Virg. lib. 10. *Aggeribus mærorum* his verbis: *nam veteres pleraque eorum, quæ nos per u dicimus, per dipthongum æ pronunciant*: hinc est *mærorum* pro murorum: & contrâ *punia* pro *pænio*: quod verbum à *pæna* venit: quod Græcum est vocabulum *πῦν*. hinc est *Punica regna vides*, cum *Pænos* vbiq; legerimus. & apud Varron. lib. 5. de ling. Lat. *cum circum mæros mittitur, & cum concio aduocatur*. NEC MORA, NEC REQUIES] hoc imitatus, atque ad eò mutuatus est Virgil. Georg. 3. & Æneid. 6. EXAUDIRE SONOREM] sic restitui coniectura ductus. nam cum ita scriptum in vno cod. reperissem, *ec santire sonorem*. ex c feci x: ex n, u. ex t, d. ita ex illis corruptis *ec santire* feci *exaudire*. quàm emendandi rationem scio omnibus politici iudicij hominibus probatum iri.

*Præterea quoniam manibus tractata figura
In tenebris quadam, cognoscitur esse eadem, quæ
Cernitur in luce, & claro candore: necesse est
Consimili causa tactum, visumque moueri.
Nunc igitur, si quadratum tentamus: & id nos
Commonet in tenebris: in luci quæ poterit res
Accidere ad speciem, quadrata nisi eius imago?*

*Esse in imaginibus quapropter causa videtur
Cernendi, neque posse sine his res vlla videri.
Nunc ea quæ dico rerum simulacra, feruntur
Vndique: & in cunctas iaciuntur didita parteis.
Verum, nos oculis quia solis cernere quimus,
Propterea fit, uti speciem quod vertimus, omnes
Res ibi eam contrà feriant forma, atque colore.
Et quantum quæque à nobis res absit, imago
Efficit, ut videamus, & internofcere curat.
Nam cum mittitur, ex templo protrudit, agitque
Aëra, qui inter se cunquē st, oculosque locatus.
Isq; ita per nostras acies perlabitur omneis:
Et quasi perterget pupillas, atque ita transit.
Propterea fit, uti videamus quam procul absit
Res quæque: & quanto plus aëris antè agitur,
Et nostros oculos perterget longior aura,
Tam procul esse magis res quæque remota videtur.
Scilicet hæc summè celeri ratione geruntur,
Quale sit ut videamus: & vnà quam procul absit.*

PRAETEREA QUONIAM] hoc argumentum tale est. Figura (inquit) aliqua in tenebris, & noctu manibus tractata, eadem esse cognoscitur, quæ luce cernitur. At figura non potest cognosci in tenebris, nisi per speciem & imaginem. ergo neque in luce cerni. Sed hæc facile refelli possunt ab iis, qui Aristotelis scholam sectantur. sunt enim quædam singulis sensibus propriè subiecta, ut color videndi sensui, sonus auditui, &c. quædam plurium sensuum communia: ut figura & magnitudo communiter aspectui, & tactui subiecta est: motus & quies omnibus, præterquam gustatui, &c. SI QUADRATUM TENTAMVS] legendum fortasse est, *trahamus*. IN LUCI] luci pro luce. ESSE IN IMAGINIBVS QUAPROPTER] ex imaginibus rerū perpetuè effluentibus, & in oculos nostros incurrentibus fit visus ex sententia Epicuri. Platoni ex coniunctione, & cognatione duorum ignium seu luminum, alterius ex oculis nostris exeuntis: alterius à sole manantis efficitur visus. Mathematici aiunt radios quosdam ex oculis nostris effluentes, & ad rem, quæ cernitur, accidentis, videndi causas esse. Arist. lib. 2. de anima docet non ex emissionem radiorū ab oculis visum effici: sed ex functione, & actu rerū, quæ sub aspectū cadūt, in oculos crebrè ventitante. DIDITA] distributa, dissipata, dispersa,

nonnulli libri scripti habent *dedita*. ego *didita* retineo. PROPTEREA FIT VTI, &c.] propterea (inquit) quod solis oculis cernimus, ideo fit, ut, tametsi imagines ex omnibus rebus in omneis parteis affluant, ea parte tamen dūtaxat rem cernamus, in quam os, & faciem vertimus. SPECIEM] os, faciem, & aspectum. ET QUANTVM QVAE QVE] id est & cuiusque rei distantiam cognoscimus, seu internofcimus per imagines. PROTRVDIT. AGIT QVE] sic reposui fretus auctoritate trium librorum manuscriptorum. PERTERGET] permulcet. SVMMÈ CELERI] valde celeri. QVALE SIT VT VIDEAMVS] ut eodem tempore videamus, & qualis res sit, & quàm longe distet. fortasse legendum, *Qualis sit*, id est qualis res sit. alioqui dicemus eum mutasse genus.

*Illud in his rebus minimè mirabile habendum est,
Cur ea, quæ feriant oculos simulacra, videri
Singula cum nequeant, res ipsæ perspiciantur.
Ventus enim quoque paulatim cum verberat, & cum
Acre ferit frigus, non primam quanque solemus
Particulam venti sentire, & frigoris eius:
Sed magis vnuerfum, fierique perinde videmus
Corpore tum plagas in nostro, tanquam aliqua res
Verberet, atque sui det sensum corporis extrà.
Præterea lapidem digito cum tundimus, ipsum
Tangimus extremum saxi, summumque colorem:
Nec sentimus eum tactu, verum magis ipsam
Duritiam penitus saxi sentimus in alto.*

ILLVD IN HIS REBVS] non debet (inquit) mirum videri, quamobrem, cum simulacra singula non cadant sub aspectum: res ipsæ per simulacra cernantur: & ita ipsa vnuerfa simulacra quodammodo videantur. VENTVS ENIM QVOQVE] id probat non esse mirandum, à simili. TANQVAM ALIQUAE RES] sic habet codex Bertinianus: quæ scriptura si recta est, *aliquæ res* dictum intelligitur, pro *aliqua res*. alij, *aliquares*, legendum putant, aiuntque a vltimam vocalem esse longam, etiam si sit recti casus. quidam docti legendum, censent, tãquam *aliquare*, in septimo casu. *verberet* autem nempe ventus. IPSVM TANGIMVS EXTR.] negaret Aristoteles tangi colorem. color enim non tangitur, sed cernitur: nisi quis dicat, extremum colorem saxi hîc accipiendum pro ipsa saxi extremitate, quam superficiem vulgus appellat. Præterea statim Lucretius quasi se ipse reprimens & corrigens, negat nos sentire tactu colorem, sed potius ipsam duritiem. PENITVS SENTIMVS IN ALTO.] in alto, & penitus idem valent. ita fit *χρῆμα ἐκ πάσης κλίσεως*.

*Nunc age, cur ultra speculum videatur imago,
 Percipe, nam certe penitus remota videtur.
 Quod genus illa, foris quæ verè transpiciuntur,
 Ianua cum per se transpectum præbet apertum,
 Multa facit que foris ex ædibus ut videantur.
 Is quoque enim duplici, geminòque fit aère visus.
 Primus enim st, citra posteis qui cernitur aër.
 Inde fores ipsæ dextra, læuâque sequuntur.
 Post extraria lux oculos perterget, & aër
 Alter, & illa, foris quæ verè transpiciuntur.
 Sic ubi se primum speculi proiecit imago,
 Dum venit ad nostras acies, protrudit, agit que
 Aëra, qui inter se cunque st, oculòsque locatus:
 Et facit, ut prius hunc omnem sentire queamus,
 Quàm speculum: sed ubi speculū quoque sensimus ipsum:
 Continuo, hæc in id, à nobis quæ fertur imago,
 Peruenit, & nostros oculos reiecta reuisit:
 Atque alium præ se propellens aëra voluit,
 Et facit, ut prius hunc, quàm se videamus: eoque
 Distare à speculo tantum remota videtur.
 — Quare etiam atque etiam minimè mirarier est par
 — Illis, quæ reddunt speculorum ex æquore visum
 — Aëribus binis, quoniam res confit viroque.*

NUNC AGE CUR ULTRA SPECVLVM] imago, quâ reddit speculum, non apparet in summo speculo, sed ultra speculū. Nunc igitur quâ obrem id fiat, rationem affert, eamque illustrat à simili. REMMOTA VIDETVR] sic codex Bertinianus. Memmianus remota. remota autem eadem ratione dictum pro remota, qua repperit, pro reperit, retulit pro retulit, recidere, referre, & similia pro recidere, referre. QVOD GENVS] cuius generis: quemadmodum. PRIMVSENIM ST, CITRA POSTES QVIGERNITVR AER] sic reposui, secutus partim libros vulgatos, partim manuscriptos. Sic enim habet codex Bertinianus: citra post æstum cernitur aër. Memmianus autem & Vatic. habent postes cur cernitur aër. Paris. postes cernitur. Veneti & Lugdun. Primus enim, citra postes qui cernitur aër. Quidam tum cernitur probant: & tum referunt ad illum versum, qui antecedit Ianua cum per se transp. &c. CITRA POSTEIS] id est citra ostium, seu foreis,

seu ianuam. sic sup. lib. 3. pag. 215. Iam magis exentis oculis debere videtur Cernere res animus sublatis postibus ipsis. postibus ipsis sublatis, id est ostio ipso sublato. atque ita Adr. Turneb. explicat. Idem locū illum apud Varron. lib. 4. de ling. Lat. responsum est Deum manium postuleonē postulare, & cet. sic restituit: responsum est Deum, manium posti leonem postulare. manium posti (inquit ille) id est ianuæ, seu ostio inferorum, leonē, id est virum fortē.

SPECVLI PROIECIT IMAGO] speculi imaginem accipe, non eā imaginem, quam reddit, & repræsentat speculum, sed eam, quæ ex speculo mittitur, & iacitur, quemadmodum docuit supra ex omnibus rebus summis fluere imagines. PROTRVDIT, AGIT QVE AERA] hic est primus aër, nempe is, quem imago à speculo missa & proiecta, dum ad oculos nostros peruenit, protrudit, ac propellit: qui quidem aër est inter oculos, & speculum interiectus. ATQVE ALIVM PRAE SE] hic est secundus aër: nempe is quem imago à nobis fluens, & in speculum adiecta, atque inde in oculos nostros reiecta, præ se pellit: quem quia prius cernimus, quàm imaginem nostri, iccirco fit, ut imago à speculo remota videatur. CONTINUO HAEC IN ID, A NOBIS QVAE, &c.] sic legendū: non ut in vulgatis, à nobis in eum, &c. continuo (inquit) imago, quæ à nobis fertur, ad speculum peruenit: & à speculo reiecta, nostros oculos reuisit. QVARE ETIAM ATQVE ETIAM, &c.] hunc versum cum duobus sequentibus delendos censeo, ut spurios. eos tamen excudendos curavi, ut leguntur in codicibus manuscriptis.

*Nunc ea, quæ nobis membrorum dextera pars est,
 In speculis fit ut in læua videatur, eò quòd
 Planitiem ad speculi veniens cum offendit imago,
 Non conuertitur incolumis: sed recta retrorsum
 Sic eliditur, ut si quis prius, arida quàm sit
 Cretea persona, adlidat pilæve, trabive:
 Atque ea continuo rectam si fronte figuram
 Seruet, & elisam retrò sese exprimat ipsa:
 Fiet, ut, antè oculus fuerit qui dexter, hic idem
 Nunc sit læuus, & è læuo sit mutua dexter.
 Fit quoque, de speculo in speculum ut tradatur imago:
 Quinque etiam, sexve ut fieri simulacra fuerint.
 Nam quæcunque retro parte interiore latebunt:
 Inde tamen, quamuis tortè, penitusque remota
 Omnia, per flexos aditus educta licebit
 Pluribus hæc speculis videantur in ædibus esse.*

Vsq̄eadèdè è speculo in speculum tralucet imago:

Et cum læua data sit, fit rursum, vt dextera fiat:

Inde retrorsum reddit se, & conuertit eòdem.

Quinetiam quæcunque latiuscula sunt speculorum

Adsimili lateris flexura prædita nostri:

Dextera eapropter nobis simulacra remittunt

Aut quia de speculo in speculum transfertur imago:

Inde ad nos elisa bis aduolat: aut etiam quòd

Circumagitur, cum veniit imago, propterea quòd

Flexa figura docet speculi conuertier ad nos.

NVNCEA QVAE NOBIS, &c.] cum ex hoc loco, tum ex aliis multis intelligere licet, quod traditum est, Epicurum neque mathematicis artibus, neque vllis aliis disciplinis, quibus qui instructi sunt, eruditi dicuntur, politum fuisse. Afferit enim rationem admodum ineptam, & infirmam, & popularem, quare quæ dextra sint, in speculis læua videantur. & contra: nepe quia imago à nobis in speculum iacta, & in id offendens, non reuertatur ad nos incolumis, sed retrorsum elidatur, quemadmodum si quis personam aliquam è creta etiam nunc humidam, & madidam, allidat ad columnam, aut trabem: & ea retro conuertatur expressa, ita vt feruet priorem figuram. tum enim fiet, vt qui antea dexter erat oculus, nunc sit læuus, & contra. Sic igitur Epicurus, seu Lucretius. At Mathematici longè aliter, quemadmodum, & quamobrem hoc fiat, demonstrant: extatque huius rei cognitio, & perceptio (seu εὐρησις) ordine 19. apud Euclidem. docent igitur illi reflexionis angulum, ei angulo, quem facit linea à puncto rei visæ in speculum incidens, æqualem esse. Itaque semper fit reflexio in partem oppositam ei parti speculi, in quam incidit linea à puncto rei visæ producta. Præterea imagines, quæ in speculo cernuntur, qualescunque sit speculum, quam breuissimis fieri potest, lineis continentur. Cum igitur pars dextera rei visæ, lineæ reflexionis sinistræ respondeat ac subiaceat, potius quàm dextere, & contra pars læua rei visæ, dextere reflexionis lineæ subiecta sit potius, quàm læuæ: fit vt lineæ reflexionis, quæ magis dextera sit, sub dextera imaginis partem cadat: & quæ sit magis læua, læuam imaginis partem tangat. Quare læua rei visæ pars dextere imaginis parti opponitur, & contra dextera rei visæ pars læuæ imaginis parti respondet. Denique rei visæ imago, & res visa sic se habent inter se, vt duo gladiatores, qui frontibus aduersis inter se certant, hinc enim alterius oculus læuus, alterius oculo dextro opponitur, & contra. Plato denique in Timæo paucis verbis hanc rationem affert. ὅτι τοῖς ἀντιπίσιν ἀπὸ τοῦ ἑσπερίου τῆς ὄψεως ἀπὸ τῶν ἀντιπίσιν ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου ἐπιπέδου κατὰ κατὰ κατὰ τὸ ἑσπερίου τῆς ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου: id est quia contrariis partibus aspectus contrariæ partes speculi attinguntur, pro consuetudine adiectionis. Sciendum est autem hoc fieri duntaxat in speculis planis, & conuexis. nam in concauis, respondent

dextra dextris, & læua læuis, cuius rei rationem discas ex Platone & Euclide. IN SPECVLIS FIT VT IN LAEVA] sic quidem habet libri omnes & manuscripti, & typis excusi, nisi quòd in codice Tethiano non est præpositio in: in eòque ita scriptum est, *fit vt læua videatur*. ex qua scriptura Muretus suspicabatur esse legendum, *vt læua videatur*, cum diceret ille non esse quòd quæquam mouear *us*. syllaba breuis: sæpe enim poni trybrachum pro dactylo, & choreum pro spondeo. CRETEA PERSONA] sic legendum, & ita scriptum est in cod. Bertin. & Memm. In Vaticano autem cetera litteris transpositis. Quòd autem in nonnullis impressis legitur, *Cereæ persona*, ferri non potest. nam neque quòd hinc dicit Lucretius ex cerea persona fieri potest, neque cera arefcit, sed durefcit potius. quidam putant legendum *Terrea*. RECTAM SI FRONTE FIGVRAM] quidam legendum censent, *certam si forte figuram*. MUTVA] mutud. FIT QVOQVE DE SPECULO] fit etiam (inquit) vt de speculo in speculum transferratur imago, adèd vt quinque aut sex eiusdem rei simulacra reddantur, dum è speculo in speculum translucent. Nam si qua sunt in ædibus quantumuis remota, atque abstrusa, & retro condita, ea pluribus speculis adhibitis, per flexos quosdam aditus, in ædibus esse videbuntur. Immo verò pluribus speculis certo modo stris, & compositis, fieri potest, vt tergum tuum cernas. Exempli gratia. sumito duo specula plana: eorumque alterum à tergo ita collocato, vt sit resupinatum, id est neque prorsus reatum, neque prorsus supinum: alterum sublime & suspensum supra caput teneto, ita vt ob oculos tuos obuersum sit prono, & procliuu situ. sine dubio tergum tuum in speculo illo sublimi, & tuis oculis superne opposito cernes, tui videlicet tergi imagine à posteriore & resupinato speculo, in alterum translata. QVINQVE ETIAM SEXVE VT FIERI] codex Bertinianus nõ habet diuisionem, *se*. sic enim in eo scriptum. *Quinque etiam sex vt*. atque ita fortasse legi debet. sic Horat. epist. i. lib. i. *Si quadringentis sex septem millia desunt*. INDE RETRORSVM REDDIT SE, ET CONVERTIT EODEM] cum in codicibus quattuor manuscriptis, *Inde retrorsum redit*, scriptum reperissem, sine copulatione, *que*, continuo iudicauit ab aliis ita esse repositum, vt habent libri vulgari, *Indeque retrorsum redit*: ab aliis: *Inde retrorsum etiam redit*, &c. vt habent tres manuscripti. Nam Bertinianus neque habet copulationem, *que*, neque etiam. Itaque sic restitui: *Inde retrorsum reddit se, & conuertit eòdem*. sententia autem hæc mihi videretur esse. *Inde*: id est ex primo speculo, vel ex parte dextra, imago reddit se retrorsum, id est in læuam partem, in secundo speculo scilicet, & conuertit se eodem, nempe in læuam. QVIN ETIAM QVAECVNQVE] significatur, opinor, multa specula coniuncta columnæ figura, conuexa. Numerantur autè à mathematicis septem speculorum genera, ex quibus fiat vsitata, & rata reflexio. speculum planum: speculum columnare conuexum: speculum column. concauum: speculum pyramidis in morem conformatum conuexum, & huic similiter conformatum concauum: speculum globosum, seu sphericum conuexum, globosum concauum. DEXTERA] id est quorum dextræ partes nostris dextris respondent. FLEXA FIGVRA] teres instar columnæ. DOCE] imaginem.

*Indugredi porro pariter simulacra, pedemque
 Ponere nobiscum credas, gestumque imitari,
 Propterea quia, de speculi qua parte recedas,
 Continuo nequeunt illinc simulacra reuerti.
 Omnia quandoquidem cogit natura referri,
 Ac resilire ab rebus ad æquos reddita flexus.
 Splendida porro oculi fugitant, vitantque tueri:
 Sol etiam cæcat, contra si tendere pergas,
 Propterea quia vis magna est ipsius: & altè
 Aëra per purum grauius simulacra feruntur,
 Et feriunt oculos turbantia composituras.
 Præterea splendor, quicumque est acer, adurit
 Sæpe oculos, idè quod semina possidet ignis
 Multa, dolorem oculis quæ gignunt insinuando.
 Lurida præterea fiunt quæcunque tuentur
 Arquati, quia luroris de corpore eorum
 Semina multa fluunt simulacris obuia rerum,
 Multaque sunt oculis in eorum denique mista,
 Quæ contagæ sua palloribus omnia pungunt.*

INDUGREDI PORRO PARITER] hæc etiam ad speculorum
 considerationem pertinent. idcirco hos sex proximos versus hoc loco ex-
 cidendos curauit, eoque magis, quod hoc ordine leguntur in codice Bertiniano.
 PROPTEREA QVIA, DE SPECVLI] hæc ratio est admodum arguta, facilis, atque illustris. simulacra (inquit) videntur nobiscum
 ingredi in speculo, quia, qua de parte speculi recedas, statim ex ea parte non
 possint simulacra reuerti. huius rationis ratio est, quia quæcunque ab rebus
 simulacra mittuntur, ea ad æquos & pares angulos referuntur. Mathematici
 autem docent idcirco imaginem rei visæ in speculo moueri videri, quia
 cum omnia puncta rei visæ ab aliis, atque aliis identidem punctis reflectan-
 tur, noua totius rei visæ efficitur imago. vnde per motum rei visæ puncta à
 quibus facta est reflexio, permutantur. ita forma moueri videtur, cū ve-
 ra non moueatur, sed potius noua imago situ rei visæ mutato gignatur. id
 autem accidit propter continuationem reflexionis punctorum, quæ fit in
 extrema cæsura speculi. SPLENDIDA PORRO OCULI] Absoluta
 de speculis disputatione, & eorum ratione, docet quamobrem splendida
 oculos offendant, maxime si nimium sint splendida: cuius rei hæc etiam cau-
 sam afferri posse puto. Quæ sub sensum videndi cadunt, actionem quan-
 dam

dam in eum explicant, ita vt videndi sensus à rebus, quæ cernuntur, patia-
 tur. Cum igitur actio & perpessio sunt intra modum, & altera alteri ex pro-
 portione respondet, iuuatur videndi sensus à re, quæ cernitur potius, quam
 offenditur: & probe suo munere fungitur: Cum verò perpessio actionem
 superat: id est cum id quod cernitur, plus æquo acre, & validum est, oculum,
 & videndi sensum offendit. SOL ETIAM CÆCAT, &c.] Aristot. lib. 3.
 de anima, tradit hoc esse commune omnium sensuum, vt ea, quæ sub eos ca-
 dunt, si modum superent, corrumpant sensus, aut certe sensuum instrumen-
 ta. verbi gratia, sonitus nimius, & modum superans, exsurdatur: nimius splen-
 dor, oculorum aciem præstinguit, atque adeo extinguit: & ita de ceteris sen-
 tiendum. cuius rei hanc rationem affert, quod sensus ratio quædam est:
 omnis autem ratio corrumpitur ab eo quod est nimium, & ab eo quod est
 parum: quemadmodum symphonia corrumpitur, si chorde vehementius,
 quam par sit, pulsentur. LVRIDA PRÆTEREA FIUNT] Luridi
 (inquit Festus) supra modum palidi. In quibusdam libris vulgatis impressum
 est, lutea. Lutea autem, id est crocei coloris, seu, qualis est color ouorum vi-
 tellis. Sed quærat aliquis cur hoc fiat. propter oculi vitium scilicet. nã cum
 visus fiat per aduentum formarum aspectabilium in oculos: quicquid au-
 tem recipit, debeat esse omnis qualitatis expertus, si futurum est, vt formas
 probè recipiat, quemadmodum materia debet esse omnium formarum ex-
 perts, & informis, vt sit formarum capax: merito oculis arquatorum, cum sint
 lurore infecti, quæ non sunt lurida, lurida videntur. ARQUATI] qui
 morbo regio laborant. Arquatus morbus (inquit Nonius) dictus (qui & re-
 gius appellatur,) quod arco, seu arco: id est iridi, sit concolor virori: vel quod ita
 stringat corpora, vt in arcum ducat. Varro Eumenid. Nam, vt arquatis, & veter-
 nois, quæ lutea non sunt, æque vt lutea videntur: sic insani & furiosi, sani videntur
 esse insani. CONTAGÆ] contagione.

*E' tenebris autem quæ sunt in luce tuemur,
 Propterea, quia cum propior caliginis aër
 Ater inuit oculos prior, & possedit apertos:
 Insequitur candens confestim lucidus aër,
 Qui quasi purgat eos, ac nigras discutit umbras
 Aëris illius. nam multis partibus hic est
 Mobilior, multisque minutior, & magis pollens.
 Qui simul atque vias oculorum luce repleuit:
 Atque patefecit, quas antè obsederat ater:
 Continuo rerum simulacra ad aperta sequuntur:
 Quæ sita sunt in luce, laceßuntque vt videamus.
 Quod contra facere in tenebris à luce nequimus,
 Propterea, quia posterior caliginis aër*

*Crassior insequitur, qui cuncta foramina complet:
Obsiditque vias oculorum, ne simulacra
Possint vllarum rerum coniecta moueri.*

E TENEBRIS AVTEM] Quamobrem è tenebris ea quæ sunt in luce cernamus, nõ contrà, per longas ambageis hoc loco rationem exponit. Sed ex Aristotelis & mathematicorum sententia, multo breuior ratio reddi potest, hoc modo. nihil per se videtur præter lucem & colorem. Itaque quicquid cernitur, opera, & beneficio coloris à luce illustrati cernatur necesse est. At videndi sensus fit per contactum quendam, nempe forma rei, quæ cernitur, ad oculos perueniente, & suam vim in videndi sensum explicante. Ita fit, vt è tenebris ea, quæ sunt in luce posita, cernamus. A T E R I N I T O C Y L O S] *nit ocu-* tribrachus pro spondeo, seu dactylo: nisi dicamus *init* dictum pro *mit*: propterea quæ *nit* esse longum: quod malo: vt supra lib. I. *Inuidat animi virtutem.* E T P O S S E D I T.] quidam legunt *possidit*: à verbo *sido, dis*: vt infra: *Obsiditque vias oculorum.* & lib. I. *possidat inane.* & alibi *perfidit*, & *residit.* L V C I D V S A E R] Aristoteles diceret ad oculum peruenire *ειρα*: id est actionem coloris luce perfusi. E L V C E] sic habent libri manuscripti duo, in quibus est Memmianus: nõ, vt alij, à luce. sic supra dixit: *E tenebris autem.* C O N I E C T A M O V E R I] omnes fere libri manuscripti habent, *coniecta*: vnde suspicor legendum *conlecta*. quanquam apud hunc scriptorem *coniectus* idem valet interdum, quod *collectus* & *cõgregatus*.

*Quadratæque procul turreis cum cernimus vrbis,
Propterea fit, vti videantur sæpe rotundæ,
Angulus obtusus quia longè cernitur omnis,
Sive etiam potius non cernitur, ac perit eius.
Plaga, nec ad nostras acies adlabitur ictus,
Aëra per multum quia dum simulacra feruntur,
Cogit hebescere eum crebris offensibus aër:
Hinc vbi suffugit sensum simul angulus omnis,
Fit, quasi tornata vt saxorum structa tuantur,
Non tamen vt coram quæ sunt, verèque rotunda,
Sed quasi adumbratim paullum simulata videntur.
Vmbra videtur item nobis in sole moueri,
Et vestigia nostra sequi, gestumque imitari,
Aëra si credas priuatum lumine posse
Indugredi, motus hominum, gestisque sequentem.*

*Nam nihil esse potest aliud nisi lumine cassus
Aër, id quod nos vmbra perhibere suemus.
Nimirum, quia terra locis ex ordine certis
Lumine priuatur solis, quacunque meantes
Officimus: repletur item, quod liquimus eius.
Propterea fit, vti videatur, quæ fuit vmbra
Corporis, è regione eadem nos vsque secuta.
Semper enim noua se radiorum lumina fundunt,
Primæque dispereunt quasi in ignem lana trahatur.
Propterea facile & spoliatur lumine terra:
Et repletur item, nigraeque sibi abluit vmbra.*

QVADRATA'QUE PROCVL TURREIS] nunc nonnullas visus fallacias, seu captiones proponit: quas tamen negat esse fallacias sensus, sed animi opinationes. Satis autem probabilem, & acutam rationem reddit, quare quadrata figura, procul rotunda videatur: quoniam scilicet omnis angulus si longius distet, obtusus videtur, seu potius nõ videtur: cuius rationis causa est, quod dum simulacra rei quæ cernitur, per multum aëra feruntur, ab eo aëre ictus obtunditur: & ita videndi sensum effugit. quo fit, vt quæ sunt quadrata, tanquam rotunda videantur. Mathematici, & optici hoc sic demonstrarent. quicquid cernitur, definitam habet loci distantiam, ultra quam non potest cerni. finge igitur magnitudinem aliquam in vltima distantia cerni. cernetur igitur sub quàm minimo fieri potest, angulo. removeatur nunc hæc magnitudo longius ab oculo, proculdubio non cernetur. alioqui sub minore angulo cerneretur, quàm qui est minimus. quod fieri non potest. magnitudo autem angulis prædita circa suos angulos minor est, quàm circa quilibet alias suas partes: Ita fiet vt oculus, corporis quadrati longissime distatis angulum quauis sibi propinquiorem minus cernere possit, quàm reliquas illius corporis partes. ex quo efficietur, vt quadratum, rotundum videatur. NEQUE AD NOSTRAS ACIES ADLABITVR] sic reposui. cum ex libris vulgatis alij habeant *illabitur*, alij *delabitur*: ex manuscriptis autem alij *delabitur* cum vulgatis aliquot consentientes, alij *derabitur*: cuius scripturæ rationem exputare non possum. FIT QVASI TORNATA VT SAX.] ordo est, fit vt structa saxorum: id est saxa, quæ structa sunt, tuantur, id est videantur quasi tornata, id est rotunda, & torno facta. *structa saxorum* autem sic dictum, vt *septia & clausa domarum*, apud eundem, *strata viarum* apud Virgil. & apud hunc eundem: *sicta rerum*, *amara curarum*, apud Horat. & similia, quæ in commentariis Horatianis notauimus. A D V M B R A T I M] *τιτωδως*, nõ adamsim, non exquisitè rotunda. V M B R A V I D E T V R I T E M] Cum corpus inter solem & locum à sole illustratum, interpositum, vmbra efficiat, eo quod locum illum,

qui à solis radiis percussus, erat luminosus, sua interpositione, lumine priuet (nihil enim aliud est umbra, quam aër à lumine vacuus,) cumque quocunque in loco, in sole ambulantes, soli officimus, is locus lumine priuetur: non est mirum, si vnà cum corpore nostro umbra moueri videatur. Quòd si quis quærat, quamobrem umbra nigra videatur, ratio est in promptu. umbra omnis lumini contraria est, vt priuatio habitui. at lumen omne clarum est. ergo umbra obscura. at quod obscurum est, quodammodo nigrum est. Potest & hoc dici. Omne lumen candidum est. umbra priuatio luminis est. umbra igitur meritò nigra est. LUMINE CASSVS] à lumine vacuus, lumine priuatus. OFFICIMVS] obstatum soli. SEMPER ENIM NOVA] nunquam manet idem lumen, sed primum quodque perit, & aliud atque aliud continuè à sole fluit. idem de flamma sentiendum, qua de re pluribus versibus disseret lib. 5. eo loco, vbi probare conatur hūc mundum esse interiturum. PRIMA QVE DISPEREVNT QVASI IN IGNE] illustri & luculenta similitudine demonstrat prima quæque lumina disperire, & semper recens suboriri: nempe quemadmodum si lana in ignem, aut flammam aliquam traheretur: quicquid lanæ in ignem incideret, absumeretur: ita & de lumine sentiendum. videtur non longè abluere à prouerbio *εἰς πῦρ ἐλάττω*: quod est in ignem, seu in igni nere. hunc locum autem sic reperi scriptum in duobus libris manu scriptis, Bertiniano, & Memmiano, vt excudendum curauit, cum in vulgatis miserabilem in modum sit deprauatus. alij enim habent *quasi imagine*, alij *qua margine*, alij *quasi margine*. NIGRASQVE SIBI ABL. VMBR.] cur umbræ nigre dicantur, supra probabileis rationes attulimus.

*Nec tamen hinc oculos falli concedimus hilum.
Nam quocunque loco sit lux, atque umbra, tueri
Illorum est, eadem verò sint lumina, necne:
Umbræque, quæ fuit hic, eadem num transeat illuc:
An potius fiat, paullo quod diximus antè:
Hoc animi demum ratio discernere debet:
Nec possunt oculi naturam noscere rerum.
Proinde animi vitium hoc oculis ad fingere noli.
Qua vehimur naui, fertur, cum stare videtur:
Quæ manet in statione, ea præter creditur ire:
Et fugere ad puppim colles, campique videntur,
Quos agimus præter nauim, velisque volamus.
Sidera cessare ætheriis adfixa caernis
Cuncta videntur, & adsiduo sunt omnia motu:
Quandoquidem longos obitus exorta reuifunt,*

*Cum permensa suo sunt celum corpore claro.
Sólque pariratione manere, & luna videtur
In statione, ea quæ ferri res indicat ipsa.
Extantésque procul medio de gurgite montes,
Classibus inter quos liber patet exitus: iidem
Apparent: & longè diuulsi licet, ingens
Insula coniunctis tamen ex his vna videtur.
Atria versari, & circumcursare columna
Usque adeò fit vti pueris videantur, vbi ipsi
Desierunt verti, vix vt iam credere possunt,
Non supra sese ruere omnia tecta minari.*

PAVLO QVOD DIX.] nempe noua se radiorum lumina identidem fundere, & prima quæque disperire. PROINDE ANIMI VITIUM] si quid fallimur (inquit) in rebus cernendis, animi vitium est, non oculorū. quare noli hanc culpam oculis ascribere. Pergit multa exempla commemorare, ex quibus sensus oculorum, & alij falli videntur: quod negat ita esse. Volebat enim Epicurus sensus esse certos, ac veros: qua de re lege M. Tullium in Lucullo: nos item non nihil ex Epicuro ipso infra referemus. QVA VE HIMYR NAVI] M. Tullius eo, quem dixi, loco, *Videsne (inquit) nauē illam? stare nobis videtur. at iis qui in naui sunt, moueri hæc villa.* Mathematici docent, ac demonstrant ex immoderato atque intemperato habitu octo circumstantiarum, in motu, & quiete cernenda, errorē obiici potestati, seu virtuti ad res distinguendas valenti. in octo autē circumstantiis illis numeratur nimia distantia. itaque per immoderatā rei, quæ cernitur, distantiam, fit vt & eo qui cernit, quiescente, res quæ cernitur, cum moueatur, quiescere: & eo qui cernit, locum mutante, res quæ cernitur, cum quiescat, & fixa maneat, moueri videatur. Ex hac opinione dixit Virgil. *Æneid. lib. 3. Pronebimur portu: terræque, vrbesque recedunt.* ibidem. *& angustæ rarefcent summa Pelori.* QVOS AGIMVS PRAETER NAVIM] id est præter quos agimus & impellimus nauim. AETHERIIS ADFIXA CAVERNIS] sic supra eodem lib. *cali compleffe caernas.* ET ADSIDVO SVNT OMNIA MOTV] Bertin. habet *omnia mota.* IIDEM APPARENT] id est coniuncti & continentes apparent: vnum montem efficere videntur: seu cum duo montes sint, vnus mons videntur esse, seu vna insula. Sed nō ce labo lectorem, hoc totum, *iidem Apparent, & longè diuulsi licet*, abesse à tribus lib. manu scriptis, in eisque ita legi: *patet exitus, ingens Insula, & c.* de qua scriptura iudicet lector eruditus. ego quidem probo: atque eam confirmat codices Paris. & Veneti antiquiores. ATRIA VERSARI, ET CIRCUMCURSARE] atria (inquit) vbi pueri circumcursarunt, & circumacti fuerunt, videntur ipsa pueris circumuolui, & circumagi, vbi illi se circum-

gere defierunt. huius animi opinationis hæc causa est, quòd spiritus ad visum pertinentes, intus concussi, ex motu totius corporis, huc & illuc oberant, & circumaguntur, neq; mouèdi corporis sine facto, & quiescente corpore externo, spiritus interni quiescunt. Nam cū multo sint leuiore corpore concreto, multo etiam sunt mobiliore, & minor animæ potestas eos commouet: illi autem commoti formas & imagines rerum commotas atque agitatæ potestati, seu virtuti res distinguenti atque internoſcenti obii- ciunt ac representant. ea enim omnia, quorum formæ commotis spiritibus animæ potestati obii- ciuntur etiam quiescēte eo qui cernit, moueri videntur: quæ admodum rora ab aliquo impulsæ diu mouetur postquam manus, à qua impulsus est, moueri desita est.

*Lámque rubrum tremulis iubar ignibus erigere altè
Cum cæptat natura: supraque extollere monteis:
Quos tibi tum supra sol monteis esse videtur,
Comminus ipse suo contingens feruidus igni:
Vix absunt nobis missus bis mille sagittæ:
Vix etiam cursus quingentos saepe veruti.
Inter eos, solémque iacent immania ponti
Aequora, substrata ætheriis ingentibus oris:
Interiectæque sunt terrarum millia multa:
Quæ variæ retinent gentes, & sæcla ferarum.
At conlectus aquæ digitum non altior vnum,
Qui lapides inter sistit per strata viarum,
Despectum præbet sub terras impete tanto,
A terris quantum cæli patet altus hiatus:
Nubila despicere, & cælum vt videre videre, &
Corpora mirando sub terras abdita cælo.
Denique, vbi in medio nobis equus acer obhasit
Flumine, & in rapidas amnis despeximus vndas:
Stantis equi corpus transuersum ferre videtur
Vis, & in aduersum flumen contrudere raptim.
Et quocumque oculos traiecimus, omnia ferri,
Et fluere adsimili nobis ratione videntur.
Porticus equali quanuis est denique ductu,
Stansque in perpetuum paribus suffulta columnis:*

*Longa tamen parte ab summa cum tota videtur,
Paullatim trahit angusti fastigia coni,
Tecta solo iungens, atque omnia dextera leuis:
Donec in obscurum coni conduxit acumen.
In pelago nautis ex vndis ortus, in vndis
Sol fit vti videatur obire, & condere lumen:
Quippe vbi nil aliud nisi aquam, cælumque tuentur,
Ne leuiter credas labefactari vndique sensus.*

[I AMQVE RVBRVM TREM. IVBAR] stella ante solem ortum vocatur iubar, quòd sit iubata, inquit Varro de lingua Latina lib. 5. Sic item & Festus. iubar stella, quam Græci *πρωτοσεν*, id est luciferum appellant, quòd splendor eius diffunditur in modum iubar leonis. quidam tamen putant hinc à Lucretio possum esse iubar pro splendore & lumine solis orientis, à quibus dissentio. accedat ad Varronis & Festi auctoritatem, Seruij sententia, qui notat ad illum locum Virgil. 4. Æneid. *It portis iurare exorto delecta iuuentus, & c. iubare exorto: id est orto Lucifero. nam propriè Lucifer iubar dicitur, quòd iubar lucis effundat.* [QVOS TIBI TVM SVPRÆ, & c.] ordo est. ij montes, supra quos monteis sol tibi esse videtur, è propinquo loco eos suo igni contingens, vix absunt nobis, id est nostro iudicio, vel vix à nobis abesse videntur bis mille missus sagittæ, atque ad eò quingentos reli cursus, seu iactus, cum tamen inter eos & solem immania: id est ingentia atque immensa maria interposita sint, & c. tres lib. manuscripti habet *Quos vbi tum, & c.* [VERVTI] Nonius: *veruina, seu verbina genus teli longi, quod nonnulli verutum nominant.* [RETINENT] colunt, inhabitant. [AT CONLECTVS AQVÆ] sic reposui, secutus trium librorum manuscriptorum obscura quædam vestigia. conlectum aquæ autem interpretor collectionem aquæ, seu aquam collectam. Horat. epist. ad Vaalam, *Collectosne bibant imbreis, puteosne perennes.* Quòd si quis malet legi *coniectus*, vt habent nonnulli libri manuscripti, & quidam typis excusi, non pugnabo: vt coniectum aquæ intelligamus, aquam coniectam, & quæ ex pluribus locis in vnum confluit. in quibusdam libris vulgatis, vt in Parisiensib. impressum est, *commictus*: quæ scriptura fortasse deprauata est ex ea quæ reperitur in Memmiano codice, *commixtus*. *commixtus* autem idem valet, opinor, quod commixtio, & collauies. [DESPECTVM PRÆBET] despectum: id est aspectum è loco superiore. Cæf. lib. 2. *quod cum ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupeis, despectisque haberet, & c.* idem lib. 3. *& loca superiora, vnde erat propinquus despectus in mare, ab exercitu tenebantur.* [IMPETE TANTO A TERRIS QVANT. CÆLI] Virgil. lib. 6. *Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras, Quantus ad ætherium cæli suspectus Olympum.* [CORPORA MIRANDO SVB TERR.] si scripturam vulgatam retinebimus, vt non sequatur copula verbum *videre*, in versu superiore: & (quod primum est) si huic versum Lucre-

tianum esse iudicabimus, *mirando* interpretabimur, dum miraris, scilicet corpora, &c. sin addemus copulationem: *mirando* cohærebit cum voce cælo: vt intelligamus id cælum esse mirabile, quod sub pedibus nostris cernatur. sed libri scripti reclamant, in quibus scriptum est, *miranda*. cuius lectionis rationem explicare nequeo. ego sic putabam reponendum. *calum vt videre videre, & Corpora mirari sub terras abdita calo.* vel sic, *Corpora mirandi sub terras abdita cali.* Omnino si hic versus tollatur, nihil de sententia huius loci deperat. Veruntamen iudicet lector. EQVVS ACER OBHÆSIT] sic habent duo cod. manuscripti, Bertin. & Memmianus. Cum hæsit equus (inquit) in medio flumine, despicientibus nobis in aquas celeriter labēteis, equus videtur rapi in aduersum, & superiorem partem fluminis: & flumen scilicet stare. RAPTIM] celeriter, & rapiētis in morem. sic suprâ lib. i. *nil ab se quod possit mittere raptim.* PAVLLATIM TRAHIT ANGVSTI] porticus (inquit) quæ est tūm æqualibus columnis in perpetuum suffulta, & ita æquali omni ex parte constat altitudine: tūm parietibus æqualiter inter se perpetuò distantibus, atque ita æquali perpetua constat latitudine, si eam spectes à summa parte, videbitur tibi paulatim supernè, atque infernè, à dextra & læua contrahi, & coarctari, & con similitudinem præ se ferre. est autē conus vertex rotundus atque obtusus cuiuscūque pyramidis siue rotundæ, siue quadratæ, & lateribus præditæ. Causam autem, cur ita videatur, afferunt mathematici pluribus quidem verbis, sed ego in pauca conferam. parallelarum linearum partes ab aspectu remotiores ad extremum fere concurrere videntur. quod sic demonstratur. Primum lineæ parallelæ eandem necessariò soli extremitatem occupant. fingamus duas lineas parallelas esse centum pedes longas, atque inter se distare pedes decem. ducantur lineæ decem transuersæ ab altera parallela in alteram. hæ singulæ scilicet erunt inter se æquales, & denos pedes longæ. esto igitur oculus in summa parte huius planicie, in qua parte ducta est prima linea transuersa. dico secundam lineam, quæ est oculo proxima, (nam primam non numero, quæ oculum tangit) ei qui cernit, longiorem videri, tertia: & tertiam quarta, & quartam quinta, & ita deinceps, ad eò vt vltima linea transuersa & decima, quæ ab oculo remotissima est, breuissima videatur: cuius rei ratio est, quòd quo quæque magnitudo à nobis longius abest, eo angulum qui sub oculum cadit, efficit minorem: & contrà, quo quæque magnitudo à nobis propius abest, eo angulum, qui sub oculum cadit, habet maiorem. vnde sequitur magnitudinem tanto nobis videri maiorem, quanto à nobis propius abest: & contrà, tanto videri minorem, quanto remotior est. Sic fit vt extrema, & remotissima pars rectorum porticus, solum propè tangere: & dexter paries læuo cõfusus esse videatur. CONDIXIT] *οὐκ ὄραται.* CONDERE] abscondere, occultare. NE LEVITER CREDAS] sic legendum, & ita scriptum est in lib. manuscriptis: non, vt in vulgatis, *nec leuiter*. pendet autem hic versus à superiore, & *ne* idem valet quod, vt *ne*, vel vt non, proinde ac si ita dicat: non est mirum, si nautis sol in vndis obire, & occidere videatur, quippe cum præter cælum & aquam nihil cernant, ne leuiter ac temere credas sensus vndique labefactari.

At

*At maris ignaris, in portu clauda videntur
Nauigia aplustris fractis, obnitier vndis.
Nam quacunque supra rorem salis edita pars est
Remorum, recta st: & recta superne gubernata,
Quæ demersa liquore obeunt, refracta videntur
Omnia conuerti, sursumque supina reuerti:
Et reflexa propè in summo fluitare liquore.
Raræque per cælum cum venti nubila portant
Tempore nocturno: tum splendida signa videntur
Labier aduersum nubis, atque ire supernè
Longè aliam in partem, quàm quò ratione feruntur.
At si forte oculo manus vni subdita subter
Præsit eum: quodam sensu fit, vti videantur
Omnia, quæ tuimur, fieri tum bina tuendo,
Bina lucernarum florentia lumina flammis,
Binæque per totas adeis geminare supellex:
Et duplices hominum facies, & corpora bina.
Denique cum suani deuinxit membra sopore
Somnus, & in summa corpus iacet omne quiete:
Tum vigilare tamen nobis, & membra mouere
Nostra videmur, & in noctis caligine cæca
Cernere censemus solem, luménque diurnum:
Conclusoque loco cælum, mare, flumina, monteis
Mutare, & campos pedibus transire videmur:
Et sonitus audire, seuera silentia noctis
Vndique cum constant, & reddere dicta tacentes.
Cetera de genere hoc mirando multa videmus:
Quæ violare fidem quasi sensibus omnia quærunt:
Nequicquam, quoniam pars horum maxima fallit
Propter opinatus animi, quos addimus ipsi,
Pro visis vt sint, quæ non sunt sensibus visa.
— Nam nihil egregius, quàm res secernere apertas
— A dubiis, animus quas ab se protinus abdit.*

Q9

AT MARIS IGNARIS, &c.] In omni re cernēda aut radij ab oculis incidunt duntaxat in rem visam, quamvis tales radij non sint causa visus: & hic visus fit recta per vnum corpus diaphanes seu pellucidum: aut radij, qui ab oculis in rem visam inciderunt, reflectūtur in oculos: aut iidem illi radij franguntur. Incidunt duntaxat in rem visam, cum verbi gratia, equum, aut corpus aliquod, aut colorem in corpore non leui, aut si leui, non tamen denso cernimus. reflectuntur radij cū speculū, id est corpus aliquod politū & densum cernimus, franguntur cum rem aliquā per plura corpora pellucida, verbi gratia, per aërem, & vitrū, aut aquā cernimus. Quod igitur dicit hīc Lucr. maris ignaris nauigia in portu, clauda, & eam remorū partē, quę in mari mersa est, fractā & curuam videri: is error oculorū nascitur ex tertio cernendi modo, qui fit per duo corpora διαφανή, quorū alterum sit magis pellucidum, quā alterum: vt aër magis pellucidus est, quā aqua: aqua densior est aëre. Nam cum, verbi gratia, remum seu potius remi partē sub aqua cernimus, eam remi partem nō rectē, sed obliquē cernimus, neque ipsa remi pars re vera cernitur in eo corpore pellucido, quod est densius aëre, sed imago, & similitudo duntaxat, quia linea à re visa non reflectitur recta ad oculum, sed in extremitate secundī corporis pellucidi nempe aquę refringitur. Quo fit, vt oculus rem non suo loco cernat, sed alio: immo non rem ipsam, quippe quę recta sit, sed vmbra quādam rei incuruam ac refractam, videat: & cum remi partes cōtinuę directē apparere nō possint, appareant cōtinuatę indirectē. APLVSTRIS FRACTIS] quid sint aplustra diximus suprā lib. 2. ad illum locū, *fluitantia aplustra*. NAM QVAECUNQUE] quęcunque (inquit) remorū pars extat supra rorem salis: id est aquā maris, recta est: quę mersa est, refracta videtur. M. Tull. Lucullo. *Neque vero hoc loco expectandum est, dum de remo inflexo, aut de collo columbae respondeam.* Plutarchus *περὶ κολώτιω*, eo loco, vbi disputat aduersus sensus, ostēdens eos non semper esse veros, aut veri nuncios, ait rei quidem quę sub aqua est, imaginem, à qua imagine visus afficitur, atque (vt ita dicam) patitur, esse fractam, remum autem ex quo fluit imago, non esse fractum. τὸ δὲ εἶδος ὁμοῦ ἐπέπονθεν ἢ ὀψίς, καὶ κλασμάρον ἔστιν: ἢ κῶπι δ' ἀφ' ἧς τὸ εἶδος ὁμοῦ, ἢ ἐστὶ κλασμάρον. huc pertinent ea quę scribit Seneca natur. quęst. lib. 1. cap. 3. *Nihil acie nostra fallacius, non tantum in his, à quibus subtiliter peruidēdis illam colorum diuersitas submouet, sed etiam in his quoque, quę ad manum cernit. Remus integer in tenui aqua fracti speciem reddit: Poma per vitrum aspicientibus multo maiora sunt: Columnarum intervalla porticus longiores iungunt.* ET RECTA SVPERNE GVERNA] sic legendum, & ita habent libri quinque manuscripti. Nonius autem docet *guberna* positum esse in antiquis, pro gubernacula, vt à Lucill. lib. 20. *faty. Proras despoliate, & detondete guberna.* sup. lib. 2. *Disectare solet magnum mare transstra, guberna.* RARAQVE PER CAELVM CVM] tempore nocturno (inquit) cælo sereno, cum ventus nubila rara: id est nubeis inaneis, & pellucidas portat, stellę videntur aduersum nubila moueri, & nubila stare. SPLENDIDA SIGNA] stellę. ADVERSYM NYBEIS] sic legendum reclamantib. libris omnibus, qui habent aduersum nimbos. rara enim nubila nimbi dici posse non videntur. AT SI FORTE OCULO]

Quamobrem hoc fiat, rationem afferens Aristot. problem. sect. 3. idem accidit (inquit) si quis infernē oculum premat, quod ebriis, nempe vt vnum cernentibus, duo videantur. motum est enim principium aspectus, ita vt oculus alter conuenire in vnum non possit. hoc tantum interest, quod hic motus fit extrinsecus: ille autem qui fit à vino, intrinsecus. hactenus Arist. licet & hanc causam afferre. Tum oculus directē videt, cum radij à re visa in pupillam cadunt ad perpendiculum, & recta ad principium visus, coniunctionemque neruorum ad visum conferentium feruntur. At cum oculus alter manu premitur, curuatur aspectus, & nerui sursum ac deorsum moventur: & huc & illuc distrahuntur. ita fit vt vnum plura videatur. BINA LVCERNARVM FLORENTIA LVM.] sic habent quattuor libri manuscripti, quibuscum congruunt libri Parisien. & Veneti antiquio. ceteri vulgati habent *flagrantia*. quidam vir doctus putabat legēdum *flammatiā*, vt apud Virg. lib. 3. Georg. *Exilit in siccum, & flammatiā lumina torquens Saevit agris*: à quo dissentio, malōque legi, vel, vt est in nonnullis vulgatis, *flagrantia*, vel vt in manu scriptis florentis, vt sit metaphorā ducta ab arborum, aut aliarum rerū floribus. DENIQVE CVM SVAVI] de somniis disputabit pluribus verbis infrā eodem lib. sub extrem. CENSEMV S] putamus: & ita sæpe vsurpat Plautus. CONCLUSÓQVE LOCO] lib. Vatic. & Faern. habent *Conclusiq, loco*. verumtamen nihil muto. QVONIAM PARS HORVM MAX. FALL. PROPT.] hoc tenebat mordicus Epicurus, (vt suprā diximus) sensus esse veros: & si quid erroris nobis obiiciatur in videndo, aut audiendo, &c. cum errorem nasci ex opinione, non ex sensibus dicebat. quod propemodum probat Arist. cum alibi, tum lib. 3. de Animo. ἢ ἰδίῳ δὲ αἰσθησι τῶν ἰδίων, αὐτὴ ἀληθὴς, &c. ibidem. ἢ αἰσθησι τῶν ἰδίων ἀληθὴς ἔστι, ἢ ἅπ' ὀλίγοισιν ἔχουσα τὸ ψεῦδος: id est sensus quidem propriorum subiectorum semper verus est: aut quā minimum mentitur. hac autem de re sic M. Tull. in Lucullo. *Itaque Timagoras Epicureus negat sibi vnquam, cum oculos torssisset, duas ex lucerna flammulas esse visas. opinionis enim esse mendacium, non oculorum.* ibidem suprā. *Eō enim rem demittit Epicurus, si vnus sensus semel in vita mentitus sit, nulli vnquam esse credendum.* Idem lib. 1. de Finib. *iudicia rerum in sensibus ponit: quibus si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatū esse omne iudicium veri & falsi putat.* OPINATVS] opinaciones. NAM NIHIL EGREG.] secutus sum libros vulgatos. nam manuscripti tres habent *Nam nihil egregius est.* Memmianus: *Nam nihil egregius est.* quidam legendum cēsent. *Nam nihil egregiū est.* id est egregium est. Paucis complectar quod sentio. hic versus cum proximo non videtur mihi *ἴσ' ποιεῖς*, non quod comparatiuum egregius me offendat, (quanquam offendit,) Nam à Catone dictum est *industriorem, iter arduius, tra noxiorem*, à Lucillio *strenuior*, à Plauto *industrior*, à Pacuio *egregiissima forma*, &c. quę refert Prisc. lib. 3. sed quia hi duo versus sententiam continent perplexam, & absōnam, & ineptam. quis enim interrogatus quamobrem non fallantur sensus, sed opinionum sit mendaciū, & fallacia, respondeat, quia nihil egregius est, quā res apertas à dubiis distinguere, ac fecernere? Præterea quid sibi volunt illa, animus quas ab se protinus abdit? Nam si hoc significant, animum statim res dubias à se re-

pellere, atque à perspicuis & apertis distinguere, quia has intelligat, illas comprehendere non possit, falsum est nihil esse magis egregium, quam res apertas à dubiis secernere. Omnino in hoc loco mihi aqua hæret, neque quicquam aliud dicere possum, quam quod modo dixi, mihi hos versus nō videri Lucretianos.

Denique, nil sciri si quis putat, id quoque nescit,
 An sciri possit, quo se nil scire fatetur.
 Hunc igitur contra mittam contendere causam,
 Qui capite ipse suo instituit vestigia retro.
 Et tamen hoc quoque uti concedam scire, at id ipsum
 Quæram, cum in rebus veri nil viderit antè:
 Unde sciat, quid sit scire, & nescire vicissim:
 Notitiam veri quæ res, falsiq; creavit:
 Et dubium certo quæ res differre probavit.
 Inuenies primis ab sensibus esse creatam
 Notitiam veri, neque sensus posse refelli.
 Nam maiore fide debet reperiri illud,
 Sponte sua veris quod possit vincere falsa.
 Quid maiore fide porro, quam sensus haberi
 Debet? an ab sensu falso ratio orta, valebit
 Dicere eos contra, quæ tota ab sensibus orta est?
 Qui nisi sint veri, ratio quoque falsa fit omnis.
 An poterunt oculos aures reprehendere? an aureis
 Tactus? an hunc porro tactum sapor arguet oris?
 An confutabunt nares, oculi ve reuincant?
 Non (vt opinor) ita est, nam seorsum cuique potestas
 Diuisa est: sua vis cuique est, ideoque necesse est,
 Quod molle, aut durum est: gelidum, feruensve seorsum.
 Id molle, aut durum: gelidum, feruensve videri:
 Et seorsum varios rerum sentire colores,
 Et quæcunque coloribus sunt coniuncta, necesse est.
 Seorsus item sapor oris habet vim, seorsus odores.
 Nascentur, seorsum sonitus: ideoque necesse est.

Non possint alios alij conuincere sensus.
 Nec porro poterunt ipsi reprehendere sese:
 Aequa fides quoniam debet semper haberi.
 Proinde, quod in quoque est his visum tempore, verum est.
 Et si non poterit ratio dissoluere causam,
 Cur ea, quæ fuerint iuxta quadrata, procul sint
 Visa rotunda: tamen præstat rationis egentem
 Reddere mendosè causas vtriusque figuræ,
 Quàm manibus manifesta suis emittere quoquam:
 Et violare fidem primam, & conuellere tota
 Fundamenta, quibus nixatur vita, salusque.
 Non modò enim ratio ruat omnis: vita quoque ipsa
 Concidat extemplo, nisi credere sensibus ausis,
 Præcipiteisque locos vitare, & cetera, quæ sint
 In genere hoc fugienda: sequi, contraria quæ sint.
 Illa tibi est igitur verborum copia cassa
 Omnis: quæ contra sensus instructa, parata est.
 Denique vt in fabrica, si praua est regula prima:
 Normaque si fallax rectis regionibus exit:
 Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum:
 Omnia mendosè fieri, atque obstipa necesse est,
 Præua, cubantia, prona, supina, atque absona tecta,
 Iam ruere vt quædam videantur velle, ruantque,
 Proditæ iudiciis fallacibus omnia primis:
 Sic igitur ratio tibi rerum praua necesse est,
 Falsaque sit, falsis quæcunque ab sensibus orta est.

DENIQUE NIL SCIRI] Sic Metrodorus Chius, vt refert M. Tull. in Lucullo. Nego scire nos, sciamusne aliquid, an nihil sciamus: ne id ipsum quidem nescire, aut scire nos: nec omnino sitne aliquid, an nihil sit. Idem ibid. Parmenides, Xenophanes minus bonis quamquam verbis, sed tamen illis verbis, increpant eorum arrogantiam quasi irati: qui, cum sciri nihil possit, audeant se scire dicere. ibidem. dubitari non potest, quin Socrati nihil sit visum sciri posse, excepit vnum tantum scire se, nihil se scire: nihil amplius. quid dicam de Platone? qui certe tam multis libris hæc persecutus nō esset, nisi probauisset. QVO SE NIL SCIRE FAT.] libri scri-

pti tres habent, quoniam nil scire fatetur. ego malim legi: quod se nil scire fatetur. Hæc autem omnia disputantur, & dicuntur aduersus novos Academicos, quorum fuit princeps Arcefilaus. Hic (vt scribit Lactantius, seu Lucretius Firm. lib. 3. de falsa sapientia) *introduxit genus philosophiæ ἀσίστου*: id est *instabile, seu inconstans. Vt enim nihil sciri posse sciendum sit, aliquid sciri necesse est. Nam si omnino nihil scias, id ipsum nihil sciri posse tolletur. Ita si nihil sciri potest, necesse est id ipsum sciri, nihil sciri. Si autem scitur, nihil posse sciri: falsum est ergo quod dicitur, nihil posse sciri.* Hæc ille. MITTAM] omittam. CONTENDERE CAUSAM] sic M. Tull. Catil. *si causas contendere velimus.* QVI CAPITE IPSE SVO] id est, qui capite suo retro graditur. significat, opinor, eos præpostero & peruerso esse iudicio, qui ita sentiunt. INVENIES PRIMIS ABSENS.] de hoc consentiunt inter se omnes philosophi, præter Academicos, scientiam oriri à sensibus. Sed quod dicebat Epicurus *κατὰ τὴν ἀληθείαν εἶναι τὰς αἰσθήσεις, ἢ δ' εἶναι τὸ δυνάμειον αὐτὰς διαλέγεσθαι*, id est iudicium veritatis penes sensus esse, neque esse quicquam, quod eos refellere queat: id negabant etiam veteres Academici, & multi alij. Mentem enim volebant esse rerum arbitram, atque iudicem: sensus autem omnes, hebetes & tardos, nec villo modo res eas percipere, quæ sibi subiectæ viderentur: vt pote quæ essent aut ita parvæ, vt sub sensum cadere non possent, aut ita mobiles, & celeres, vt nihil vnquam vnum & idem esset, quia omnia continenter fluere, & laberentur. QVI NISI SINT VERI] si sensus non sint veri (inquit) ne ratio quidem ipsa vera sit, cū sit orta à sensibus. sic Epicurus *πάντες γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθησέων ἴσθηται. πάντες δὲ αἰσθησις ἀλόγος ἔστιν*: id est omnis enim ratio à sensibus pendet: sensus autem omnis, rationis expers est. AN POTERVNT OCULO S] sic Epicurus. *ἢ τὴν ὁμοιογενῆς αἰσθησις πῶς ὁμοιογενῆς διαλέγεσθαι δὲ τῶν ἰσοδύναμων. ἢ τὴν ἰσομοιογενῆς πῶς ἰσομοιογενῆς, ἢ γὰρ ἢ ἂν τῶν κειπνῶν* id est neque enim sensus similis generis, eiusdem generis sensum refellere potest, propter virium, & potestatis æqualitatem: neque qui dissimilis generis est, eum qui dissimili genere est, propterea quod dissimilis generis sensus de iisdem iudicandi facultatē non habent. QVOD MOLLE AVT DURVM EST: GEL. FER. SEORS.] Quis non videt hunc versum deesse, librariorum negligentia prætermisum? hoc enim sentit Lucretius. suum cuiusque sensus munus est, sua cuique vis & potestas data est. idēd necesse est, seorsum id videri molle aut durum, gelidum aut feruens, quod sit molle, aut durum, gelidum, aut feruens: nempe hæc tactu solo iudicari: & seorsum colores, eaque quæ sunt coloribus cōiuncta, sentire necesse est, videlicet oculis, & videndi sensu, & ita de ceteris. *deorsum* autem, & *seorsum*, interdum esse disyllaba, interdum trisyllaba supra ostendimus. lib. 3. & (vt docui) *dimissa seorsum.* NEC PORRO POTERVNT] δὲ τῶν ἰσοδύναμων: id est propter æqualitatem potestatis. non poterit (inquit) visus visum refellere, nec auditus auditum, nec gustatus gustatum, propter æqualem vtriusque potestatem, fidem, atque auctoritatem. quidam libri habent, *Nec porro possunt.* ego nihil muto. MENDOSE] perperam, malè. QVAM MAN. MANIF. SVIS EMITTERE QVQVAM] quàm emittere, seu amittere aliqua manifesta de suis manibus. *amittere* autem legendū videretur non

emittere. *amittere* enim valet idem, quod apud Græcos ἀποβάλλειν, ἀφίγειν, ἢ ἐξίγειν. quoquam autē excudendū curavi, quemadmodū habent libri inanuscripti, & omnes vulgati præter Florentin. qui habent *quenquam*, & Parisiens. in quibus est, *quaquam*: quam postremam lectionem magis probo: & *quaquam* interpretor *vlla*, seu *aliqua*. SEQUI, CONTRARIA QVAE SVNT] sequi quæ sunt contraria fugiendis, id est quæ sunt expetenda.

ET VIOLARE FIDEM PRIMAM] eam scilicet, quæ debetur sensibus. M. Tull. in Lucullo ait Chrysippum, dum studiose omnia conquiescit contra sensus, & perspicuitatem, contraque omnium consuetudinem, contraque rationem, ipsum sibi respondentem se inferiorem fuisse. Itaque ab eo armatum esse Carneadem Academicum contra sensus disputantem.

CASSA] vana, inanis. DENIQVE VT INFABRICA] vult sensus esse tanquam omnium rerum normas, ac regulas. Regula lignum est rectū oblongum, & latum, quo fabri vtuntur ad exigendas rectitudines, & parietes ædificiorum dirigendas. fiunt etiam de ferro regulæ. regulam Græci *κατὸνα* appellant. Norma autem ex duabus regulis constat inæqualibus, ita coniunctis, vt angulum rectum efficiant: *γὰρ μὲν* Græci: *σquadram* fabri nominant. ET LIBELLA] libella constat regulis duabus æqualibus, ita iunctis inter se alteris duobus capitibus, & diuaticatis duobus alteris, vt rectū angulum efficiant. additur tertia regula, & ab utroque suo extremo cum ceteris duabus per medias circiter parteis compingitur. pendet præterea de filo ab angulo, quem efficiunt duæ maiores regulæ, plumbea paruula massata turbinata. collocatur iam libella hoc modo, vt duarum regularum longiorum extremis nitatur, & illa regulæ pronæ altera in alteram incumbat. ab angulo autem plumbum deorsum demissum ita filum ad tranuersam regulam adplicet, vt eam mediam tangat, & æqualiter de ceteris duabus regulis distet. ALIQUA SI EX PARTI] id est si aliqua ex parte. parti pro parte, vt supra contagi pro contage, & simil. ATQVE OBSTIPA] id est curuata, obliqua, inflexa. Ennius lib. 18. *Montibus obstipis, obstantibus, vnde oritur nox.* M. Tull. Arato. *Obstipum caput, & tereti ceruice reflexum.* Horat. saty. 5. lib. 2. *Daurus sis comicus, atque Stes capite obstipo, mulcum similis metuenti.* Persius saty. 3. *ærumnosi Solones, Obstipo capite, & figentes lumine terram.* Ne quis autem dubitet de hac scriptura, sic reperi scriptum in quinque libris manuscriptorum. quod eo testatus sum, quod apud Festum legitur *obstium* non *obstipum* fortasse mendose: nisi dicamus aliud esse *obstipum*, quam *obstium*: qua de re iudicet lector.

Nunc alij sensus quo pacto quisque suam rem
Sentiat, haud quaquam ratio scruposa relictæ est.
Principiò auditur sonus, & vox omnis, in aureis
Insinuata suo pepulere vbi corpore sensum.
Corpoream quoque enim vocem constare fatendum est,
Et sonitum, quoniam possunt impellere sensus.

Præterradit enim vox faucibus saepe: facitque
 Asperiora foras gradiens arteria clamor.
 Quippe, per angustum turba maiore coorta
 Ire foras ubi cœperunt primordia vocum:
 Scilicet expletis quoque ianua raditur oris.
 —Rauca suis, & iter ledit, qua vox it in auras.
 Haud igitur dubium est, quin voces, verbaque constant
 Corporeis è principiis, ut ledere possint.
 Nec te fallit item, quid corporis auferat, & quid
 Detrahat ex hominum nervis, ac viribus ipsis
 Perpetuus sermo nigræ noctis ad umbram,
 Aurora perductus ab exoriente nitore,
 Præsertim si cum summo est clamore profusus.
 Ergo corpoream vocem constare necesse est,
 Multa loquens quoniam amittit de corpore partem.

NUNC ALII SENSUS] Nunc docebit quo pacto rem sibi subiectâ
 quisque sensus sentiat, atque initium ducet ab auditu. SCRUPOSA] dif-
 ficilis, aspera. tralatio à viis. Scrupi autem dicuntur saxa aspera. ex quo scrup-
 posam rem dicimus, quæ aliquid habet in se asperitatis. INSINUATA]
 vox & sonus insinuata in aureis. CORPOREAM QUOQUE ENIM]
 quia dixerat, pepulere: pellere autem quicquam nulla res potest, nisi cor-
 pus, Tangere enim & tangi nisi corpus, nulla potest res: iccirco subiunxit, Corpo-
 ream quoque enim &c. Plato (vt scribit Gell. lib. 5. cap. 15. non putat vocem
 corpus esse: quia non quæuis aëris plaga uox est: aërem enim verberat etiâ
 digitus motus, neque tamen vocem efficit, sed acris, & valida plaga: tanta
 denique vt aureis feriat, auditumque lacestat. Stoici autem vocem corpus
 esse volunt, quicquid enim facit aut patitur, corpus esse: vocem facere &
 pati: facere quidem cum aureis & aërem, qui est in capite, verberat, cum-
 que ab ea imprimitur auditus, tanquam cera ab annulo: pati autem, cum ea
 incidens in loca læuia, & solida refringitur, ac repellitur. Plato in Timæo
 sic vocem definit πῶς δὲ ὁ πῶς ἀπ' αἰέρος ἐκκεράλυτέ τὴ ἀνίματος μάχης ψυχῆς πλῆσι
 διὰ διδιδύλω, id est plagam, quæ ab aëre per aureis, cerebrum, & sanguinem
 vsque ad animum diditit. Aristot. autem lib. 2. de animo sic. φωνή ἐστὶ πλῆσι
 τῶ ἀναπνεύου αἰέρος ἐπὶ τῆς ἐν τῶ τοῖς μορίοις ψυχῆς πρὸς τὴ κελευθῶλυ ἀρτηρίαν.
 id est vox est plaga aëris, qui respiratur ab anima, quæ est in his particulis
 ad eam, arteria quæ appellatur. hunc versum cum tribus deinceps sequē-
 tibus profert A. Gellius lib. 10. cap. 26. ARTERIA] arteria vsurpauit in
 neutro genere, numero multitudinis, cu sit vsitatus in feminino. M. Tull.
 de nat. Deor. lib. 2. Primum enim à pulmonibus arteriis vsque ad os intimum per-
 tine:

tinet: per quam vox principium à mente ducens, percipitur & funditur. lege apud
 eundem eod. libro præclara de auditu, & auribus. SCILICET EXPLE-
 TIS Q. IAN. RADITVR ORIS] sic excudendū curauī, secutus quin-
 que librorum manuscriptorum auctoritatem. versum autem, qui proxime
 sequitur in vulgatis libris, Rauca suis, & iter ledit, quæ vox it in auras, vel, vt est
 in aliis, Rauca suis, & iter reddit, quæ vox &c. vel vt in aliis, Rauca viis, & iter
 ledit &c. ego veruto confodi iulsi, quia eum non reperi in libris manu-
 scriptis, oris autē expletis sunt ablatiui casus absolutē positi, oris enim nō est
 ab os ris, sed ab ora a. NIGRAI N. AD VMB.] vsque ad noctē perdu-
 ctus. AVROAR PERD. AB EX. N.] ab aurora, seu à matutino tēpore.

Nec simili penetrant aureis primordia forma,
 Cum tuba depresso grauiter sub murmure mugit,
 — Et reuocat raucum retro cita barbara bombum,
 Vallibus & cycni gelidis orti ex Heliconis
 Cum liquidam tollunt lugubri voce querelam.
 Hasce igitur penitus voces cum corpore nostro
 Exprimimus, rectorque foras emittimus ore:
 Mobilis articulat verborum dædala lingua,
 Formaturaque labrorum pro parte figurat.
 Asperitas autem vocis fit ab asperitate
 Principiorum, & item leuor leuore creatur.
 Ac, ubi non longum spatium est, vnde illa profecta
 Perueniat vox quæque: necesse est verba quoque ipsa
 Planè exaudiri, discernique articulatim.
 Seruat enim formaturam, seruâtque figuram.
 At si interpositum spatium sit longius æquo:
 Aëra per multum confundi verba necesse est,
 Et conturbari vocem, dum transsoluat auras.
 Ergo fit, sonitum vt possis audire, neque hilum
 Internoscere, verborum sententia quæ sit,
 Vsque aded confusa venit vox, inque pedita.

NEC SIMILI PENET. AVR. &c.] id est nec simili forma prædita
 primordia vocum aureis penetrant cum tuba graui cum murmure mugit-
 tum edit, atque cum cycni moribundi canunt: hoc est alius est tubæ soni-
 tus, aliterque aureis afficit, quàm cycni cantus. ET REVOCAT RAUCUM
 CVM RETR. C. B. B.] hunc versum ἀβέλτου tanquam spurium, & inter-

iectum, quanuis eum repererim in libris manuscriptis, nisi quod Memmianus habet *Et reboat raucum &c.* Parisienses autem, cum quibus congruunt Aldini antiquiores in eius locum habent, *Et reflexa, retrò dant cornua barbara bombum.* Ego neque hunc, neque alterum, Lucretianum esse arbitror, delendumque utrunque censeo. suspicor autem quisquis hos versus affinxerit, cum Catullianos illos spectasse in carmine de nupt. Pelei, & Thet. *Multaque ranci sonos efflabant cornua bombos, Barbaraque horribili stridebant cornua cantu.*

VALLIBVS ET CYCNI GELIDIS ORTI EX HELICONIS] sic restitui partim codices manu scriptos, & nonnullos impressos secutus, partim coniectura ductus. nam cum in manuscriptis sic scriptum reperissem, *Et validis ne tortis ex Heliconis*: in Parisiensibus autem *Vallibus, & cycni nece detorti ex Heliconis*: in aliis ferè omnibus vulgatis *Et gelida cycni nece torti ex antro Heliconis*: ego veteris scripturæ tamen si mendosa, vestigia accuratè odorans, & cum vulgata comparans, hanc esse putavi, veram & rectam scripturam, aut certè verè proximam, nò pugnaturus si quis vel ingeniosior coniecturam afferat meliorem, vel emendatiores codices nactus, scripturam veriore. ordo autem & sententia est: Nec primordia simili forma prædita aureis penetrant, cum tuba grauitè mugit sub murmure graui & demisso, atque cum cycni ex vallibus gelidis Heliconis orti liquidam querelam voce lugubri tollunt. de cycnorum cantu suprâ diximus ad illum locum: *Paruus ut est cycni melior canor, &c.* VERBORVM DÆDALA LINGVA] id est verborum opifex, formatrix, fictrix, figuratrix. M. T. de natura Deorum. lib. 2. *demde in ore sita lingua est, finita dentibus. ea vocem immoderate profusam fingit & terminat, sonosque vocis distinctos, & pressos efficit, cum & ad dentes & alias partes pellit oris. itaque pletri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, naveis cornibus iis, quæ ad nervos resonant in cantibus.* ET ITEM LAEVOE LAEVOE CREATUR] sic habet cod. Vaticanus, & ita legendum. Sic enim verba sunt explicanda, & item læuor vocis læuore principiorum creatur. ceteri manuscripti habent *læuor latiore*, corrupte: impressi autem *læuis læuore*. NEQVE HILVM INTERNOSCERE] sic restitui probabilissima coniectura ductus.

*Præterea edictum sæpe vnum perciet aureis
Omnibus in populo missum præconis ab ore.
In multas igitur voces vox vna repente
Diffugit, in priuas quoniam se diuidit aureis,
Obsignans formam verbis, clarumque sonorem.
At, quæ pars vocum non aureis accidit ipsas,
Præterlata perit frustra diffusa per auras:
Pars solidis adlisa locis reiecta sonorem
Reddit: & interdum frustratur imagine verbi.
Quæ bene cum videas, rationem reddere possis*

*Tute tibi, atque aliis, quo pacto per loca sola,
Saxa pareis formas verborum ex ordine reddant,
Palanteis comites cum monteis inter opacos
Querimus, & magna dispersos voce ciemus.
Sex etiam, aut septem loca vidi reddere voces,
Vnam cum iacères: ita colles collibus ipsis
Verba repulsantes iterabant dicta referre.
Hæc loca capripedes satyros, Nymphasque tenere
Finitimi fingunt, & Faunos esse loquuntur:
Quorum noctiuago strepitu, ludoque iocanti
Adfirmant vulgò taciturna silentia rumpi,
Chordarumque sonos fieri, dulcesque querelas,
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum:
Et genus agricolùm latè sentiscere, cum Pan
Pinea semiferi capitis velamina quassans,
Vnco sæpe labro calamos percurrit hianteis,
Fistula siluestrem ne cesset fundere musam.
Cetera de genere hoc monstra, ac portenta loquuntur,
Ne loca deserta ab diuis quoque fortè putentur
Sola tenere: ideò iactant miracula dictis,
Aut aliqua ratione alia ducuntur, vt omne
Humanum genus est auidum nimis auricularum.*

PRAETEREA EDICTVM] aliquot lib. manuscrip. habent *Præterea verbum.* PRIVAS] proprias, aut singulas. lege Nonium, Gellium, Festum. NON AVREIS ACCIDIT IPSAS] sic reposui à Plauto, & ceteris Latini sermonis auctoribus admonitus, qui ita loqui solent. Plautus Rud. *certò enim mihi paterna vocis sonitus aureis accidit.* si quis tamen malet legi, *non auribus accidit ipsis*, non repugnabo. PARS SOLIDIS ADLISA LOCIS] hæc est ea quæ à Græcis Echo nominatur: id est vocis imago, seu reditio, reiectio, & repulsio: quæ fit in locis læuibus, tortuosis, & concauis, vt vallibus, antris, parietibus, muris, ædificiis cameratis maxime verustis. Ex quo Virg. Geor. 4. *aut vbi concava pulsu Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.* ἠχώ γίνεται (inquit Arist.) lib. 2. de ani. *ὅταν ἀπὸ τοῦ αἵετος ἐνὸς ἠνωθὸς διὰ τὸ ἀγγεῖον τὸ διοεῖσθαι καὶ κορυφῶν ἀρροθλῶσαι πάλιν ὁ αἴης ἀποδῆ, ὡς περὶ σφαιρα.* id est Echo fit cum ab aëre, qui vnus efficiatur, propter vas definiens & prohibens ne frangatur, aër repulsus sit, vt globus. PER LOCA SOLA]

per loca deserta. Terent. Phorm. Nonne hoc publicitus scelus hinc deportari in solas terras? Catullus carm. de Pelei & Thet. nupt. *Desertam in sola miseram se cernit arena*. Plautus Rudente. *Neque quâ quæram consultum est, neque quem rogem, quenquam interea Inuenio: neque magis sola terra sunt, quàm hæc loca, Atque hæc regiones.* SEX ETIAM AVT SEPTEM] Plutarchus refert *τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλῶσι*. Et β. in Ægypti pyramidibus vocem unam intus editam, quattuor & quinque reddere. Pausanias Corinth. narrat ad dextram templi Chthoniæ Ceteris, porticum esse, quam incolæ Echus porticum nominant: cuius ea natura sit, vt imaginem vocis iterari, ac multiplicari cum ter, quater, quinquies, sexies imaginem vocis iterari, ac multiplicari cum Ticini in aula magna Basilicæ ter & decies referatur? Eadem autem promodum ratio est vocis imaginis sæpius redditæ, atque imaginum à speculis in specula translatarum. Iam Echus exquisitæ, & perfectæ hæc propria sunt, vt citò respōdeat, vt longam verborum seriem connectat, vt aliquoties & iterum atque iterum vocem articulatam referat. CAPRIPEDES] *καρπιδες*, vtitur eadem voce Horat. SILENTIA RUMPI] id est vocem mitti. Virg. 10. *Æncid. quid me alta silentia cogis Rumpere?* pro eodem fere dicimus *rumpere vocem*, quod Græci dicunt *ῥῖψαι φωνήν*, vt notauimus in commen. Horatianis. AGRICOLVM] agricolarum. CVM PAN PINEA SENIFER] Pan pineam coronam in capite gerit, cornutusque fingitur. cornua autem, radiorum solis, & cornuum Lunæ similitudinem quandam præbent. Fistulam septem calamis compactam altera manu tenet, altera pedum, id est baculum inflexum, & incuruum: pedibus caprinis præditus est. adde quòd solitudine delectatur, & maxime loca maritima colit. idè què *ἀλιπλάστῆτος* à Græcis appellatur, & Echone amare existimatur. mare autè *πολλὸν χόρον* est, id est vocale, & clamosum. CALAMOS PERCVRRE. HIAN] lib. 5. *Et supera calamos vnco percurrere labro.* ex septem calamis imparibus ordine iunctis constat fistula. Virg. Alex. *Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula.* Pan autem fistulæ inuentor. Idem Virgil. *ibidem. Pan primus calamos cera coniungere plures Instituit.* VT O. H. G. EST AVID. NIMIS AVRICVL.] vt omnes homines sunt immodicè cupidi auditorum, quia autem homines sunt auditorum auidi, iccirco res admirabileis & portenti simileis cõfingunt, quibus alliciant & retineant auditores.

*Quod superest, non est mirandum, qua ratione
Quæ loca per nequeunt oculi res cernere apertas,
Hæc loca per voces veniant, aureisque laceffant.
Conloquimur clausis foribus: quod sæpe videmus.
Nimirum, quia vox per flexa foramina rerum
Incolumis transire potest, simulacra renutant,
Per scinduntur enim, nisi recta foramina tranant.
Qualia sunt vitri, species quæ transuolat omnis.*

*Præterea parteis in cunctas diuiditur vox.
Ex aliis aliæ quoniam gignuntur, vbi vna
Dissiluit semel in multas exorta, quasi ignis
Sæpe solet scintilla suos se spargere in igneis.
Ergo replentur loca vocibus, abdita retrò
Omnia quæ circum fuerint, sonitūque cientur.
At simulacra viis directis omnia tendunt,
Vt sunt missa semel, quapropter cernere nemo
Se supra potis est: at voces accipere extrâ.
Et tamen ipsa quoque hæc dum transit clausa viarum
Vox, obtunditur, atque aureis confusa penetrat:
Et sonitum potius, quàm verba, audire videmur.*

QVÆ LOCA PER] *ἀσπρόν*. quæ loca per, pro per quæ loca, vt proximo versu, hæc loca per, pro per hæc loca. Nunc docebit quamobrem acies oculorum, seu vis & potestas videndi eò penetrare non possit, quòd vox, & sonus permanant. Interposito enim inter nos, qui audimus, & eos, qui loquuntur, pariete, audite eorum sermonem possumus: faciem, aliamue corporis partem cernere non possumus. Nam & M. Tull. scribit in Topicis, Stalenum quendam ea locutum esse bonis viris subauscultantibus pariete interposito, quibus patefactis, in iudiciumque prolatis, rei capitalis damnatus est: & Thucydides lib. 1. simile quiddam de Pausania tradidit. CONLOQVIMVR CLAVS. FORIB.] sic excudendum curavi, non ita longè discedens à vulgata scriptura: quæ talis est: *Cum loquimur, &c.* Nam Bertinianus, & Memm. & Tethian. codex, & item vulgati, Parisienses habent *Conloquium cl. forib.* hoc differt Memmianus ab illis, quòd habet, *quod sæpe videmus: alij, vt vulgati omnes, quoque sæpe videmus.* iudicet lector emunctæ naris. RENVTANT] renuunt, nolunt. QVALIA SVNT VITRI] foramina *ἀπὸ κοῦρῆς*. intelligendum est hoc esse verum in vitro simplici, & nudo, & ita pellucido. nam si esset à postica parte plumbo, aut alio metallo inductum, & ita densum factum, imago per vitrum non permaneret, cum vitri foramina non patèrent: sed à vitro reiecta redderetur. SPECIES QVÆ TRANSVOLAT OMNIS] nihil ego quidem mutavi, verum tamen non celabo lectorem, in aliquot lib. manu scriptis legi, *species quæ transuolat omnis.* quæ scriptura fortasse germana Lucretiana est. PRÆTEREA PARTEIS IN CVNCTAS] aliam rationem affert magis (meo quidem iudicio) philosophicam, videlicet quia vox missa sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, in multas parteis disseccatur. ita fit, vt loca etiam abdita vocibus compleantur, & aer etiam remotus, atque interclusus per consensum verberetur, ipseque verberatus sonitus, aut vocem ad aureis perferat. auditus enim semper patet, vt sonos omni ex parte editos accipe-

re possit. quod eo fit facilius, quod aer natura sua continuum & continens quiddam est, ita quavis parte aeris a sonitu impulsus, non longo post tempore alia eius pars longè remota siue suprâ, siue infrâ, siue à fronte, siue à tergo, siue ad dextram, siue ad laevam partem, eiusdem motus fit particeps, eodemque tempore aërem in auribus nostris inclusum, cui cognatus ipse est, verberat, & lacescit. At visus fit è regione & per rectas lineas à re, quæ cernitur, ad oculos, aut certè, vt mathematicus aliquis dicere possit, per directam quandam pyramidem, cuius basis sit in re quæ cernitur: angulus in oculo: qui angulus quo minor est, eo res est, quæ videtur, minor videtur: quo maior, eo res maior apparet. Quare ea quidem cernimus, à quibus ad oculos rectæ lineæ produci possunt, ita tamen vt angulus, qui in oculos cadit, non sit minor, quàm esse debeat. quod fit cum res ita à nobis remota est, vt videndi sensum effugiat: audimus autem etiam ea quæ sunt ab auribus nostris disclusa, & disparata parietibus ac muris interpositis. VBI VNA DISSILVIT] sic restitui cum in libris manu scriptis reperissem scriptum partim, *vbi nam*, partim *vbina*, partim *vbina*. CLAVSA VIARYM] sic legendum, & ita scriptum est in codicibus manu scriptis.

*Hæc queis sentimus succum, lingua atque palatum,
Plusculum habent in se rationis, plusque operâ.
Principiò succum sentimus in ore, cibum cum
Mandendo exprimimus: ceu plenam spongiam aquâ
Si quis fortè manu premere, exsiccareque cœpit.
Inde, quod exprimimus, per caulas omne palati
Diditur, & raræ per plexa foramina lingua.
Hæc vbi leuia sunt manantis corpora succi:
Suauiter attingunt, & suauiter omnia tractant
Humida linguâ circum sudant iâ templa.
At contrâ pungunt sensum, lacerantque coorta,
Quanto quæque magis sunt asperitate repleta.
Deinde voluptas est è succo in fine palati:
Cum verò deorsum per fauceis precipitavit:
Nulla voluptas est, dum diditur omnis in artus.
Nec refert quicquàm, quo victu corpus alatur,
Dummodo, quod capias, concoctum didere possis
Artibus, & stomachi humectum seruare tenorem.*

HAEC QVEIS SENTIMVS SVCC.] nunc de gustatu, de lingua ac palato, quibus succum sentimus, disputare incipit. ait autem paullo plus inesse rationis in disputatione de gustatu, plusque operæ, ac laboris, quàm

in superioribus. secutus sum porro libros Parisienseis, & nonnullos alios typis excusos. nam manuscripti quidem habent, Hoc qui sentimus: excusi autem fere alij omnes: Nec qui sentimus, planè mendosè. EXSICCARE QVE COEPI] cum ex libris manuscr. alij haberent, *exsiccareque cœpit*, & ita nonnulli vulgati, alij *ac siccare cœpit*, ceteri vulgati *ac siccare recepit*, *exsiccareque cœpit* excudendum curavi, non improbaturus, si quis malit, *ac siccare recepit*. recepit autem interpretabor *aveñgato*. PER CAVALAS] per cavernas, & cavitates, seu meatus & (vt Græci nominant) poros. DIDITVR] dispergitur. PER PLEXA FORAMINA] siue legas *perplexa* vno nomine siue *per plexa* separatim, & duabus vocibus, parum refert. in Bertiniano quidem codice, & Memmiano scriptum est *perplexa* coniunctim. in Faern. neque *perplexa*, neque *per plexa*, sed *per flexa*. MANANTIS CORPORA SVCCI] corpora prima ex quibus succus aliquis constar. SVAVITER OMNIA TRACTANT] suauiter permulcent, & delectant linguam.

DEINDE VOLVPTAS EST] quæ ex cibis & succis percipitur voluptas (inquit) ea tota palati & linguæ finibus & regionibus continetur, ac terminatur. Vbi enim cibus in ventriculum præceps actus est, nulla iam reliqua est voluptas. Itaque nõ immeritò Nigrinus ille eos irridebat, qui plus nimio studij in cenarum apparatu, & succorum varietate, & ciborum condimentis adhiberent. Nam etiam hos brevis voluptatis amore captos multum negocij, molestiæque suscipere. ostendebat enim quattuor digitorum causa totum hunc ab iis laborem perferti. quam longitudinem longissimum hominis guttur non superat. Nam neque ante quàm comessent, obsoniis magno precio emtis fructum capere, neque obsoniis illis iam in stomachum primùm, deinde in ventriculam linguæ motu depulsis, ac detruis, fatietatem ex cibis carioribus profectam, suaviorem esse. Ita illos eam voluptatem, quæ fit in transmissione, & quasi traiectu gutturis, tanta pecunia parare. Hæc ex Luciano in Nigrino: quæ nostro arbitratu vertimus.

*Nunc aliis alius cur sit cibus, vt videamus,
Expediam: quarè ve, aliis quod triste, & amarum sit,
Hoc tamen esse aliis possit prædulce videri.
Tantæque in his rebus distantia, differit atque sit:
Vt quod alis cibus est, aliis fuaat acre venenum.
Sape etenim serpens hominis contacta saluiis.
Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa.
Præterea nobis veratrum est acre venenum:
At capris adipes, & coturnicibus auget.
Id quibus vt fiat rebus cognoscere possis,
Principiò meminisse decet, quæ diximus antè,
Semina multi modis in rebus mista teneri.*

Porro omnes, quæcunque cibum capiunt animantes,
 Ut sunt dissimiles extrinsecus, & generatim
 Extima membrorum circum casura coercet,
 Proinde ex seminibus constant, variantque figura.
 Semina cum porro distent, differre necesse est
 Interualla, viasque, foramina quæ perhibemus,
 Omnibus in membris, & in ore, ipsoque palato.
 Esse minora igitur quædam, maioraque debent,
 Esse triquetra aliis, aliis quadrata necesse est:
 Multa rotunda, modis multis multangula quædam.
 Nanque figurarum ut ratio, motusque reposcunt,
 Proinde foraminibus debent differre figura:
 Et variare via proinde ac textura coercet.
 Hoc ubi quod suaue est aliis, aliis fit amarum:
 Illis, queis suaue est, leuissima corpora debent
 Contrectabiliter caulas intrare palati.
 At contra, quibus est eadem res intus acerba:
 Aspera nimirum penetrant, hamataque fauceis.
 Nunc facile ex his est rebus cognoscere quæque.
 Quippe, ubi cui febris bili superante coorta est,
 Aut alia ratione aliqua est vis excita morbi,
 Perturbatur ibi totum iam corpus, & omnes
 Commutantur ibi posituræ principiorum:
 Fit prius, ad sensum ut quæ corpora conueniebant,
 Nunc non conueniant, & cetera sint magis apta,
 Quæ penetrata quæ eunt sensum progignere acerbum.
 Vtraque enim sunt in mellis commista sapore,
 Id quod iam superà tibi sæpe ostendimus antè.

NUNC ALIIS ALIIS CVM SIT CIBVS] hac eadem de re pauca quædam perstringit lib. 5. ibi Quippe videre licet pinguescere sæpe cicuta Barbigeras pecudes, &c. & lib. 6. ibi Barbigeras oleaster ed. iuuat vsque capellas, &c. TANTAQUE IN HIS REBUS] profert hunc versum Nonius in voce differitas. differitas autem, id est differentia. UT QVOD ALIS CIB. EST, A L. FVAT] citat & huc idem Nonius in verbo suat: docetque positum

situm esse ab antiquis pro sit. Virgil. Æneid. 10. Tros, Rutulique suat, nullo discrimine habeo. Terent. Hecyra. Fors suat pol. ubi Donatus. suat sit significat. Iterum Lucret. lib. 5. Quanta hæc cunque suat, tanta hinc videatur in alto. SÆPE ET ENIM SERP. H. CONTACTA] sic restitui haud dubia coniectura, ad hanc scripturam, tanquam manu ductus. Adiuuit me Plinius, cuius hæc verba sunt lib. 7. cap. 2. Et tamen omnibus hominibus contra serpenteis inest venenum: feruntque eas ictum salua, tanquam aquæ feruentis contactum fugere.

PRAETEREA NOBIS VERATRVM] veratrum elleborum Græci appellant. COTVRNICIBVS AVGET] Plin. lib. 10. cap. 23. Coturnicibus veratri semen gratissimus cibus. GENERATIM] per singula animantium genera. CIRCVMCAESVRA] expressit vocem Græcam περιχώριον id est περιχώριον, extremitatē cuiuslibet rei, & extremum lineamentum, extremitatemque descriptionem. PROINDE EX SEMINIBVS] ita ex seminibus dissimilibus, variisque figuris constant. TRIQVETRA] triangula, τριγωνα. MULTANGVLA] expressit Græcum nomen πολυγωνα. HOC VBI QVOD SVAVE ST] id est cum id quod aliis suaue est, aliis amarum fit, credibile est, atque adeo necessariò verum est, corpora prima politissima, & læuissima, quæ sunt in eo cibo aut potu, qui linguam & palatum dulcedine & voluptate afficit, linguæ & palati meatus inter penetrandum permulcere. Nam omnibus in rebus genitis omnia & omnis figuræ insunt primordia: ut supra docuit, & mox admonendi causa repeter: sed cuius figuræ plura conueniunt ad quam rem gignendam principia, ab eius figuræ pluribus principis res & est, & appellatur. QVIPPE VBI CUI FEBRIS] sic lib. 6. At cum membra hominis percepit feruida febris, Tum fit odor vini plaga metastabilis instar. PENETRATA] qua penetrata: id est quæ ubi penetrauerunt, &c. nã videtur significare actionem. VTRAQUE ENIM SVNT] & amara, & dulcia, sed plura sunt primordia, quæ dulcedinem in melle creant, quàm quæ amarorem: & hæc ab illis ita numero superantur, ut illa maximè excellent, sensumque moueant, hæc ne sentiantur quidem. ID QVOD IAM SVPERA] lib. 2.

Nunc age, quo pacto nareis adiectus odoris
 Tangat, agam. primum res multas esse necesse est,
 Unde fluens voluat varius se fluctus odorum.
 Nam fluere, & mitti volgo, spargique putandum est.
 Verum aliis alius magis est animantibus aptus,
 Dissimileis propter formas. ideòque per auras
 Mellis apes quamuis longè ducuntur odore:
 Vulturique cadaveribus: tum fissa ferarum
 Ungula quò tulerit gressum, præmissa canum vis
 Ducit: & humanum longè præsentit odorem

Romulidarum arcis seruator candidus anser.
Sic aliis aliis nidor datus, ad sua quenque
Pabula ducit, & à tetra resiliere veneno
Cogit, eoque modo seruantur sacra ferarum.
Hic odor ipse igitur, nareis quicumque lacepsit,
Est, alio vt possit permitti longius alter.
Sed tamen haud quisquam tam longè fertur eorum,
Quàm sonitus, quàm vox, mitto iam dicere, quàm res,
Quæ ferunt oculorum acies, visumq; lacepsunt.
Errabundus enim tardè venit, ac perit ante
Paullatim facilis distractus in aëris auras:
Ex alto primum quia vix emititur ex re.
Nam penitus fluere, atque recedere rebus odores
Significat, quòd fracta magis redolere videntur
Omnia, quòd contrita, quòd igni conlabefacta.
Deinde videre licet maioribus esse creatum
Principiis voci: quoniam per saxea septa
Non penetrat, quàm vox vulgò, sonitusque feruntur.
Quare etiam quod olet, non tam facile esse videbis
Inuestigare in qua sit regione locatum.
Refrigescit enim cunctando plaga per auras:
Nec calida ad sensus decurrit nuncia rerum.
Errant saepe canes itaque, & vestigia querunt.

NVNC AGE] Nunc de odoratu, & odoribus disputare incipit. AD-
 IECTVS] id est appulsus, seu appulsio odoris. Vide quæ annotata sunt sup.
 lib. 1. ad illum locum: *et nostros adiectu tangere tactus.* VNDE FLVENS
 VOLVAT] cod. Memmian. & Bertinin. habent *unde fluens soluat, &c.*
 QVAVIS LONGE PVCVNTVR] secutus sum quattuor codic. ma-
 nuscriptos, & tres typis impressos, Paris. & utrosque Venetos antiquos, &
 recentiores. ceteri habent, *longo.* quavis longe autem: id est *quantumvis lon-*
ge. & coniunge vocem *odore,* cum voce *Mellis.* FIS SA FERAR. VNG.]
in ep. cis, pro eo quod est, *feræ,* quarum vngulæ fissæ sunt, vt ceruorum.
 PRAEMISSA CANVM VIS] id est canes odoratu valentes, & sagaces
 præmissi. *præmissa* enim legendum videtur, non *promissa,* nisi quis dicet *pro-*
missa idem valere, quòd longè & porro tenus missa, vel è longinquo loco

odores sentiens: quod mihi certe nõ probatur. ROMVLIDARVM AR-
 CIS, &c.] id est Romanorum arcis, &c. nota historia est, Capitolium vrbe
 à Gallis capta seruatum esse anserum voce. Plin. lib. 10. *Est & anseri vigil*
cura Capitolio testata defenso per id temporis canum silentio proditis rebus. Quamob-
 rem cibaria anserum Censores in primis locant. M. Tull. pro Roscio Amerino.
Anseribus cibaria publicè locantur. Linius lib. 5. *annal. Galli nocte sublustri tanto*
silentio in summum euasere, vt non custodes solùm fallerent, sed ne canes quidem sol-
licitum animal ad nocturnos strepitus, excitarent: anseres non fellere, &c. EST,
 ALIO VT POSSIT, &c.] ordo est, Est igitur vt, id est contingere potest
 vt hic odor quicumque nareis lacepsit, alius longius alio ad nareis perueniat.
 permitti, id est ita mitti, vt perueniat quòd mittitur. Sic Hircius lib. 8. de bel-
 lo Gall. *Quo tutior altitudine esset, longiusque tela permitteret.* MITTO IAM
 DICERE QVAM RES, QVAE, &c.] nullus odor tã longe fertur, quàm
 vox & sonitus, nedum quàm imagines, ratio est, quia odor tarde fertur, &
 prius perit interdum, quàm ad sensum peruenire possit: cuius rationis ratio
 est, quia odores ex alto & penitus manant, cum imagines ex summis rerum
 czsuris fluant. Plato in Timæo ait, odores omnes esse aut fumum, aut nu-
 bem seu nebulam: Atque horum quidem id quod ex aëre in aquam muta-
 tur, esse nebulam: quod autem ex aqua in aërem, fumum: Ex quo tenuiores
 quidem aqua esse odores: aëre autem crassiores: Cui rei argumento esse,
 quòd si quis nareis obturet, aërem quidem trahet vnà cum spiritu ducto:
 odorem autem nullum intromitter. Aristoteles lib. 2. de animo, & lib. de
 sensu, & iis quæ sub sensum cadunt, odoris vim seu potestatem calidam ef-
 se natura, odorandique vim in calido, ac sicco sitam esse dicit: iccirco non
 esse mirum si congelario, & frigus odores obtundant: odores nihil confer-
 re ad alendum, neque ea quæ benè olent, edendi aut bibendi cupiditatem
 excitare, immò potius nauseam mouere: suauis odores valetudinem adiu-
 uare eo quòd cerebrum tum sua natura, tum propter exalationes alimenti
 humidum, suo calore temperent atque exsiccent: præterea nullas animan-
 teis, quæ respirant, odorari, nisi respirent. Cum igitur respirando, cum aërem
 qui nobis est proximus, ducamus, non absque ratione odores & nõ ita lon-
 ginq; ex loco sentiuntur, & tardius ad nareis nostras perueniunt. Quòd
 si quis dicat aërem esse continuum, & iccirco per consensum fieri debere,
 vt etiam ex longinquo loco odores à nobis sentiantur, respondebo quo-
 minus id fiat, crassam odorum naturam impedimento esse. NAM PENI-
 TVS FLVERE, ATQVE RECED. REB. ODORES] secutus sum li-
 bros manuscr. Nam vulgati habent: *ac procedere rebus odorè.* Ego tamè malim
 legi *ac decedere rebus,* seu *atque excedere rebus odores.* QVOD CONTRITA,
 QVOD IGNI CONLABEFAC TA] sic habent tres codices manuscri-
 pti, & totidem typis excusi. nõnulli *concalcfacta.* ego *conlabefacta* magis pro-
 bo. sic enim sup. locutus est lib. 1. *Quin labefactatus rigor auri soluitur aestu.* &
 Virg. Æneid. 8. *notisque medullas Intrauit calor, & labefacta per ossa cucurrit.*
 huius autem totius loci hæc sententia est: quòd fracta omnia magis redole-
 re videntur, quàm nõ fracta: quòd contrita, quòd igni victa, hoc significat,
 atque declarat, odores à rebus penitus manare. MAIORIBVS ESSE

GR. PRINC. VOCI] *voci*, id est voce, seu, quàm vocem. videre (inquit) licet odorem creatum esse ex maioribus atomis, voce. Quod autem in vulgatis lib. & manuscriptis, legitur *quàm vox*, culpa librariorum scriptorum est, qui cum ad oram librorum ascriptum reperissent, è regione nominis *voci, quàm vocem*, hoc ipsum in texturam verborum Lucret. coniecerunt: deinde, cum ij, ad quos libri illi peruenerant, hunc versum propter syllabam in tertio pede superantem, esse mendosum sentirent, substituerunt, *quàm vox*. Ita Lucretium vitiosè & mendosè sua lingua loquentem fecerunt. Nam cum coniunctio *quàm*, vt cetera, copulet similes casus, Latine dici non potest, videre licet odore maioribus principiis constare, quàm vox. QVARE ETIAM QVOD OLET] Quare (inquit) videbis non esse tam facile vestigiis exquirere vbi sit id quod olet: id est quod odorem mittit, quàm facile est, cognoscere & reperire vnde mittatur vox. NEC CAL. AD SENS. DEC. NVNCIA RERVM] sic restitui secutus. obscura veteris scripturæ vestigia, ipsamque aded veritatem. *nuncia* enim numeri singularis est hoc loco generis fæminini, & cohæret cum nomine *plaga*, vt sit hic ordo, hæcque sententia verborum, nec *plaga* decurrit ad sensus calida *nuncia*, id est recens nunciatrix rerum. Sic eod. lib. infra. *Nuncia præclari vultus, pulchrique coloris*. & lib. 6. *Nec de corpore qua sancto simulacra feruntur In mentis hominum diuina nuncia forma, &c.* Sic M. Tull. lib. 1. de orat. ad Q. Fr. *Historia testis temporum, lux veritatis vita memoria, magistra vita, nuncia vetustatis.* Errant igitur, qui ex his locis probare conantur nuncium substantium neutrius generis vtitatum esse. nam in his *plaga nuncia, & simulacra nuncia*, perspicuè vox *nuncia* est ad nomen adiuncta, seu adiectiua: illic quidem fæminini generis, numeri singul. hîc verò neutr. numeri multitud.

*Nec tamen hoc solis in odoribus, atque saporum
In genere est: sed item species rerum, atque colores
Non ita conueniunt ad sensus omnibus omnes,
Vt non sint aliis quedam magis acria visu.
Quinetiam gallum noctem explaudentibus alis
Auroram clara consuetum voce vocare,
Nenu queunt rapidi contra constare leones,
Inq̄ tueri: ita continuo meminere fugai:
Nimirum, quia sunt gallorum in corpore quedam
Semina: quæ, cum sunt oculis immissa leonum,
Pupillas interfodiunt, ac remque dolorem
Præbent, vt nequeant contra durare feroces:
Cum tamen hæc nostras acies nil ledere possint:
Aut quia non penetrant, aut quod penetrantibus illis.*

*Exitus ex oculis liber datur, in remeando
Ledere ne possint ex vlla lumina parte.*

QVINETIAM GALL. NOCTEM EXPLAUD.] sic legendum, & ita scriptum est in quattuor cod. manuscriptis, Vaticano, Bertin. Memm. Tethiano, non, vt est in vulgatis, *nocte. noctem* autem *explaudentibus alis*, interpretor, alis noctem cum sonitu, & veluti plausu excutientibus, atque exturbantibus. Videntur enim galli alæ noctem suo complosu, vel suarum alarum ad latera appulsu exigere, & expellere. NENU QVEVNT R. C.] sic restitui secutus codicem Bertinianum & Memmianum, & Tethianum. *nenu* autem valet non, vt supra lib. 3. *At contra lapidum coniectum, spiclorumque Nenu potest.* Plinius lib. 8. cap. 16. de leonib. *Atque hoc tale, tan sanuum animal rotarum orbis circumacti, curruque inanes, & gallinaceorum cristæ, canis que etiam magis terrent.* lege eundem lib. 10. cap. 21. de gallis gallinaceis. IN QVE TVERI] & non queunt intueri. ITA CONTIN. MEMINERE FUGAI] meminere fugæ, pro eo quod est, sese in fugam coniciunt. figuratū est loquendi genus. neque fortasse longe abest ab illo Homérico, quod nō semel, sed sæpius vsurpatur, *μὴ σαδὲ δὲ δυνείδωσ' ἀλλήως.* IN REMEANDO] in redeundo, dum redeūt illa femina, si forte in nostras acies penetrarunt.

*Nunc age, quæ moueant animum res accipe, & vnde,
Quæ veniunt, veniant in mentem, percipe paucis.
Principio hoc dico, rerum simulacra vagari
Multa modis multis in cunctas vndique parteis
Tenuia, quæ facile inter se iunguntur in auris,
Obuia cum veniunt, vt aranea, bractæaque auri.
Quippe etenim multo magis hæc sunt tenuia textu,
Quàm quæ percipiunt oculos, visumque laceffunt:
Corporis hæc quoniam penetrant per rara: cient que
Tenuem animi naturam intus, sensumque laceffunt.
Cent auros itaque, & Scyllarum membra videmus,
Cerberæque canum facies, simulacræque eorum,
Quorum morte obita tellus amplectitur ossa:
Omne genus quoniam passim simulacra feruntur,
Partim sponte sua quæ fiunt aëre in ipso:
Partim quæ variis ab rebus cunque recedunt:
Et quæ consistunt ex horum facta figuris.
Nam certè ex viuo Centauri non fit imago:*

*Nulla fuit quoniam talis natura animā.
Verūm ubi equi, atque hominis casu conuenit imago:
Hærescit facile extemplō, quod diximus antè,
Propter subtilem naturam, & tenuia texta.
Cetera de genere hoc eadem ratione creantur.
Quæ cum mobiliter summa leuitate feruntur,
Vt prius ostendi, facile vno commouet ictu
Qualibet vna animum nobis subtilis imago.
Tenuis enim mens est, & mirè mobilis ipsa.*

NUNC AGE QVAE MOVEANT.] Nunc docet animum tenuissimis, & celerrimis imaginibus moueri. Epicurus enim existimabat non solum videndi sensum, verum etiam διαφανής θεωρία: id est visiones ad cogitandum, intelligendumque valentes, simulacris & imaginibus excitari, & quemadmodum sine imaginibus cernere non possimus, ita sine imaginibus cogitari non posse. qua de re sic M. Tull. lib. 1. de natura Deorum. Sic enim dicebas, speciem Dei percipi cogitatione, non sensu, nec esse in ea ullam soliditatem, neque eandem ad numerum permanere: eamque esse eius visionem, vt similitudine, & transitione cernatur, neque deficiat vnquam ex infinitis corporibus simulacrorum accessio, &c. sequitur paullo post. Hoc, per ipsos deos, de quibus loquimur, quale tandem est? Nam si tantummodo ad cogitationem valent, nec ullam habent soliditatem, nec eminentiam: quid interest virum de hippocentaurō, an de deo cogitemus? Omnem enim talem conformationem animi ceteri philosophi motum inanem vocant: nos autem aduentum in animos, & introitum imaginum. Vt igitur Tib. Gracchum cum videor concionantem in Capitolio videre: M. Octauium deferentem sitellam: tum eum motum animi dico esse inanem: tu autem & Gracchi, & Octauij imagines remanere, quæ in Capitolium cum peruenerint, tum ad animum meum referuntur: hoc item fieri in deo, cuius crebra facie pellantur animi: ex quo beati, atque æterni intelligantur. Fac imagines esse quibus pulsantur animi: species duntaxat obicitur quedam, &c. sequitur paucis post. Nam quid est, quod minus probari possit, quam omnium in me incidere imagines, Homeri, Archilochi, Romuli, Numæ, Pythagoræ, Platonis: nec ea forma, qua illi fuerunt? &c. BRACTEA QVAE AVRI] & tenuissima auri veluti membrana. PERCIPIUNT OCULOS] sic habent quinque libri manuscripti, & omnes typis impressi præter Aldinos antiquiores: in quibus legitur percipiunt oculi, mendosè. nam percipere hic ponitur pro occupare, seu afficere, seu perfundere. Sic lib. 5. Est etiam quoque vti non magno solis ab igni Aëra percipiat calidis feruoribus ardor. eadem ratione dicuntur illa percipit me odiū, horror, fames, &c. CORPORIS H. QPEN. PER RARA] rara corporis dixit, corporis (vt ita dicam) raritates, quas alibi inania, cauernas, & caulas appellat. VIDEMVS] videre videmur, nempe somniantes: vel videmus animo, & cogitamus vigilantes. vel dic Centauros, id est Centaurorum imagines, &c. Centauri autem, Scyllæ, Cerberi non fuerunt, vt

statim dicit, cum tamen eorum imagines ad animos nostros perueniant. QVORVM MORTE OBITA] sic sup. lib. 1. Cernere vti videamur eos, audireque coram, Morte obita quorū tellus amplectitur ossa. PARTIM SPONTE SVA] vt Cerberorū, Scyllarum, & similiarum rerum, quæ scilicet nunquam fuerunt. PARTIM QVAE VAR. AB R. CVN QVE] quæcunque tmesis. ET QVAE CONSISTVNT] sic legi debet, nō, vt in vulgatis consciunt, nisi quis malit legere consiunt, vt habet nonnulli lib. scripti, vel vt quidā doctus putat, conueniunt. Videtur Lucretius tertium simulacrorum genus hoc versu fecisse, vt tria genera ab eo facta esse intelligamus: Primū genus eorum, quæ sponte fiunt, id est per se, vt quæ non fluunt ab vlla re quæ sit in rerum natura, verbi gratia simulacra Scyllæ, Cerberi, & simil. Secundum genus eorum quæcunque ex rebus, quæ sunt, fluunt, vt simulacra hominis, equi, lecti, & simil. Tertium eorum quæ composita & constituta sunt ex pluribus earum rerum quæ sunt, figuris, vt sunt Centaurus, seu hippocentaurus, Chimæra, tragelaphus. nam hippocentaurus sit ex homine, & equo: chimæra ex prima parte leonis, media parte capræ, postrema draconis, tragelaphus ex altera parte hirci, altera cervi. Itaque fortasse ita legendum est potius Partim quæ constant ex harum facta figuris. alioqui secundum genus simulacrorum continebit & simulacra rerum, quæ sunt, & simulacra rerum, quæ non sunt. HAERESCIT FACILE] sic habent tres libri manuscripti, quibuscum consentiunt omnes typis excusi, quos quidem viderim: duo reliqui manuscripti Accrescit facile, &c. quos non sequor. puto enim scriptū esse à librario aerescit sine aspirationis nota, deinde postea ab alio librario factum accrescit ex aerescit.

*Hæc fieri (vt memoro) facile hinc cognoscere possis,
Quatinus hoc simile est oculis, quod mente videmus,
Atque oculis simili fieri ratione necesse est:
Nunc igitur docui quoniam me forte leones
Cernere per simulacra, oculos quæcunque laceffunt:
Scire licet mentem simili ratione moueri
Per simulacra leonum cetera, quæ videt æquè,
Nec minus, atque oculi: nisi quod mage tenuia cernit.
Nec ratione alia, cum somnus membra profudit,
Mens animi vigilat, nisi quod simulacra laceffunt
Hæc eadem nostros animos, quæ, cum vigilamus:
Vsque adeo, certè vt videamur cernere eum, quem
Reddita vitæ iam mors, & terra potita est.
Hoc ideo fieri cogit natura, quod omnes
Corporis affecti sensus per membra quiescunt,*

Nec possunt falsum veris conuincere rebus.

Præterea meminisse iacet, languetque sopore,

Nec dissentit eum mortis, letique potitum

Iam pridem, quem mens viuum se cernere credit.

HAEC FIERI, VT MEMORO, FACILE] probat animi rationem & cogitationem, imaginum accursu commoueri, à similitudine videndi. hoc ita fieri (inquit) vt dico, ex hoc intelligere possis, *quatinus*, id est, quoniam, seu quia, hoc *quod mente videmus, simile est oculis*, id est simile est atque illud, quod oculis cernimus. **ATQVE OCVLIS SIMILI]** id est, & necesse est nos cernere mentem atque animo similiter oculis, id est similiter vt oculis videmus. **FORTE LEONES]** adiecit aduerbium forte, quia leones posuit potius, quàm aliud animal. quasi ita dicat. finge me aliquo casu leones videre: hos igitur leones, quos forte video, non nisi per simulacra à leonibus in aciem oculorum meorum affluentia, cernere queo. at cogitatio ita fit, vt visus. ergo leones cogitare non possum sine imaginibus leonum ad animum meum accurrentibus. non celabo lectorem, legi in cod. manus. *me forte leonum*, mēdosè opinor. **PER SIMYLACRA LEONVM CETERA]** copulationem & quæ erat post vocem leonum sustuli secutus auctoritatem codicis Bertiniani. tollendam autem esse etiam ratio peruenit. Nam hoc sentit Lucret. quoniam docui me leones, & alias res cernere per leonum simulacra, quæ oculos laceffunt: positum autem & cōcessum est, cogitationem simili ratione, atque visum, fieri: sequitur mentem similiter per alia simulacra magis tenuia moueri, & me leones cogitare per ea simulacra, quæ mens æque cernit, vt oculi ea, quæ sunt maiora, cernunt.

NEC RATIONE ALIA CVM SOMNVS] de somno cognoscemus hoc eodem lib. non multis post versibus. **MENS ANIM]** ita sæpe hæc duo coniunguntur, vt lib. 5. *animi vix mente videtur.* & lib. 6. *Perturbata animi mens in mare, metūque.* & sup. lib. 3. *Denique cur animi nunquam mens, consiliūque Gignitur in capite?* sic & Plautus Cistell. *Nullam mentem animi habeo: vbi sum, ibi non sum: vbi non sum, ibi est animus.* sed de hoc genere plura ad illum locum Horat. epist. ad villic. lib. 1. *tamen istuc mens, animisque Fert.*

REDDITA VITAE] mors vitæ reddita, hoc est (vt opinor) mors cum vita commutata. **TERRA POLITA'ST]** quem terra potita est: id est quem terra humatum tenet. **QVOD OMNES CORP. AFFECTI]** quidam libri scripti habent *offecti*. nonnulli typis excusi *effecti*. ego *offecti* probō: quod ego interpretor obstructi, & somno quasi obice quodā impediti. sup. li. 1. *extr. à Officiuntur, vti cogatur tardius ire.* **PRAETEREA MEMINISSE IACET]** meminisse, id est memoria, seu vis & potestas animi qua res præteritas meminimus. τὸ μνήσθαι. sic loquitur Ennius. *Aut occasus vbi, tempusve audere repressit, audere*, id est audaciam, τὸ τολμάει. Idem Lucret. sup. eod. lib. *Esse in imaginibus missis consistere eorum. esse*, id est τὸ εἶναι. & eod. lib. infr. *Nec fuit ante videre oculorum lumina nata. videre*, id est τὸ εἶναι. & M. Tull. lib. 2. de finib. *Id primum videamus beatè viuere vestrum quale sit. meminisse au-*

se autem legendū esse, non (vt est in quibusdam vulgatis) mens ipsestantur quinque libri manuscripti. **MORTIS, LETIQUE POTITVM]** qui dormit (inquit) quia vis memoriæ sopita est, nō dissentit, neque negat eum esse mortuum, quem sibi viuum cernere videtur. *potitum* autem *mortis* dixit, pro eo quod est in potestatem mortis redactum. sic Plautus *potitus hostium*, Captiuus. *Nam postquam meus rex est potitus hostium, &c.* id est in hostium potestatem peruēnit.

Quod superest, non est mirum simulacra moueri, Brachiaque in numerum iactare, & cetera membra.

Nam fit, vt in somnis facere hoc videatur imago.

Quippe, vbi prima perit, aliōque est altera nata

Indu statu, prior hæc gestum mutasse videtur.

Scilicet id fieri celeri ratione putandum st.

—Tanta est mobilitas, & rerum copia tanta,

—Tantaque sensibili quouis est tempore in vno

—Copia particularum, vt possit suppeditare.

Multiāque in his rebus quæruntur, multiāque nobis

Clarandum st, planè si res exponere auemus.

QVOD SUPEREST] docet non esse mirum imagines moueri, & saltare, & similia facere: aut certe facere videri. **IN NVMERVM]** aptè, cōpositè, numerosè: sic lib. 2. *Armari in numerum pulsarent æribus æra.* Virgil. Georg. 4. *de cyclopiis. Illi inter sese magna vi brachia tollunt. In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum.* cuius contrarium est *extra numerum.* Idē Lucret. lib. 5. *Atque extra numerum procedere membra mouentis Duriter, & duro terram pede pellere matrem.* Horat. epist. ad Loll. 2. lib. 1. *Quannus nil extra numerum fecisse, modūque Curas:* ad quem locū plura à nobis annotata sunt. **INDV STATV]** sic reposui, cum legatur in libris omnibus *Inde statu*, planè mendosè. legendum enim *Indu*: quod valet *in*. sententiā autem est hæc. Videtur (inquit) imago in somnis membra mouere & gesticulari in numerum, quia postea quàm prima imago perijt, secundaque continuè in alio statu, quàm erat prima, nata est: videtur hæc prima statum, gestūque mutasse, quod longè aliter est. nam imago imagini succedit, & vno, eodēque tempore, aliæ, atque aliæ imagines creantur: quemadmodū nō est vnum lumen, quod à corpore luminoso, quale est corpus solis, fluit, sed aliud, atque aliud. **TANTA'ST MOBILITAS]** ἐπιπόνητα; vt sup. lib. 1. *Tantum religio potuit suadere malorum.* Sed hic versus hinc auferendus est, vt alieno loco positus. Nam infrā suo loco ponitur, ibique duntaxat legendus. **TANTAQVE SENSIBILI, &c.]** neque hic versus, neque qui deinceps sequitur, Lucretianus est: **COPIA PARTIC. VT P. SVPR.]** vt possit sup-

petere, *ἐπεὶ οὐκ ἔστιν*. Verum, ut dixi, non puto hunc versum esse poetam, sed spurium. Itaque sublatis duobus his versibus, ut spuriis, sublato & illo, qui hos proximè antecedit, quia frustra, & non suo loco locatus est, sic cenfeo hunc locum esse legendum. Scilicet id fieri celeri ratione putandum est. Multaque in his rebus queruntur, &c. sed non celabo lectorem, scriptum esse in quibusdam vulgatis cod. querendum. CLARANDVM EST] clarare oportet, *διλωτέον*, sic sup. lib. 1. *Aeternas quoniam pœnas in morte timendum.*

*Queritur in primis, quare, quod cuique libido
Venerit, extemplo mens cogitet eius id ipsum.
Annè voluntatem nostram simulacra tuentur?
Et simulac volumus, nobis occurrit imago?
Si mare, si terram cordi sit, si denique cœlum,
Conuentus hominum, pompam, conuiuia, pugnas,
Omnia sub verbone creat natura, paratque?
Cum præsertim aliis eadem in regione, locoque
Longè dissimileis animus res cogitet omnis?
Quid porro, in numerum procedere cum simulacra
Cernimus in somnis, & mollia membra mouere,
Mollia mobiliter cum alternis brachia mittunt?
Et repetunt oculis gestum pede conuenienti?
Scilicet arte valent simulacra, & docta vagantur,
Nocturno facere ut possint in tempore ludos?
An magis illud erit verum, quia tempore in vno
— Cum sentimus id: ut cum vox emittitur vna:
Tempora multa latent, ratio quæ comperit esse:
Propterea fit, uti quouis in tempore quæque
Præstò sint simulacra locis in queisque parata?
Tanta est mobilitas, & eorum copia tanta.
Et quia tenuia sunt, nisi se contendit, acutè
Cernere non potis est animus, proinde omnia, quæ sunt
Præterea, pereunt, nisi sic sese ipse parauit.
Ipse parat sese porro, speratque futurum,
Ut videat, quod consequitur rem quanque: fit ergo.
Nonne vides, oculos etiam, cum, tenuia quæ sint,*

*Cernere cœperunt, contendere se, atque parare:
Nec sine eo fieri posse, ut cernamus acutè?
Et tamen in rebus quoque apertis noscere possis,
Si non aduertas animum, proinde esse quasi omni
Tempore semota, fuerint, longèque remotæ.
Cur igitur mirum est, animus si cetera perdit,
Præter quàm quibus est in rebus deditus ipse?
Deinde adopinamur de signis maxima paruis:
Ac nos in fraudem induimus, frustramur & ipsi.*

QUAERITVR IN PRIMIS] hæc quæstio, quare quod cuique libuerit, id cogitet, cū cogitatio simulacris exciteretur, pendet ex superiore, quam obrem simulacra moueri videantur. Itaque vtrique quæstioni eadem opera respondet: sed Peripateticorum atque Academicorum veterum more, qui ad propositam quæstionem, & ad interrogatum pluribus modis quasi dubitantes, & sibi diffidentes, respondebant: & tamen postremo loco, quam sententiam, & rationem magis probabant, ponebant. sic igitur Lucretius hoc loco. Queritur (inquit) quare quod cuique libuerit, id ipsum continuò mens eius cogitet. An quia simulacra nostro arbitrato ad nos accurrunt, nobisque obtèperant, cum de re aliqua cogitare volumus? an potius quia in vno tempore multa delitescunt tempora, quæ non nisi ratione esse intelliguntur? Atque idcirco fit, ut quouis tempore, & quibusuis in locis simulacra præstò sint, atque ad nutum nostrum parata nobis adsistant? Hanc de imaginibus, & de cogitandi per imaginū appulsum ratione, Epicuri sententiam irridet, & improbat M. Tull. epist. quadam ad Cassium lib. 15. epist. his verbis. *Fit enim nescio quomodo, ut quasi coram adesse videare, cum scribo aliquid ad te: neque id est εἰδωλον φαντασίος, ut dicunt tui amici noui: qui putant, etiam δεικνόντας φαντασίος, spectris Catianis excitari. (Nam, ne te fugiat, Catius Insuber Epicureus, qui nuper est mortuus, quæ ille Gargettius, etiam antè Democritus εἰδωλα, hic spectra nominat) His autem spectris etiam si oculi possent feriri, quod cum velimus, ipsa accurrunt, animus qui possit, ego non video, doceas tu me oportebit, cum saluus veneris, in meâne potestate sit spectrum tuum, ut simulatque mihi collibitum sit de te cogitare, illud accurrat: neque solum de te, qui mihi hæres in medullis, sed si insulam Britanniam cœpero cogitare, eius εἰδωλον mihi aduolet ad pectus. Idem lib. 1. de nat. deor. Quid quod simul ac mihi collibitum est, præstò est imago? quid quod etiam ad dormientem veniunt inuocata? Tota res Vellei nugatoria est. Eodem pertinent illa eiusdem lib. 2. de diuinatione. Igitur me imago Marij in campum Atinatem persequatur. Nulla enim species cogitari potest, nisi pulsū imaginū. Quid ergo? Iste imagines ita nobis dicto audientes sunt, ut simulatque velimus, accurrant: etiamne earum rerum, quæ nulla sunt? &c. OCCURRIT IMAGO] sic quidem habent libri omnes, & manuscripti, & typis excusi, quibus usus sum: sed videretur potius legendum accurrat, ut declarant ea, quæ paullo antè ex*

Marco Tullio protulimus, *ibi: cum velimus, ipsa accurrunt, &c.* & *ibi: eius est* *λὸν mihi ad pectus aduolat, &c.* OMNIA SVB VERBONE CREAT] omniāne simulacra sub verbo gignit natura? Vel ex hoc loco perspicuum est, vbiunque legitur in codicibus siue manuscriptis, siue impressis, simulacra geruntur, legendum genuntur, id est gignuntur. QUID PORRÒ, IN NVMERVM] videtur reuerri ad priorem quæstionem, quam obrem simulacra in numerum moueri videantur: eamque vna opera dissoluere. ET REPETUNT OCVLIS, &c.] puto hunc esse verbotum ordinem: Et repetunt gestum pede oculis conuenienti: *τὸ δὲ τοῖς ἀφ᾽ οὐρανοῦ ἀγυρῶν:* vel legendum, *Et repetunt manibus gestum pede conuenienti.* SCILICET ARTE VALENT] libri scripti habent *Scilicet arte madent &c.* mendose opinor. verumtamen arbitrium lectoris esto. AN MAGIS ILLVD] id est an potius illud erit verum, quia in vno tempore multa inclusa sunt tempora: quibus singulis temporibus, singula nobis parata præstò sint imagines? CVM SENTIMVS, &c.] hunc versum delendum puto, vt spurium: Nam & corrumpit sententiā huius loci, & nullam ipse probabilem sententiā continet, nisi quis dicat, hoc modo retineri & interpretari posse. An magis illud erit verum, tum cum id sentimus: id est cum videtur nobis imagines in numerum brachia iactare, & saltare, in vno tempore, multa inclusa latere tempora, vt cum vox vna vno tempore missa, plura tempora meretur: Omnino in hoc loco, atque in hoc versu mihi aqua hæret. Adde quòd in quattuor libris manuscriptis, ita eum scriptum reperi, *Consentimus; id est cū vox emittitur vna:* cuius scripturæ quæ sententiā, aut quæ ratio sit, non satis dispicio. Putaui aliquando sic legendum, *Cum sentimus item, vt, cum vox emittitur vna:* vel sic, *Cum sentimus idē, vt, cum vox emittitur vna.* sed quorsum hæc, cum mihi delendus esse videatur? LOCIS IN QVEIS QVE PARATA] sic habent quattuor libri manuscripti Vatic. Scipionis. Faëni, Bertinianus: & ita legendum est. cum his congruunt illa Marci Tullij lib. i. de nat. Deor. quem paullo ante protulisti: *fluentium frequenter transitio fit visionum, vt è multis vna videatur.* TANTA HIS MOBILITAS, ET EOR.] hoc loco duntaxat & scribi, & legi debet hic versus. Iam duos versus, qui deinceps in omnibus libris leguntur, sustuli, vt alieno loco inculcatos, & frustra repetitos, & minime ad hunc locum quadranteis. leguntur enim supra suo loco post versum *Nam sit vt in somnis facere hoc videatur imago.* apte enim sequitur, *Quippe vbi prima perit, &c. prima autem, imago scilicet.* At hic non licet ita dicere, quia non antecedit nomen *imago*, sed vox *simulacra*, quæ est numeri multitudinis. ET QVIA TENVIA SVNT] quærere aliquis poterat: sed si mens cogitare nō potest, nisi per occursum, seu accursum simulacrorū, & si, quod cuiq; libuerit, id cuiusq; mens facile cogitare potest, quia quouis tēpore, & quibusuis in locis parata sunt, & præstò sunt simulacra: qui fit, vt cum infinita & omnis generis simulacra ei præstò sint, non æquē videat eodem tēpore ea quæ non vult, atque ea quæ vult: respondet Lucretius, ea simulacra, quibus mēs mouetur, & quæ videt, esse tenuissima, & longè tenuiora scilicet, quàm quæ oculis cernimus. Quapropter animus non nisi se contendit, acutè cernere potest, ea igitur quæ accuratè, & con-

rentè cernit, cernit acutè: quæ verò leuiter, & (vt ita dicam) aliud agens cernit, ea dilabuntur, & pereunt. Idque ex similitudine oculorum intelligere licet, qui cum rem aliquam cernere cœperunt (quod sine simulacris facere non possunt) eam rem acutè cernere non possunt, nisi simulacra illa contenta acie cernant. NISI SE CONTENTDIT, ACUTE CERN.] sic restitui reclamantibus omnibus codicibus, admonitus ab eo loco, qui est infra septimo abhinc versus: in quo ita loquitur: *contendere se atque parare.* Contendere autem his locis agendi vim habet, vt cum dicimus, *contendere neruos, contendere aciem oculorum, contendere vires.* Idem Lucret. infr. cod. lib. *Et quasi de palma summas contendere vires.* OMNIA QVAE SVNT PRÆTERTERA] id est omnia simulacra, quæ sunt præter illa, ad quæ cernenda animus sese cōtendit & parat, pereunt. NISI SIC SESE IPSE PAR.] id est nisi sese contendit, vt ea cernere queat, nempe dum rerum consecutionem, & feriem considerat. IPSE PARAT P.] porrò (inquit) ipse animus sese componit, & parat ad cernendum, speratque fore, vt videat id quod quaque rem consequitur, id est quod cuique rei est consequens.

NÓNNE VIDES] hoc ostendit à simili. NEC SINE EO] id est nisi se contendat, & parent ad cernendum. Etiam mathematici docent, primum aspectus alios fieri per lineas à punctis rerum aspectabilium ad perpendicularum in oculum, seu in visum incidenteis: & hi aspectus distincti appellantur: alios per lineas, quæ à rebus aspectabilibus non cadunt in visum ad perpendicularum: & hi indistincti nominantur: deinde omnem aspectum fieri vel inspectione simplici, & subita oculi adiectione ad rem aliquam: vel contuitione accurata, & intenta. Vt igitur rem aliquam acutè cernam, & planè ac perfectè inspiciendo cognoscam, duo concurrere oportet: vnū vt res, quæ cernitur, oculo sit ad perpendicularum opposita, lineæque à re quæ cernitur in oculum ad perpendicularum incidentes pyramidem efficiant, cuius vertex sit in puncto medio oculi, basis verò in extremitate, seu summa cæsura rei quæ cernitur: alterum, vt rei contuitio sit diligens & accurata, & tam diuturna, quantum satis sit. ET TAMEN IN REBUS] licet (inquit) intelligere etiam in rebus apertis, ac manifestis, nisi animum attendas, dum eas cernis, & si aliud agas, aut si peregrinetur animus, proinde esse, quasi ex ipsa res omni tempore abs te fuerint remotissima, tibi que obsecutissima. sic M. Tull. lib. i. Tuscul. *Itaque sæpe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris oculis, & auribus, nec videmus, nec audimus.*

SEMOTAE FVERINT, LONGAE QVE REMOTAE] sic legendum vel inuitis omnibus codicibus, & vt ita legatur, sententiā ipsa flagitat.

PRAETER QVAM QVIBVS EST IN R.] secutus sum codices Parisiensis, Venetos antiquiores, Florentinos. hoc tamen interest inter Venetos & Florent. quòd in Florent. legitur, *queis est in rebus:* in Venetis, *quibus est in rebus,* & ita in Paris. Iam hoc loquendi genus *deditus in rebus, deditus in studio,* vñtatum fuit antiquis. Catull. in nuptias Iulæ & Manlij. *Non tuus leuis in mala Deditus vir adultera.* Iterum Lucret. sup. lib. 3. *Et simul in pugna studio quòd dedita mens est.* Cato. *poëtica arti bonos nō erat. si quis in ea re studebat, aut sese ad conuiuia applicabat, grassator vocabatur.* AC NOS IN FRAVDEM

INDVIMVS] eleganter & venustè dictum, induere in fraudem. sic M. Tull. Verr. de iure dicundo. Hic videte in quot laqueos se induerit. Idem in Lucullo: Philo autem dum noua quadam commouet, quod ea sustinere vix poterat, quæ contra Academicorum pertinaciam dicebantur: & apertè mentitur, vt est reprehensus à patre Catulo, & vt docuit Antiochus, in idipsum se induit, quod timebat. Idem de diuin. 4. cur vos induitis in eas captiones, quas nunquam explicetis? Plaut. Casina. Mea præda est illa: proin tu te in laqueum ne induas. FRUSTRAMVR ET IPSI] cum in codicibus quibusd. manuscriptis reperissem scriptum Frustraminipis, idque cum litura: in aliis, frustramur id ipsi, & ita in Paris. & Venetis antiq. ego frustramur & ipsi, reposui: quæ scriptura perspicuè vera est. Iam verò etiam Aristot. lib. de insomniis, scribit nos facile decipi ac falli circa sensus, maxime cum perturbati aliquo animi motu sumus, vt amantes videntur ex parua similitudine eam, quam amant, cernere: timidi & ignaui, hostium conspectu sibi fingunt, &c. cuius rei extat exemplum apud Cæs. lib. 1. de bello Gall. vbi narrat Confidium quendam alioqui rei militaris peritissimum, cum exploratum, quid hostes agerent, missus esset, metu perterritum, quod non vidisset, pro viso sibi renunciaffe.

Fit quoque, vt interdum non suppeditetur imago
Eiusdem generis: sed femina quæ fuit antè,
In manibus viri tum factus videatur adesse:
Aut alia ex alia facies, atq; sequatur:
Quod ne miremur, sopor, atque obliuia curant.
Illud in his rebus vitium vehementer, & illum
Effugere errorem, vitareque præmeditator,
Lumina ne facias oculorum clara creata,
Prospicere vt possimus: & vt proferre vidè
Proceros passus, idè fastigia posse
Surarum, ac feminum pedibus fundata plicari:
Brachiatum porro validis ex apta lacertis
Esse, manusque datas vtraque à parte ministras,
Vt facere ad vitam possimus, quæ foret vsus.
Cetera de genere hoc inter quæcunque pretantur:
Omnia peruersa præpostera sunt ratione.
Nil idè quoniam natum est in corpore, vt vi
Possimus: sed quod natum est, id procreat vsum.
Nec fuit ante videre oculorum lumina nata:
Nec dictis orare prius, quàm lingua creat a st:

Sed potius longè linguæ præcessit origo
Sermonem: multoque creatæ sunt prius aures,
Quàm sonus est auditus: & omnia denique membra
Antè fuere, (vt opinor) eorum quàm foret vsus.
Haud igitur potuere vtendi crescere causa.
At contra conferre manu certamina pugnae,
Et lacerare artus, fœdarèque membra cruore,
Antè fuit multo, quàm lucida tela volarent.
Et volnus vitare prius natura cœgit,
Quàm daret obiectum parma læua per artem.
Scilicet & fessum corpus mandare quieti,
Multo antiquius est, quàm lecti mollia strata.
Et sedare sitim prius est, quàm pocula, natum.
Hæc igitur possunt vtendi cognita causa
Credier, ex vsu quæ sunt, vitæque reperta.
Illa quidem seorsum sunt omnia, quæ prius ipsa
Nata, dedere suæ post notitiam utilitatis.
Quo genere in primis sensus, & membra videmus.
Quare etiam atque etiam procul est, vt credere possis,
Utilitatis ob officium potuisse creari.

SOPOR, ATQVE OBLI. CVR.] hoc significat. non miramur, dum dormimus, quæ antè femina nobis visa sit, eam nunc virum esse factam, propterea quod tum meminisse iacet, languetque sopore, vt supra dixit. Sopor & obliuia curant, id est efficiunt, ne hoc miremur. tralatio est. sic loquitur lib. 3. calidi que vaporis Semina curare, in membris vt vita mouetur. ILLUD IN HIS REB. VIT. VEH. ET ILLVM EFF. ERR. VITARE QVE PRÆMEDITATOR] hos duos versus indignis modis corruptos, ego vestigia scripturæ veteris odoratus, & Lucretij sententiam ipsis cubilibus persecutus non infeliciter, mea quidem sententia, restitui. Sed proponam primùm scripturarum dissimilitudinem: deinde eius scripturæ, quam probavi, sententiam explicabo. Sic igitur scriptum est in cod. Vatic. Illud in his rebus vitium vehementer inesse Effug. errore multarèque præmetuentor: in Thet. & Færn. Effugere errores, multasque præmetuentur. in Bertin. Effugere errorem, vitareque præmetuentur. in Memm. Effugere errorem, vitareque præmetuentur. cod. typis impressi Paris. & Venet. antiq. Effugere errorem, vitareque præmeditemur. ceteri vulgati ita corrupti sunt, vt pigeat me referre. Sic igitur repono. Illud in his rebus vitium vehementer, & illum errorem, vitareque præmeditator, &c. id est mul-

tò antè mediator in his rebus illud vitium, illūque errorem effugere, ac vitare, ne scilicet facias, néue existimes oculos eius rei gratia esse creatos, vt cernamus: furas & pedes, vt ambulemus: brachia & manus ad ea facienda, quæ ad vitam sint vtilia, & cetera. Non enim membra, aut quicquam omnino in corporibus nostris natum est, vt eo vtamur: sed ex eo quod natum est, proficiscitur vsus. Neq; enim viderunt homines, antè quàm oculos à natura habuerunt, nec antè orationes habuerunt, aut omnino locuti sunt, quàm lingua creata est: sed cōtrā & oculi prius creati sunt, quàm quicquam cernerent, & lingua prius nata est, quàm loqui possent. Quòd si verum esset, quod quidam arbitrātur, membra esse creata, vt eis cerneremus, audiremus, fabricaremur, ambularem, & cetera: sequeretur ex eo, nos & prius, quàm oculos haberemus, cernere, & sine manibus fingere, aut pingere, & sine pedibus ambulare potuisse. Nam quicquid alicuius rei fit gratia, id ea re, cuius rei causa comparatur, posterius est tempore: vt lectus dormiendi & quiescendi causa factus est: poculum bibendi causa comparatum est: parma tegendi corporis & vitandæ plagæ gratia reperta est. at prius quàm lecti, pocula, parmae essent: & quiescebant, & bibebant, & plagā vitabant homines. Cum igitur neque antè quàm oculi essent creati, cernere, neque ante pedum originē, passus proferre, neque ante manus factas, quicquam contrectare potuerint homines: falsum est & oculos cernēdi, & pedes ambulandi, & manus contrectandi causa esse factas. Aliter sentiebant Stoici, vt refert M. Tull. lib. 3. de Finib. *Iam membrorum, id est partium corporis alia videntur propter eorum vsum à natura esse donata, vt manus, crura, pedes, & ea, quæ sunt intus in corpore, quorum utilitas quanta sit à medicis disputatur: alia autem nullam ob vtilitatem, quasi ad quendam ornatum, vt cauda pavoni, pluma versicolores columbis, viris minima atque barba.* Hanc Epicuri opinionem refellit & Lactantius, siue Lactantius lib. de opificio dei, his verbis. *Dixit enim neque oculos ad videndum esse natos, neque aureis ad audiendum, neque pedes ad ambulandum: quoniam membra hæc prius nata sunt, quàm esset vsus vidēdi, & audiēdi, & ambulandi: sed horum omnia officia ex natis exiisse. Vereor ne huiusmodi portenta, & ridicula refutare non minus ineptum esse videatur. Sed libet ineptire, quoniam cum inepto agimus, ne se ille nimis argutum putet. Quid ais Epicure? Non sunt ad videndum oculi nati? &c.* **QVAE FORET VSVS]** id est quæ foret opus. quidam tamen legunt, *quæ ferat vsus.* **INTER QVAECVNQVE PRETANTVR]** quæcunque interpretantur. **TIMEFIS. NEC FVIT ANTE VIDERE]** ordo est: nec videre fuit ante oculorum lumina nata. *videre* autem interpretor *τὸ εἶναι, ἢ εἶσθαι*, vt supra. *Præterea meminisse iacet.* nisi quis malit dicere, nec fuit, id est nec licuit videre, &c. **PRÆCIBS SIT]** sic legēdum, & ita scriptum est in lib. manuscriptis: quibuscum consentiunt Paris. & Veneti antiquiores. **OBIECTVM]** *ὑπὸ βλήνῃ.* obiectum autem parmae daret, dixit pro eo quod est, parma obiceret. **HÆC IGITVR POSSVNT]** hæc, nempe tela, parma, lectus, pocula.

*Illud item non est mirandum, corporis ipsa
Quòd natura cibum querit cuiusque animantis.*

Quippe

*Quippe etenim fluere, atque recedere corpora rebus
Multa modis multis docui: sed plurima debent
Ex animalibus iis, quæ sunt exercita motu:
Multaque per sudorem ex alto pressa feruntur:
Multa per os exhalantur, cum languida anhelant.
His igitur rebus rarefcit corpus: & omnis
Subruitur natura: dolor quam consequitur rem:
Propterea capitur cibus, vt suffulciat artus:
Et recreet vireis interdatus, atque patentem
Per membra ac venas vt amorem obturet edendi.
Humor item discedit in omnia, quæ loca cunqve
Pescunt humorem: glomeratæque multa vaporis
Corpora, quæ stomacho præbent incendia nostro,
Dissipat adueniens liquor, ac restinguit, vt ignem:
Vrere ne possit calor amplius aridus artus.
Sic igitur tibi anhele sitis de corpore nostro
Abluitur, sic expletur ieiuna cupido.*

ILLVD ITEM NON EST] Nunc cur esuriant, & sitiant animantes, rationem affert. **QUIPPE ETENIM]** Aiunt medici cibum & potum ab animante propter magnitudinem caloris natiui desiderari: qui, nisi cibo & potu restingueretur, membra depasceretur, atque absumeret. nunc autem alimēto sicco & humido refrenatus, & vireis imminutas reficit, & quæ deperunt, reparat ac refarcit. **ATQVE RECEDERE]** fortasse legendum ac decedere, vt sup. lib. 2. Cum multa (inquit) corpora fluunt è rebus, & corporibus nostris, tum longè plurima ex iis animantibus, quæ plurimū exercentur, atque agitantur. **INTERDATVS]** interea datus: vt & alibi. **VT AMOREM OBTVRET EDENDI]** sic legendum est, tametsi hoc loco mendosi sint codices manuscripti. Sic Homer. idque non semel. *Αὐτὰρ ἐπεὶ ἐπείστος, ἢ ἐδῆπτος ἐξέειπτο.* cui prope par est hic versus Virgil. *Postquam exempta fames epulis, mensæque remota.* **HVMOR ITEM DISCEDIT]** Atqui cibus & potus in ventriculo commiscetur, atque vnà concoquuntur. quibus concoctis succus ex illis expressus, atque ab alienis secretus permanat ad iecur, ibique in sanguinem vertitur. **IEIVNA CVPIDO]** id est esuries, seu fames.

*Nunc quid fiat, vt passus proferre queamus,
Cum volumus, varièque datum sit membra mouere:*

Vv

*Et quæ res tantum hoc oneris protrudere nostri
 Corporis insuerit, dicam: tu percipe dicta.
 Dico animo nostro primum simulacra meandi
 Accidere, atque animum pulsare, ut diximus antè.
 Inde voluntas fit, neque enim facere incipit ullam
 Rem quisquam, quam mens prouidit, quid velit, antè.
 At, quod prouidet, illius rei constat imago.
 Ergo animus cum sese ita commouet, ut velit ire,
 Inq̄, gredi: ferit extemplò, quæ in corpore toto
 Per membra, atque artus, animæ dissipta vis est.
 Et facile est factu, quoniam coniuncta tenetur.
 Inde ea porro corpus ferit: atque ita tota
 Paullatim moles protruditur, atque mouetur.
 Præterea tum rarefcit quoque corpus: & aër,
 Scilicet ut debet, qui semper mobilis extat,
 Per patefacta venit, penetratque foramina largus:
 Et dispergitur ad partes ita quasque minutas
 Corporis. hinc igitur rebus fit utrinque duabus,
 Corpus uti, ut nauis, velis, ventoque feratur.
 Nec tamen illud in his rebus mirabile constat,
 Tantula quòd tantum corpus corpuscula possunt
 Contorquere, & onus totum conuertere nostrum.
 Quippe etenim ventus subtili corpore tenuis
 Trudit agens magnam magno molimine nauim:
 Et manus vna regit quantouis impete euntem:
 Atque gubernaculum contorquet quolibet vnum.
 Multaque per trochleas, & tympana pondere magno
 Commouet, atque leui sustollit machina nisu.*

NUNC QUI FIAT] causam motus ad locum vult esse simulacra quædam ad meandum apta, mentem, seu animum pulsantia, & voluntatem mouendi è loco ad locum corporis efficientia. idem lib. secundo simplicius, & planius voluntatem vult esse principium motus, & à corde initium motus existere. sic enim eo loco. Nam dubio procul his rebus sua cuique voluntas Prin-

cipium dat: & hinc motus per membra rigantur. ibid. Ut videas initium motus à corde creari, &c. Aristoteles duas huius motus causas esse vult lib. 3. de animo. ὄρεξις, & νοῦς, id est appetitum, & mentem. ONERIS] quidam libri scripti habent, honoris: ut fortasse legendum sit, honoris cum aspirationis nota. honorem enim ab honore dictum esse docet Varro lib. 4. de ling. Latin. INSVERIT] insueuerit, solita sit. quidam tamen insuevit positum esse volunt pro insuefecerit. ACCIDERE] accidere animo nostro, id est accidere ad animum nostrum, ut sup. locutus est eod. lib. in luci quæ poterit res Accidere ad speciem, &c. & sup. eod. ad terrarum accidat oras. REM QVISQVAM QVAM MENS] ordo est. neque enim quisquam ullam rem facere incipit antè quàm mens prouidit, quid velit. AT QVOD PROUIDET] At id, quod mens prouidet, (inquit) illius rei, quam quisque facere instituit, est imago. INQVE GREDI] & ingredi: tmesis. FERIT EXTEPLÒ] animus ferit animam per totum corpus fusam & permanantem. QVONIAM CONIUNCTA] quoniam anima cum animo coniuncta est. sic lib. 5. Nonne vides etiam quàm magno pondere nobis Sustineat corpus tenuissima vis animæ, Propterea quia tam coniuncta, atque vniter apta sit? PRÆTEREA TVM RAR.] altera causa motum adiuuans. CORPVS VTI, VT NAVIS] sic reposui paullum discedens à scriptura vulgata, quæ est: Corpus ut ac nauis, &c. Inusitatum autem, & insolens loquendi genus, ac nauis pro, proinde ac nauis, vel ita ut nauis. Adde quòd libri scripti à vulgatis dissentiunt, & ipsi inter se dissident. In aliis enim scriptum est, Corporis ut de nauis: in aliis Corporis ut ac nauis. ex qua scriptura Murerus suspicabatur legendum esse, Corporis ut nauis, velis, &c. ut per nauim corporis corpus ipsum intelligamus. QUIPPE ET ENIM VENTVS] Aristoteles μὴ χειρῶν cap. 7. rationem affert quamobrem quanto antenna sit altius elata, tanto citius nauis feratur, eodem velo, eodemque vento. quæ ratio intelligi non potest nisi ab eo, qui, quare vectis tantam vim habeat mouendorum grauisimorum onerum, causam cognorit. (est autem vectis palus ligneus, seu ferreus lingulatus, seu rostratus, μολον Græci appellant.) Nam (ut scribit Vitruuius lib. 10. cap. 8. quod onus manuum multitudo mouere non potest, supposita veluti centro porrecta pressione (quod Græci ὑπομόλιον appellant) & vectis lingua oneri subdita, eiusdem vectis caput, vnus hominis viribus depressum, id onus extollit. Causa igitur huius rei est (ut docet ibidem Vitruu.) quia prior pars vectis breuior ab ea pressione, quæ est loco cætri, subit onus: & quia caput eius longius ab eo centro, id est à pressione distans, cum per id ducitur, faciendo motus circinationem, cogit pressionem paucis manibus oneris maximi pondus examinare. Sæper enim quanto posterior pars, id est ea, quæ est à centro, seu à pressione ad vectis caput, quod à motore premitur, fuerit longior priore, id est ea parte, quæ à centro ad lingulã seu rostrum pertinet, tãto facilius onus mouebitur. His igitur cognitis, & præpositis, quamobrem velum vento inflatum, maximè si antenna non procul absit à cacumine mali, celerrimè nauë moueat, facile intelligere licet. Malus enim rationem vectis obtinet: mali sedes, seu mali calx, est loco hypomochli, id est pressionis: ventus qui velum implet, est veluti motor. Ita-

que si antenna longissime absit à sede mali (ἰσθμίων nominat Aristoteles) quæ quidem mali sedes ceteri rationem obtinet, navis citissime feretur. Linea autem quo longius abest à centro, eo maiorem circumulum describit. At, ut maximus quisque circumulus est, ita celerrime & concitatissime movetur, eodem enim temporis spatio, quo circumulus minor, nempe is, qui propius abest à centro, certi loci spatium metitur & cõficit, circumulus maior ampliore loco percurrit. ET MANVS VNA REGIT] Vitruvius eodem, quem commemoravi, libro, *Quemadmodum etiam* (inquit) *navis oneraria maxima gubernator ansam gubernaculi tenens: quod ἰσθμὸς à Græcis appellatur, una manu momento per centri rationem pressionibus artis agitando, versat eam amplissimis & immanibus mercis & penus ponderibus oneratam, &c.* Aristoteles cap. 6. *μυχανικῶν* huius rei causam hanc affert, quod gubernaculum vectis locum obtineat, navis oneris, gubernator motoris, cardines in quibus vertitur gubernaculum, hypomochlij. **MULTA QVE PER TROCHLEAS**] trochlea machina est tractorij generis cum æreo aut ligneo orbiculo, qui per axiculum versatur trajecto fune ductario. ea utimur etiam in haurienda è puteis aqua. fit autem trochlea auctore Isidoro Etymolog. lib. 19. cap. 2. ad similitudinē @ litteræ Græcæ οὐκταῦ, dicta à trochis, id est rotis. **TYPANA**] tympanum, quod Græci τὸ ἔγγυον appellant, genus rotæ est magno circuitu præditæ, cuius axis fune obuoluitur, interea dum eam circumagunt homines regulas pro gradibus affixas quasi ascendentes. **SVSTOLLIT**] sursum tollit. utitur eodem verbo Plaut. *Cistell. amiculum hoc sustolle saltem.* & Catull. de nupt. Pelei & Ther. *Dulcia nec mesto sustollens signa parenti.* & Cicero Arato: *Istius in Boream quod se sustollit acumen.*

*Nunc quibus ille modis somnus per membra quietem
Inriget, atque animi curas è pectore soluat:
Suavidicis potius, quam multis versibus edam,
Paruus ut est cygni melior canor, ille gruuum quam
Clamor in ætheriis dispersus nubibus Austri.
Tu mihi da tenuis aureis, animiūque sagacem:
Ne fieri negites, quæ dicam posse: retròque
Vera repulsanti discedas pectore dicta:
Tutemet in culpa cum sis, ne cernere possis.
Principio somnus fit, vbi est distracta per artus
Vis animæ, partimque foras eiecta recessit:
Et partim contrusa magis concessit in altum.
Dissoluuntur enim tum demum membra, fluuntq̃.
Nam dubium non est, animi quin opera sit
Sensus hic in nobis: quem cum sopor impedit esse:*

*Tum nobis animam perturbatam esse putandum est,
Eiectamque foras, non omnem: nanque iaceret
Aeterno corpus perfusum frigore leti:
Quippe vbi nulla latens animæ pars remaneret
In membris, cinere ut multa latet obrutus ignis:
Vnde reconflari sensus per membra repente
Possit, ut ex igni cæco consurgere flamma.
Sed quibus hæc rebus novitas confletur, & unde
Perturbari anima, & corpus languescere possit,
Expediam: tu fac ne ventis verba profundam.*

NUNC QVIBVS ILLE MODIS] Nunc de somno disputare incipit. **PER MEMBRA QVIBVS**] Virg. *Æneid. i. placidam per membra quietem Irrigat.* Furius Bibac. *mitètmque vigat per pectora somnum.* **CVRAS È PECTORE SOLVAT**] utroque modo loquimur, & animi curas solvere, & animum curis solvere. sic Catull. ad Sirm. penins. *O, quid solutis est beatius curis?* **SVAVIDICIS POTIVS**] hi versus supra leguntur hoc eod. lib. non longè à princip. **RETRÒQVE VERA REP. DISCEDAS**] non putavi quinque librorum manuscriptorum, in quibus legitur *discedas*, non, ut in plerisque vulgatis, *discedant*, auctoritatem mihi esse reiiciendam: quam adiuvant codices typis impressi Veneti antiq. & Parisienses. Si quis tamè pluris faciet vulgatam scripturam, non repugnabo. **NE CERNERE POSSIS**] aliquot lib. manu scripti habent, *neque cernere possis.* **PRINCIPIO SOMNVS FIT**] sic somni causam inuestigat. somno sensus impediuntur: (quod est consentaneum cum iis quæ docet Aristot. somnium esse ἀδυναμία, id est impotètiā animi potèstatis, quæ ut sentiamus efficit, ex alimentii halitu profectam) at sensus qui est in nobis, fit opera animæ. Itaque necesse est, cum dormit animal, partim foras eiecta recesserit, partim in penetralis corporis sedes concesserit, partim sit per membra dissipata. **PARTIM QVE FORAS EIECTA**] sic infra non longè. *Eiectamque foras.* & item inferius. *ut pars inde animæ Eiciatur, & inferius. Fit ratione eadem coniectus porro animæ Altior, atque foras eiectus largior eius.* **ET PARTIM CONTRUSA**] sic fere Aristoteles lib. de somno & experrectione, vbi ὑπνον dicit esse σῶμα δὲ πῦρ τῶ ζώου ἐστὶν, ἢ ἀντιπερὶ τὴν φύσιν διὰ τὸ ἀποθεῖσθαι τὸ θερμὸν καὶ τὸ ὑγρὸν τῆς ἀαδυμάσεως πάλιν ἀπὸ πρὸς τὸν: id est somnū esse coitionem calidi in intimis partibus, & eius naturalem ab aduerso frigore circumfuso compressionem, quia calidum ab humore exhalationis reuertentis, ad inferiora repellatur, ac detrudatur. Sic Plin. lib. ii. cap. vlt. ait, *somnum esse animi in sese medium recessum.* **NON OMNEM: NANQVE**] nam si tota anima eiecta foras esset, iaceret corpus exanimū. **CINERE VT MULTA**] sic habent quattuor libri manuscripti, & tres typis excusi, Parisienses,

& vtrique Veneti. Nonius quidem testatur apud Cæsarem, Catull. Caluum cinis esse feminini generis. Caluus: *Cum iam fulua cinis fueris.* idem. *Forstian hoc etiam gaudeat ipsa cinis.* quæ profertur etiam à Sophocro. Catull. ad Manlium: *Troia virum, & virtutum omnium acerba cinis.* Optime autem conseruatur ignis, si cinere tegatur. Nam ita fit vt & cinis igni impositus eius calorem contineat, & ignis tamen per cinerem rarum quasi respiret, ac viuat. ignem enim dicimus viuere, & mori: viuere dum calorem naturalem continet, mortuum esse, vbi extinctus est. Lucret. i. extr. *& viuant labentes aetheris igneis.* idē inf. eod. lib. *Quod cupido adfixum cordi viuēscit, vt ignis.* Ad hunc autem locum pertinet illud Virg. lib. 8. Æn. *Impositum cinerem, & sopitos suscitāt igneis.* & illud Horat. od. i. li. 2. *& incedis per igneis suppositos cineri dolēso.* V T E X I G N I C A E C O] sic reposui secutus auctoritatem librorum manuscriptorum. nam vulgati habent, *recto*, quæ erat interpretatio nominis *caeco*. SED Q V I B V S H A E C] Nunc docere incipit, quī fiat, vt anima partim foras eici, partim in altum conici & contrudi, partim per membra dispergi, ac dissipari possit. NE VENTIS VERBA PROF.] id est ne verba mea neq; ad aureis tuas perueniant, neque in animo tuo penitus infideant, sed abs te negligantur, aut etiam respuantur. Catull. carm. de Pelei & Thet. nupt. *Quæ cuncta aerij discerpunt irrita venti.* ibidem. *Irrita ventosa linquens promissa procella.* plura exempla si desideras, lege quæ annotauimus ad illum locū Horat. *Tradam proceruis in mare Creticū Portare ventis.* od. 36. lib. 1.

*Principiò externa corpus de parte necessum est,
Aeris quoniam vicinum tangitur auris,
Tundier, atque eius crebro pulsariet icu.
Propterea que ferè res omnes, aut corio sunt,
Aut seta, aut conchis, aut callo, aut cortice testæ.
Interiorem etiam partem spirantibus aer
Verberat hic idem cum ducitur, atque reflatur.
Quare vtrique secus cum corpus vapulet: & cum
Perueniant plagæ per parua foramina nobis
Corporis ad primas partes, elementaque prima:
Fit quasi paulatim nobis per membra ruina.
Conturbantur enim positura principiorum
Corporis, atque animi sic, vt pars inde animi
Eiciatur, & introrsum pars abdita cedat:
Pars etiam distracta per artus, non queat esse
Coniuncta inter se, nec motu mutua fungi.
Inter enim sepit aditus natura, viasque.*

*Ergo sensus abut mutatis motibus altè.
Et quoniam non est, quasi quod suffulciat artus,
Debile fit corpus, languescunt omnia membra:
Brachia, palpebræque cadunt, poplitésque procumbunt.
— Sæpe etiam summituntur, vireis que resoluunt.
Deinde cibum sequitur somnus, quia quæ facit aer,
Hæc eadem cibus, in venas dum diditur omneis,
Efficit, & multo sopor ille grauisissimus extat,
Quem satur aut lassus capias: quia plurima tum se
Corpora conturbant magno confusa labore.
Fit ratione eadem coniectus porrò animi
Altior, atque foras eiectus largior eius,
Et diuisior inter se, ac distractior intus.*

PRINCIPIÒ EXTERNA] primùm (inquit) corpus extrinsecus ab aère externo verberatur: deinde hic idem aër cum ducitur, & cum reflatur, corpus pulsat. quæ plagæ vbi per foramina, & meatus corporis perueniunt ad primordia corporis: quodammodo sensuum in nobis fit ruina, &c. PROPTEREA Q V E F E R E R E S O M N E S] & propterea, id est vt res sint ab iniuria aeris: externi tuitiores, ac munitiores, aut corio, aut seta, &c. testæ sunt. Vberius hanc rem persequitur M. Tull. lib. 2. de nat. deorum. *Animantium alia corio testæ sunt, alia villis vestia, alia spinis hirsuta: pluma alias, alias squamma videmus obductas: alias cornibus armatas: alias habere effugia penarum.* sic Plin. lib. 7. proæm. *Ante omnia vnum animantium cunctorum alienis velat opibus: ceteris variè tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumam, pennas, squammas, vellera.* AVT SETA, AVT CONCHIS] sic restitui partim coniectura ductus, partim auctoritate codicum calamo exaratorum fretus: in quibus ita reperi scriptum: *Aut etiam, aut conchis, &c.* INTERIOREM ETIAM PARTEM] Sic M. Tull. eodē lib. *Cum aspera arteria ad pulmones vsque pertineat, excipiatque animam eam, qua ducta sic spiritu, eandemque à pulmonibus respiret, & reddat, &c.* CVM DVCITVR, AT Q V E REFLATVR] id est cum attrahitur, & cum respiratur, & redditur. *Et ἀνωρόδωρος, & ἀνωρόδωρος.* EICIATUR] sic reposui: supra enim ita locutus est: *Eiectamque foras, &c.* MUTUA] mutuo, vt sup. lib. 2. *& inter se mortales mutua viuunt.* INTER ENIM SÆPIT ADITVS] sic restitui, & ita legendum, non vt in nonnullis vulgatis, *sæpit septus*, neque vt in quibusdam manuscriptis *sæpe catus*, neque vt in aliis, *sæpit coitus*. Errati causam puto præbuisse librariis, aut librariorum operis posteriorem syllabam verbi *sæpit* breuem, exceptam à vocali, cum existimarent necessariò dactylum hoc loco esse debere. Ita factum est, vt hunc locum corrumperint,

& modò supposuerint, *sapit cœtus*, modò *sapit septus*. sed sciūt docti trybra-
chum pro dactylo interdum poni solere, non solum in tertia sede, verum
etiam in secunda, Virgil. 4. Æneid. *Pectoribus inbians*. sic sup. Lucret. eod.
lib. *Ater inuit oculos*. & Horat. od. 3. lib. 1. *Perrupit Acherunta Herculeus labor*.
Idem saty. 3. lib. 2. *Exclusus qui distat, agit ubi secum, eat, an non?* BRACHIA,
PALP.] sic Aristot. de somno. *ὅτι δὲ λέγειν κατὰ πῆλα τὰ βλέφαρα*. id est, &
propter refrigerationem decidunt palpebræ. ibid. sup. *ὅτι ἀδυνατῶσιν ὑπερὶ τὴν
κεφαλήν, ὅτι τὰ βλέφαρα*. id est & non possunt attollere caput & palpebras. pro-
fert hunc versum Nonius. mendose, vt & mendose legitur in libris omni-
bus etiam manuscriptis: in quorum duobus cum scripsum reperissem, *popli-
tēsque procubant*, re cum Adriano Turnebo communicata, *procumbunt* repo-
sui. neque est quod quenquam moueat prima syllaba, quæ apud Virg. sem-
per producit. Nam præpositionē, *pro*, in compositione, & in talibus ver-
bis *propello*, *protrudo*, *procudo*, & simil. nunc corripiebant, nunc producebant
veteres. Quod si cui placebit legi, *cubant pro*, quod mauult vir ille doctiss.
pro eo quod est *procubant*, seu *procumbunt*, non pugnabo. Iam versum qui
deinceps sequitur, delendum censeo, vt spurium, fuit enim additus hoc ver-
su corrupto. DEINDE CIBVM SEQVITVR] Idem tradit Aristot. lib.
de somno & experrectione: nempe cibi & potus halitus humidos sursum
ferri: qui vbi in supernum locum peruenerint, tūc quia sunt graues & cor-
porei, deorsum referuntur & recidunt, & vnà secum calorem vitalem &
natiuum, qui sua sponte sursum fertur, rapiunt, & ad interiora detrudunt.
quo facto creatur somnus. Itaque à cibo somnus altissimus & grauissimus
esse solet: itémque à labore. labor enim liquefacit, & quasi tabefacit. quic-
quid autem ex corpore liquecente deteritur, est veluti cibus non coctus,
& crudus. ET MVLTQ SOPOR ILLE GRAVISS.] Arist. eod. loco
μετὰ τὸ σίτησις ἔχουσιν ὁ πῆλος γίνεται. MAGNO CONTVSA LABOR]
codex Vatic. habet *concuſa*: vnde, suspicatur Muretus legēdam *concuſsa*. ce-
teri scripti cum vulgatis cōsentiant. CONIECTVS PORRO ANIMAI
ALTIOR] id est anima in altiores & interiores partes cogitur, & colligi-
tur, seu contruditur. altior, id est abstrusior, reconditior. nonnulli libri ta-
men habeant *Arctior*.

*Et cui quisque ferè studio deuinctus adheret:
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati:
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens:
In somnis eadem plerunque videmur obire:
Causidici causas agere, & componere leges:
Induperatores pugnare, ac prælia obire:
Nauta contractum cum ventis degere bellum:
Nos agere hoc autem: & naturam quærere rerum
Semper, & inuentam patriis exponere chartis.*

Cetera

*Cetera sic studia, atque artes plerunque videntur
In somnis animos hominum frustrata tenere.
Et quicumque dies multos ex ordine ludis
Assiduas dederint operas: plerunque videmus,
Cum iam destiterint ea sensibus vsurpare,
At reliquas tamen esse vias in mente patentis,
Quæ possint eadem rerum simulacra venire.
Per multos itaque illa dies eadem obuersantur
Ante oculos, etiam vigilantes vt videantur
Cernere saltanteis, & mollia membra mouenteis:
Et citbaræ liquidum carmen, chordasque loquenteis
Auribus accipere, & confessum cernere eundem,
Scenaiq̃ simul varios splendere decores.
Vsq̃ eadem magni refert studium, atque voluntas,
Et quibus in rebus consuerint esse operati
Non homines solum, sed verò animalia cuncta.
Quippe videbis equos forteis, cum membra iacebunt,
In somnis sudare tamen, spirareque sæpe,
Et quasi de palma summas contendere vireis:
— Tunc quasi carceribus patefactis sæpe quiete:
Venantūmque canes in molli sæpe quiete
Lactant crura tamen subito, vocēsque repente
Mittunt, & crebras redducunt naribus auras,
Vt vestigia si teneant inuenta ferarum.
Expergefactique sequuntur inania sæpe
Ceruorum simulacra, fugæ quasi dedita cernant:
Donec discussis redeant erroribus ad se.
At consuetæ domi catulorum blanda propago
Degere, sæpe leuem ex oculis, volucrumque soporem
Discutere, & corpus de terra conripere instant,
Proinde quasi ignotas facies, atque ora tuantur.
Et quàm quæque magis sunt aspera semina eorum:
Tum magis insomnis eadem seuire necessum est.*

X x

*At varia fugiunt volucres, pennisque repente
Sollicitant diu dum nocturno tempore lucos,
Accipitres somno in leni si praelia, pugnaeque
Edere sunt perfectantes, visæque volantes.*

ET CUI QVISQVE F. ST. DE VINCTVS ADH.] sic restitui ex auctoritate quinque librorum manuscr. Cum somnia sint (vt ait Arist.) reliquæ earum rerum, quas vigilantes sensu percipimus: vel (vt idem Aristoteles definit) visæ ex motionibus rerum à vigilantibus sensu perceptarum animantibus inter dormiendum obiecta, quæ dormiunt: cumque ea quæ à vigilantibus sensu percepta sunt, non statim vt sensus afficere desierunt, euanescent, sed aliquantisper manent: quemadmodum, si rem aliquam mobilem agitaueris, non continuò simulatque eam mouere desieris, & manum continueris, ea quoque conquiescit: non est mirum dormientibus nobis eorum imagines obici, quæ vigilantes aut egimus, aut locuti sumus, aut cogitauimus. Cum his Lucretianis congruunt illa Claudiani. *Omnia quæ sensu voluntur vota diurno, Pectore sopito reddit amica quies. Venator defessa toro cum membra reponit, Mens tamen ad siluas, & sua lustra redit. Iudicibus lites: auriga somnia currus, Vanæque nocturnis meta cauetur equis.* Sic ferre & Ennius. *Quæ in vita vsurpant homines, cogitant, curant, vident, Quæ que agunt vigilantes, agitantque, ea si cui in somno accidunt, Minus mirum est.* CONTENTA] attenta, defixa. sup. nisi se contendit, acute Cernere non potis est animus. DEGERE BELLVM] quidam libri scripti *degere velum*: quidam *degere velum*. de qua proxima scriptura iudicet lector. NOCAGERE HOC] nos autem hoc agere, nempe naturam rerum querere. ET QVICVNQVE DIES] Et quicunque (inquit) dies aliquot, tragædos au comædos spectauerint, eosque recitantes audierint, vbi desierunt spectare & audire, sibi tamen eisdem spectare, & cantores, fidicines, ac tibicines audire videntur. SENSIBVS VSVRPARRE] oculis, & auribus percipere. sic Plaut. Trinum. *quas ego neque oculis, neque pedibus vnquam vsurpari.* Lucretius lib. 1. *nec frigora quimus vsurpare oculis.* AT RELIQUAS] cod. Bertin. & Memm. habent *Reliquas tamen esse vias.* Vatican. *Reliquias tamen esse vias in mente patentes:* quæ posterior scriptura fortasse non est reiicienda. CHORDASQVE LOQUENTEIS] tralatio est. Catullus ad arborem vento agitaram transtulit carm. ad Faselum: *Loquente saepe sibilum edidit coma.* DECORBS] pulchritudines, species decoras, & venustas. VSQVE ADEO MAGNI REFERT] vsque aded magnū momentum affert cuiusque studium, ac voluntas: vel vsque aded interest quo quisq; studio teneatur, quæque voluntate sit. OPERATI] occupati, in opere versari. SPIRARRE QVE SAEPE] libri manu scripti tres habent, *spirareque semper.* ego nihil muto. ET QVASI DE PALMA] id est de victoria, sic restitui cum in tribus libris manuscriptis reperissem scriptum *palmas.* TVM QVASI CARCERIBVS] versus hic tollendus, vt spurcius. Atque vt magis intelligas eum esse inculcatum, is qui deinceps sequitur, qui est germanus Lucretianus,

aberat à Bertiniano. licet tamen cum retinere, & ita legere: *Tum quasi carceribus patefactis tempore puncto, vt lib. 2. Nonne vides etiam patefactis tempore puncto Carceribus, &c.* VENANTVM QVE CANES] prouerb. *κῶν ἀγῶν ὄνειδος*: id est canis prædā somniæ. ET CREBRAS REDDVCVNT NARIBVS AVRAS] crebrò respirât. crebrò attrahunt aërem quasi odorantes ferarum vestigia. Bertinianus habet *& crebrò reddunt naribus auras.*

ERRORIBVS] sic restituit Adr. Turnebus, cum in libris omnibus legatur *terroribus.* AT CONS. DOMICAT.] locutus est de canibus venaticis: nunc de iis, qui domui custodiendæ præponuntur, & de domesticis.

DEGERE, SAEPE LEVEM EX OC. VOLQVE SOP.] hunc versum restitui, qui hoc loco desiderabatur, vt videbunt, qui superiora cum iis quæ sequuntur conferent, & sensum Lucretij considerabunt. Iam verbum *discutere* perspicue non habebat nomen, cum quo cohæreret, vt *somnum*, aut simile. nam neque *corpus discutere*, neque *discutere* sine nomine aliquo accusandi casus, cõstare potest. CONRIPERE] vt hic Lucretius *corpus corripere* è terra, sic Virg. *Aeneid. 3: Corripio è stratis corpus.* Iterum Lucret. lib. 3. *Conripere ex somno corpus, mutatæque vultum.* ibid. *Quin conreptus homo ex somno, &c.* PROINDE QVASI IGN.] rectè dixit ignotas facies. nam canibus ignoti omnes etiam ij, qui nunquam læserunt, hostium sunt loco, vt scribit Plato lib. 2. de rep. ET QVAM QVAEQVE MAGIS] sic reposui, etiã repugnãtibz libr. omnibus. sic enim legi debet, vt docui in scholiis ad lib. 1. SEMINA EORVM] libri scripti quinque habent *seminiorum*, vt fortasse legendum sit *seminia horum.* PENNISQVE REPENTE] libri scripti habent *pinnisque.* SOLLICITANT DIVVM NOCT.] timore & pauore lucos complent somniantes sibi à tergo instare accipitres insectâteis. ACCIPITRES SOMNO IN LENI] profert hunc versum Nonius, vt probet nomen *accipitres* vsurpari interdum in gen. sæmin.

Porrò hominum mentes magnis quæ motibus edunt?

Magna etenim sæpe in somnis, faciuntque geruntque.

Reges expugnant, capiuntur, praelia miscunt:

Tollunt clamores, quasi si iugulentur ibidem.

Multi depugnant, gemitusque doloribus edunt:

Et quasi pantheræ morsu, sæuivæ leonis

Mandantur, magnis clamoribus omnia complent.

Multi de magnis per somnum rebus loquuntur:

Indiciòque sui facti persæpe fuere.

Multi mortem obeunt: multi, de montibus altis

Se quasi præcipitent ad terram corpore toto,

Exterrentur, & ex somno quasi mentibus capti,

Vix ad se redeunt permoti corporis aestu.

Flumen item sitiens, aut fontem propter amoenum
 Adsidet, & totum prope faucibus occupat amnem.
 Pusi saepe lacum propter, se, ac dolia curia
 Somno deuincti credunt extollere vestem,
 Totius humorem saccatum vt corpori fundant:
 Cum Babylonica magnifico splendore rigantur.
 Tum, quibus atatis freta primitus insinuantur,
 Semen vbi ipsa dies membris matura creauit:
 Conueniunt simulacra foris è corpore quoque
 Nuncia praeclari vultus, pulchrique coloris:
 Qui ciet irritans loca turgida semine multo:
 Vt quasi transactis saepe omnibus rebus profundant
 Fluminis ingentis fluctus, vestemque cruentent.

[PORRO HOMINVM MENTES] redit ad hominum somnia. INDICIOQUE SVI FACTI] id est & saepe suum factum indicauerunt. M. Tull. Topicis. & per somnum, vinum, insaniam, multa saepe patefacta sunt. Lucr. lib. 5. Quippe vbi se multi per somnia saepe loquentes, Aut morbo delirantes procraxe ferantur. PUSI SAEP E LACVM P.] cum in libris scriptis reperissem scriptum Pusi, sciramque veteribus pueros, pufos, & pufiones, & pufos, esse dictos, vt etiam Isidorus docet, in voce *pupus*: sic à Lucretio esse scriptum putavi, vt excudendum curavi. Pusum autem, & pufam: puerum & puellam significare, intelligere licet etiam ex illo. epigramatio Pomponij in Casca adolescentem: quod extat apud Varr. lib. 6. de ling. Lat. *Ridiculum est quod te Cascum tua dicit amica Casca Philotoni ipsa senex puerum. Dic tu illam pufam: sic fiet, mutua muli: Nam verè pufus tu, tua amica senex est.* licet etiam hoc loco legere *pupi*. fuit enim facilis lapsus à P littera in R. Ne Turnebi quidem sententia mihi displicet, existimantis nihil esse mutandū, & *puri* legendum, dixerūt enim (vt ait ille) veteres *puri* pro pueri, vnde *pulli*. Pueri igitur (inquit) saepe putant se in somnis prope lacum, ac dolia vestem attollere, vt meiant, cum interea vesteis stragulas & lectum lotio madefaciunt, & commeiunt. Fuisse Romæ, cum aliis in vrbis locis, tum in angiportis dolia quædam breuia, & amphoras, & similia vasa meiciendi causa comparata, ac disposita, declarant illa verba ex oratione C. Titij apud Macrob. lib. 3. cap. 17. *Dum eunt, nulla est in angiporto amphora, quam non impleant: quippe qui vesicam plenam vini habeant.* TOTIVS HUMOREM SACCATVM, &c.] sic esse legendum. indicauit mihi Adr. Turnebus coniectura facta ex cod. Bertiniani scriptura, *saccutum*. lorium autem significat, quod nihil aliud est, quàm humor corporis saccatus, id est per totum corpus quasi per saccum percolatus. Atque hoc eodem nomine lorium appellat Arnobius lib. 2. aduersus Gentes, de

animab. loquens: *Corporibus inuoluta inter pituitas & sanguinem degevent: inter stercoreis hos vires, & saccati obscenissimas serias.* CVM BABYLONICA] vestes stragule aucte ex Babylonia, diuersis coloribus intertis picte. Plaut. Stich. *Tum Babylonica peristromata.* Plin. lib. 8. cap. 48. *Colores diuersos pictura intexere Babylon maxime celebravit, & nomen imposuit.* Martialis. *Babylonia picta superbe Texta, Semiramia qua variantur acu.* RIGANTVR] lotio cōsparguntur à pueris somniantibus. TVM, QVIBVS AETATIS FRETA] Tum adollescens (inquit) quibus freta: id est æstus, & feruores ætatis primum insinuantur, &c. id est qui incipiunt rebus Venereis idonei esse. *Fretum* (inquit Varro) à similitudine feruentis aqua, quod in fretum saepe concurrat æstus, atque effervescat. NUNCIA PRAECLARI VULTVS] id est quæ nuncium formæ alicuius eximia ad eorum animos in somnis perferūt. *nuncia*, id est nunciantia: adiectiuum est, nuncius a, um. QVI CIET] qui vultus eximius, quique color pulcher commouet irritando loca, in quibus inest semen vitile. Nam per loca hoc loco sedeis eas virileis in quas semen virile iam concoctum, & ad gignendum aptum confluit, significat. Alias per loca magis propriè membra muliebria significantur. inf. eod. lib. *quia sic loca sumere possunt Pectoribus positis.* TVRGIDA] feminis & spiritus plena. Horat. saty. 7. lib. 2. *turgentis verbera cauda.* VT QVASI TRANSACTIS] adeo vt, quasi re Venerea transacta, & ad extremū perducta, profundat semen. *ἔξωρεπόσενον*: id est feminis profusionem nocturnam, & in somnis factam significat tectis verbis: quam describit Horat. simplicius saty. 5. lib. 1. *somnus tamen aufert Intentum Venere: tum immundo somnia visu Nocturnam vestem maculant, ventremque supinum.* FLVMINIS INGENTEIS FLVCIVS] id est magnam copiam feminis fluentis. quidam tamen legendum censent *Seminis ingentis fluctus.*

*Sollicitatur id in nobis, quod diximus antè,
 Semen, adulta etas cum primum roborat artus.
 Nanque alias aliud res commouet, atque lacebit:
 Ex homine humanum semen ciet vna hominis vis.
 Quod simulatque suis eiectum sedibus exit:
 Per membra, atque artus decedit corpore toto
 In loca conueniens neruorum certa, cietque
 Continuo parteis genitais corporis ipsas.
 Irritata tument loca semine, fitque voluntas
 Eicere id, quò se contendit dira libido:
 —Incitat irritans loca turgida semine multo,
 Idq̄ petit corpus mens, vnde st saucia amore.
 —Nanque omnes plerunque cadunt in volnus, & illam
 —Emicat in partem sanguis, vnde icimur ictu,*

— *Et si comminus est, hostem rubeo occupat humor.*
Sic igitur, Veneris qui telis accipit ictum,
Sive puer membris muliebribus hunc iaculatur,
Seu mulier toto iactans è corpore amorem,
Vnde feritur, eò tendit, gestitque coire,
Et iacere humorem in corpus de corpore ductum.
Nanque voluptatem praesagit multa Cupido.
Hæc Venus est nobis: hinc autem est nomen amoris:
Hinc illa primum Veneris dulcedinis in cor
Stillavit gutta, & successit frigida cura.
Nam si abest, quod ames: prestò simulacra tamen sunt
Illius, & nomen dulce obuersatur ad aureis.

ADULTA AETAS CVM PRIM. ROB.] semen commouetur, & excitatur ineunte iuuentate, seu initio ætatis adultæ & corroboratæ. FIT-
 QVE VOLVNTAS] sic habet quinque libri manuscr. quibuscum cõsen-
 tiunt omnes typis excusi præter Florent. qui habet, *sitque voluptas*. INCI-
 TAT INRITANS, &c.] hunc versum ex illo qui paullo antè positus est,
 inepte à nescio quo, alieno loco repetitum, delendum censeo. NAM QVE
 OMNES PLERVNQVE] hunc versum & duos deinceps sequentes, vt
 spurios, delendos censeo, fuerunt enim adiecti ab aliquo inepto, qui puta-
 ret aliquid deesse ante versum illum: *Sic igitur, &c.* quasi Lucretius vt vo-
 luisset similitudine hominis ab altero vulnerati, cuius sanguis continuò in
 percussorem propinquum redundaret. sed neque Lucretius vt voluit illa
 similitudine, nisi quòd dixit mætem id corpus petere, vnde est saucia amo-
 re: neque hi versus satis significant, quòd voluit eorum auctor. Præterea
 illud, *Omnes plerumque cadunt*, ineptè dictum est. sic potius dictum oportuit,
omnes plerique. Terent. Andr. *quod plerique omnes faciunt adolescentuli*. Cæsar
 lib. 2. de bello Gall. *Nam plerisque omnibus Gallis præ magnitudine corporum suo-
 rum breuitas nostra contempti est*. præterea illud *icimur ictu* impropiè, & inu-
 sitatè dictum est. Tùm hoc totum. *Etsi comminus est, hostem*, siue, vt habent
 alij lib. *os tum rubeo, &c.* neque satis Latinè dictum est, & obscurum est. De-
 nique tota elocutio, & sententia horum versuum frigida, & incòcinna est.
 VENERIS QUI TELIS ACC. ICTVM] qui amat: qui amore saucius
 est. Virgil. lib. 4. Æneid. *At regina graui iandudum saucia cura Vultus alit ve-
 nis*. SIVE PVER MEMBR. MVL.] siue hic pueri amore captus est, vt
 eius flore ætatis abutatur ad rē venerem, &c. MEMBRIS MVLIEBRI-
 BVS] membris mollibus, qualia sunt muliebria: vel parte postica. τῶν ὀπίσ-
 κτην. IACVLATVR] tanquam iaculo ferit. translatio. propriè Horatius
 posuit od. 2. lib. 1. *sacras iaculatus arcis*. NAM QVE VOLVPT. PRÆ-

AGIT] duo libri manuscr. habent: *Iamque voluptatem praesagit muta Cupido.*
 HINC AVTEM ST NOMEN] cod. Vatic. & Faërn. habent, *hinc mite est*
nomen amoris. HINC ILLAE PRIMVM VEN.] secutus sum libros quat-
 tuor manuscriptos, qui partim sic habent, *Hinc illa primum Veneris, &c.* par-
 tim sic: *Hinc illam & primum, &c.* illa enim & illam & deprauata sunt ex il-
 la. illa autem pro illius positum, vt paullo pòst: *rabies vnde illa germ. surg.*
 FRIGIDA CVRA] liber Memmianus habet, *feruida cura*. ego nihil mu-
 to. sic enim Horat. epist. ad Iul. Florum lib. 1. *Frigida curarum fomenta velin-
 que posses*. NAM SI ABEST,] in particula si, i, non eliditur, & corripi-
 tur sequente vocali. sic lib. 5. *Nam si, vt ipsa petit maestas cognita verum.* &
 lib. 2. *Viuam progeniem qui in oras luminis edant.*

Sed fugitare decet simulacra, & pabula amoris
Absterrere sibi, atque aliò conuertere mentem.
Et iacere humorem conlectum in corpora quæque:
Nec retinere semel conceptum vnus amore:
Et seruare sibi curam, certumque dolorem.
Vlcus enim viuescit, & inueterascit alendo,
Inq̃ dies gliscit furor, atque erumna grauescit,
Si non prima nouis conturbes vulnera plagis,
Volgiuagâque vagus Venere antè recentia cures,
Aut aliò possis animi traducere motus.
Nec Veneris fructu caret is, qui vitat amorem:
Sed potius, quæ sunt sine pœna, commoda sumit.
Nam certa, & pura est sanis magis inde voluptas:
Quàm miseris. etenim potiundi tempore in ipso
Fluctuat incertis erroribus ardor amantum:
Nec constat quid primum oculis, manibusque fruantur.
Quod petiere, premunt arcète, faciuntque dolorem
Corporis, & denteis inlidunt sæpe labellis,
Osculâque adfigunt, quia non est pura voluptas:
Et stimuli subsunt, qui instigant ledere id ipsum,
Quodcunque est, rabies vnde illa germina surgunt.
Sed leuiter pœnas frangit Venus inter amorem,
Blandâque refrenat morsus admista voluptas.
Nanque in eo spes est, vnde est ardoris origo,

Restingui quoque posse ab eodem corpore flammam.
 Quod fieri contra coram natura repugnat:
 Vnaque res hæc est, cuius quàm pluria habemus,
 Tam magis ardescit dira cuppedine pectus.
 Nam cibus, atque humor membris adsumitur intus:
 Quæ quoniam certas possunt obsidere partes,
 Hoc facile expletur laticum, frugumque cupido:
 Ex hominis verò facie, pulchròque colore,
 Nil datur in corpus præter simulacra fruendum:
 — Tenuia, quæ vento spes raptat sæpe misella.
 Ut bibere in somnis sitiens cum querit, & humor
 Non datur, ardorem in membris qui stingere possit:
 Sed laticum simulacra petit, frustra que laborat:
 In mediòque sitit torrenti flumine potans.
 Sic in amore Venus simulacris ludit amanteis:
 Nec satiare queunt spectando corpora coram:
 Nec manibus quicquam teneris abradere membris
 Possunt, errantes incerti corpore toto.
 Denique cum membris conlatis flore fruuntur
 Aetatis: cum iam præ sagit gaudia corpus,
 Atque in eo est Venus, ut muliebria conserat arua:
 Adfigunt avidè corpus, iungunt que salivas
 Oris: & inspirant pressantes dentibus ora,
 Ne quicquam, quoniam nihil inde abradere possunt,
 Nec penetrare, & abire in corpus corpore toto.
 Nam facere interdum id velle, & certare videntur:
 Usque adèdè cupidè Veneris compagibus hærent,
 Membra voluptatis dum vi labefacta liquefcunt.
 Tandem ubi se erupit nervis conlecta cupido:
 Parua fit ardoris violenti pausa parumper.
 Inde redit rabies eadem, & furor ille reuifit:
 Cum sibi, quod cupiant ipsi, contingere querunt:
 Nec reperire, malum id possunt quæ machina vincat.

Usque-

Usque adèdè incerti tabescunt vulnere caco.

SED FUGITARE DECET] Quàm pulchris versibus, quàm graui-
 bus sententiis deterret nos ab amore Lucretius? quàm apertè, & luculentè
 amantium furorem, insaniamque ob oculos proponit? quàm doctè, & pe-
 ritè amoris incommoda, & molestias enumerat? quàm meritò & verè eius-
 dem voluptates extenuat, eleuat, ac deprimit? quàm perspicuè amantium
 in re ipsa venerea transigenda, atque in ipso corporum complexu rabiem
 describit? Digni versus, qui accuratè legantur, atque ediscantur: digna præ-
 cepta, quæ & iuuenes, & viri his leuitatibus amatoris dediti penitus in ani-
 mo recondant. proderit etiam legere, quæ scripta sunt in amorè à M. Tull.
 lib. 4. Tuscul. ABSTERRERE SIBI] sic quidè habent libri omnes &
 manuscr. & vulgati. sed videtur mihi legèdum esse *Abstergere sibi*. hoc enim
 loquendi genus est insolens, & prope absolum, *absterrere sibi pabula amoris*,
 pro eo quod est à se depellere: alterum autem *abstergere sibi amorem*, & *abster-
 gere amoris pabula*, ita consonum, atque vsitatum, ut *abstergere molestiam*, *dolo-
 rem*, *metum*, *luctum*. dixit tamen inf. eod. lib. in extr. *Nec diuina satum genita-
 lem numina cuiquam Absterrant*, &c. si cui forte illud huic simile videatur.
 ET IACERE HUMOREM CONLECTVM] secutus sum duos codices
 manuscriptos. mihi tamen non displicet amici cuiusdam mei coniectura,
 qui putat legendum *congestum*: quam adiuuat codex Memmianus. ceteri li-
 bri manuscr., & item vulgati habent *coniectum*. NEC RETINERE SE-
 MEL CONCEPTVM] sic habet codex manuscr. Memmianus, & typis
 excusi Florentini: quos secutus sum. nam *conuersum*, ut habent ceteri, mihi
 non probatur. ne hoc quidem dissimulabo, ad oram libri Memmiani an-
 notatas esse has varias lectiones, *congestum*, *conceptum*, *concertum*. VNIVS
 AMORE] sic habent tres lib. manuscr., & nonnulli vulgati. alij *amorem*.
 ATQVE AERVMNA GRAVESCI] verbum aptissimum nomini
arumnae adiunxit. SI NON PRIMA NOVIS] id est, si non veterè amo-
 rem nouo amore deleas ex animo. sic M. Tull. lib. 4. Tuscul. *etiam nouo quo-
 dam amore veterem amorem tanquàm clauo clauum eiiciendū putant*. NAM CER-
 TA, ET PVRA ST] Nihil inuito, tamen si tres libri manuscr. habeant:
 Nam certe pura st. ET ENIM POTIVNDI TEMPORE] quàm sit mise-
 rum amare, vel hoc vnum satis arguit ac declarat, quòd eo ipso tempore,
 quo voluptate tant opere expetita atque exoptata potiuntur ac fruuntur, eo
 (inquam) ipso tempore se mutuò mordent, vellicant, & cruentant. ET
 DENTIBUS INLIDVNT SÆPE LAB.] Horat. od. 13. lib. 1. *sive puer fu-
 rens Impresit memorem dente labris notam*. Plaut. Curculione. *Pariter hos perire
 amando video. vterque insaniunt. Viden' ut misere moriuntur? neque queunt com-
 plecti satis?* Idem Mil. glor. *labra labellis ferruminavit*. Idem Pseudolo. *Nam
 ubi amans complexus amantem: ubi ad labra labella adiungit*, &c. interdum etià
 linguam linguæ admouent, duplices ut linguas habeant, quemadmodum
 idem Plautus loquitur A sin. QVOD CVNQVE EST, RABIES VN-
 DE ILLAE GERMINA SVRGVNT] sic restitui ex auctoritate quin-
 que librorum manuscr. à quibus non admodum dissentiunt codices vul-

Yy

gati Paris. & Veneti antiq. *rabies* autem positum accipio pro rabiei. præterea illa generandi casus est fæmin. generis antiquus: de quo sup. lib. 2. ibi *maç, figura*: ut sit hæc totius huius loci sententia. Et stimuli subsunt (inquit) qui amanteis incitant, atque impellunt, ut id ipsum lædât, unde rabiei illius germina oriuntur, atque auferuntur, quodcunque illud tandem fit, siue color, siue facies, siue pars alia aliqua corporis. nomina autem quintæ sic inflentur antiqui, ut alibi diximus: rabies in casu recto: rabies, & rabie, & rabiei, & rabij in patrio. SED LEVITER POENAS] id est sed Venus, & res Venerea posnarum, & doloris sensum aufert, aut certe minuit. CUIVS QUAM PLURIMA HABEMVS, TAM MAGIS] sic restitui, tres libros manuscriptos secutus. ex vulgatis enim alij habent *cuius quo pluvia*: alij *cuius quàm plurima*: alij, itaque deterrimi, *cuius quo plurima*. NAM CIBVS ATQVE HV M.] Ostendit dissimilitudinẽ eius voluptatis, quæ percipitur ex cibo & potu, ab ea, quæ proficiscitur è re Venerea, hoc modo. cibis & potus (inquit) in corpus eius qui est, & bibit, assumuntur: & in ventrem intromissi, certas corporis sedes occupant: quo fit ut fames & sitis expleantur cibo & potu: & ita desinat animans esurire, & sitire. At, qui amat nihil ex ore, ex grato colore eius, quam amat, detrahere, ac demere potest, præter inania quædam simulacra: quæ nullum locum occupant. quare amantem fatiare atque explere non possunt. ASSVMITVR INTVS] fortasse legendum *intro*. PRÆTER SIMVLACRA FRVENDVM] secutus sum codices quattuor manuscriptos, & omneis vulgatos. nam Vaticanus habet *ferendum*. ex qua scriptura suspicatur doctus quidam legendum *ferendum*, *ferendum* autem interpretatur, auferendum, ut ibi apud Horat. epist. ad Iul. Florum. *Prima feret edera vitricis premia*. & epist. 2. lib. 2. *non temere à me Quiuis ferret idem*. & Virg. lib. 5. *magnum dat ferre talentum*. TENVIA] proceleumaticus pro dactylo, aut spondeo, ut sæpe aliàs: vel dicendum u esse consonantem. QUAE VENTO SPES RAPTAT SÆPE] si hæc scriptura emendata est, aut verò si hic versus Lucretianus est, sic videtur explicandus: quæ simulacra tenuia spes misella sæpe raptat vento: id est in ventum, seu cum vento. quæ tamen sententia absurda est. videtur enim ita potius dicere debuisse Lucretius: quæ simulacra vnà cum spe ventus sæpe rapit, & dissipat. quidam amicus meus putabat tolerabiliorem fore scripturam, si ita legatur: *quæ in ventos spes raptat sæpe misella*. sed etiam in hac lectione hoc inest vitij quòd spes amantium non raptat simulacra in ventos: sed ipsa spes sæpe vnà cum simulacris videtur quasi à ventis raptari. ego malim hoc modo legi: *quæ ventus spes raptat sæpe misella*: ventus spes autem: id est ventus spei, ut per ventum spei, spem leuem, & incertam, & fallacem intelligamus. Omnino locus hic mihi valdè suspectus est, neque puto hunc versum esse Lucretianum: eoque sublato planissima sententia est. STINGVERE] restinguere. eodem verbo alibi iterum atque iterum utitur, ut lib. 2. *Evanescere paulatim, stringitque colorem*. TORRENTI FLVMINE] codex Bertiniano habet *torrentis*, mendose. ABRADERE] auferre, detrahere. FLORE FRVNTVR AETATIS] florem ætatis appellat, quem Græci *ἄγρον* & *ὄρωρον* dicunt. Horat. od. 5. lib. 3. *iam tibi lividos Distin-*

guet autumnus racenos Purpureo varius colore. Sed nõ dissimulabo in cod. Bertiniano legi *tuuntur*: in Memmiano, *luuntur*: quarum lectionum rationem nondum cogitando explicare potui. IAM CVM PRÆSAGIT] cum in quibusdam codicib. manu scr. reperissem partim *dum iam*, partim *iam dum*: reposui *iam cum*: quæ scriptura perspicuè vera est. nam sententia adhuc pendet. *iam dum* autem non quadrat. *dum* enim significat perpetuitatem & continuationem quandam, & spatium temporis. *cum* autem, punctum, & articulum temporis, quo aliquid fit, aut agitur. cum iam (inquit) corpus prælagit, id est præsentit, & præcognoscit voluptatem rei veneræ propinquam. ATQVE IN EO ST VEN. VT MV L. CONS.] Verecundè re obscenam circumlocutus est. significat enim tempus, quo vir inibi est, ut semen in loca muliebria profundat. ARVA] sic Virg. Georg. 3. *obtusus vsus Sit genitali arvo*. NAM FACERE INTERDVM] nam videntur (inquit) interdum hoc facere velle, nempe alter in corpus alterius corpore toto penetrare & introire. LIQVESCVNT] sic habent aliquot libri manuscr. & typis excusi. quam scripturam si quis probabit, versus, *Vsq̄ aded cupidè*. legetur *ἄπρωμαπρωμα*: hoc sensu. tam cupidè inter se coheret Veneris vinculis astricti: idque tandiu dum membra vi voluptatis labefacta liquecunt, & quasi in humorem resoluuntur. in aliis libris scriptum est, liquecant: quam lectionem sic explico, ut coniungam hoc torum *vsque aded dum*, cum verbo *liquecant*, hoc modo: *vsque aded dum*, id est *vsque ed*, seu *vsque ad id tempus, dum*: id est donec membra liquecunt, &c. TANDEM VBI SE ERVPIT NERVIS] sic libri quidem ferè omnes: sed tamè amicus quidam meus legendum putat, *se eripuit*. atq; hæc lectio à Petro Cádido in codicibus Florent. in calce libri annotata est. quale est illud, *se duxit foras* apud Terent. & illud, *quòd nunc se proripit ille* apud Virg. & illa vtitatissima *contulit se domum, in urbem, rus, &c.* ego tamen nihil mutandum censo. CONLECTA CVPIDO] alij libri habent *coniecta cupido*, quod idem valet. PAVSA] intermissio, *ἀνάπαυσις*. ut sup. lib. 2. *nec dare pausam Conciliis*. QUAE MACHINA] quæ ratio, quod inuentum, quæ ars, *τίς μηχανή*. sup. lib. 3. *Nam tibi præterea quod machiner, inveniámque, &c.*

*Addẽ quòd absumunt vires, pereuntque labore.
Addẽ quòd alterius sub nutu degitur ætas.
Labitur interea res, & vadimoniam fiunt.
Languent officia, atque ægrotat fama vacillans:
Vnguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia rident:
Scilicet & grandes viridi cum luce smaragdi
Auro includuntur, teriturque Thalasina vestis
Ad sudorẽ, & Veneris sudorem exercita potat:
Et bene parta patrum sunt anademata, mitra:*

*Interdum in pallam, ac Melitensia, Cæaque vertunt.
 Eximia veste, & victu conuiuia, ludi,
 Pocula crebra, unguenta, coronæ, ferta parantur:
 Nequicquam, quoniam medio de fonte lepōrum
 Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat:
 Aut cum conscius ipse animus se forte remordet,
 Disidiose agere etatem, lustrisque perire:
 Aut quòd in ambiguo verbum iaculata reliquit:
 Quod cupido adfixum cordi viuiscit, vt ignis:
 Aut nimium iactare oculos, aliūmve tueri
 Quòd putat, in voltuque videt vestigia risus.
 Atque in amore mala hæc proprio, summèque secundo
 Inueniuntur: in aduerso, verò, atque inopi sunt,
 Prendere quæ possis oculorum lumine aperto
 Innumerabilia: vt melius vigilare sit antè,
 Quæ docui ratione, caueréque, ne inliciaris.
 Nam vitare, plagas in amoris ne laciamur,
 Non ita difficile est, quàm captum retibus ipsis
 Exire: & validos Veneris perrumpere nodos.*

ADDE QVOD ABSVMVNT] sic lib. 5. Et Venus imminuit vireis. sic Epicurus. ἡ συνουσία ὀνησιμὴ μὲν ἔστι πόσις ἀγαπῶντων δ' εἰ μὴ ἔβλαψῆ: id est cōcubitus, & vsus rei Venereæ profuit nunquam: bene agatur cum homine si non etiam nocuerit. ALTERIVS SVB NVTV] alterius arbitrato: sub alterius imperio, & dominatu. nam seruiunt amātes. LABITVR INTEREARE S] res familiaris dilabitur, dissipatur, perit. sic Plautus Trin. Quam exemplū sanis sagittis percussus est, illico res foras labitur, liquitur. da mihi hoc mel meum, si me amas, si audis. Ibi ille cucullus, ocella mi, fiat, & si amplius vis dari, Dabitur. ET VADIMONIA FIVNT] amantes contracto ære alieno vocantur in ius: & datis vadibus promittunt se iudicij diem obituros, atque in iudicio staturōs: vel vades dati promittunt se prodigum illum amatorē, ad extremam iam egestatem redactum, & à creditoribus in ius vocatum, in iudicio stituros. Horat. saty. 1. lib. 1. Ille, datis vadibus qui rure extractus in urbem est &c. AEGROTAT FAMA VACILLANS] ægrotat, ὀσεί. tralatio est à corpore. quo verbo sæpe vtitur Demosthenes pro disidiis & seditionibus laborare. sic Varro lib. 1. de vita populi Ro. apud Non. in verbo, distrahere. Distractioe ciuium elanguescit bonum proprium ciuitatis, atque ægotare incipit, & consensescere. sed non celabo lectorem in vno libro manufr. ver-

sum Labitur interea res, &c. ordine conuerso legi post hunc, Languent officia &c. Ostendit autem Lucretius amāteis neque rei, neque famæ parcere, sed vtriusque iacturam facere: quod item pluribus versibus docet Horat. lib. 1. saty. 2. Vt quondam Marsæus amator Originis, ille, Qui patrium mimæ donat fundumque, Larémque, Nil fuerit mi (inquit) cum vxoribus vnquam alienis: Verum est cum mimis, est cum meretricibus, vnde Fama malum grauius, quàm res trahit, &c. SICYONIA] calcei Sicyonij. M. Tull. de orat. lib. 1. Sed vt si mihi calceos Sicyonios attulisses, non vtever, quanuis essent habiles, & apti ad pedem, quia non essent viriles: sic illam orationem disertam sibi, & oratoriam videri: fortem & virilem non videri. Lucill. Et pedibus Sicyonia demit honesta. RIDENT] renident, pulchra sunt. tralatio est. sup. lib. 1. princip. tibi rident æquora ponti. SMARAGDI] codices duo manufr. habent, smaragdi. THALASSINA VESTIS] vestis cærulei coloris. ET BENE PARTA PATRVM] & patrimonia, seu bona à patribus relicta, bene parta, dantur scortis, vt anademata, & mitras & simil. cōparent. Plaut. Epid. quid istuc mirabile est? Quasi non fundis exornata multa incedant per vias. Horat. saty. 2. lib. 1. Qui patrium mimæ donat fundumque, larémque. quem versus paullo antè protulimus. ANADEMATA] fasciæ, corollæ, redimicula. quanquam Festus docet redimicula à mulieribus vocari catellas, quibus vtuntur ornatus causa. quidam legi volunt anademata mitra continenter, & sine distinctione, & interpretatur vincula, quibus mitra vincitur, capitique religatur, vt mitræ sit numeri singul. patrij casus. INTERDVM IN PALLAM AC MELITENSIA, CÆAQVE VERTVNT.] sic restituit Adrianus Turnebus, seu Pellicerius, secutus vestigia veterum codicum. Sic enim habent Vaticanus, Tethianus, Faern. Interdum in pallam, atque allidens iacchiæque vertunt: quibuscum congruunt Veneti antiq. Bertin. sic: Interdum in pallam, alidensi acbiæque vertunt. Memmianus: Interdum in pallam, atque alidensia cbiæque vertunt. Vulgati autem variè deprauati sunt. alij enim habent: Interdum in pallam & qualos, & ianibina vertunt, vt Lugdunenses: alij Interd. in pall. & qualos & iacchia vertunt, vt Florent. & Vener. recentiores: alij Interdum in pallas & aclides, & iatria vertunt, vt Parisienses: quæ scriptura à Baptista pio homine nullius iudicij excogitata est. extat & hæc, Interdum in pallam, & stlitas, & iantina vertunt: cuius neque rationem, neque sententiam video. Sic igitur, vt excudèdum curauim, cum Adriano Turnebo legendum puto. Et tamen veterum codicum scripturas proposui, vt si quis ingeniosior veriore lectionem excogitare poterit, habeat paratum vnde adiuuari possit. Iam vesteis Melitenseis & Ceas in precio fuisse sciunt vel mediocriter docti. M. Tull. Verr. 4. de iure dicundo. Iam non quæro vnde cccc amphoras mellis habueris, vnde tantam Melitensum vestium, &c. ibid. sed tantumne Melitensum? quasi etiam amicorum vxores ornaturus esses, &c. Plin. lib. 4. de Cea insula. Ex hac (inquit) profectam deliciaiorem sœminis vestem auctor est Varro. EXIMIA VESTE, ET VICTV] si hic versus mendo caret, videtur esse hæc totius loci sententia: rem vestiarum, & facultates ad victum necessarias insunt in conuiuia, & opsonia: in ludos, in pocula, unguenta, coronas, ferta. MEDIO DE FONTE LEP. SVRG. A. M.] ex quo γλυκύπικρον illud amoris, à Græcis dictum: id est dulce

cum amaro coniunctum. sic Plaut. Mostell. Nanque castor amor & melle, & felle est sacundissimus. Gustu dat dulce: amarum ad satietatem usque aggerit. IN IPSIS FLORIBVS] *ἐν ταῖς τῶν ἠδονῶν ἀνικαῖς*, id est tum maxime cum amor suas delicias, suamque ambrosiam amatibus propinat. AVT CVM CONSOCIIVS] quid si legamus. Aut quod conscius ipse &c? sequitur enim, Aut quod in ambiguo, &c. LVSTRIS QVE PERIRE] in lustris & ganeis vitam contere, & corporis vireis absumere, & rem familiarem perdere. Festus. Lustra significant lamas lutosas, quae sunt in silvis, aprorum cubilia. à qua similitudine ij qui in locis abditi, & sordidis ventri, & defidia operam dant, dicuntur in lustris vitam egere. Plaut. Afin. Cano capite te cucullum vxor ex lustris rapit. AVT QVOD IN AMBIG.] id est aut quod ea quae amatur, aliquid ambiguo locuta est. AVT NIMIUM IACTARE, &c.] ordo est. Aut quod amator putat illam oculos nimium iactare, atque huc & illuc torquere, aliumque virum intueri. AT QVE IN AMORE M. H. PROP.] argumentum est à minori. Atque (inquit) in amore secando, & in quo omnia ex animi sententia procedunt, haec mala inveniuntur. quanto igitur plura & grauiora inesse credibile est in aduerso? IN OPI] *ἀμυχιδρω*, seu in eo in quo amator amica non potitur: quae summa miseria est. PRENDERE QVAE POSSIS OC. LVM.] id est quae oculis cernere queas: quae sunt in promptu posita, & manifesta. NE LACIAMVR] sic reposui ratione & veritate fretus. Lacio enim verbum est antiquum, teste Festo. sic enim ille, lacio (inquit) in fraudem inducit inde est allicere, laciat, delectat, oblectat. Idem. lacio decipiendo inducit. lax enim fraus est. NON ITA DIFF. EST QVAM] ita, quam: non ita, quam, genus loquendi rarum quidem, sed tamen non inusitatum veteribus. sic sup. lib. 2. extr. Nulli, ut opinor, ita haec species miranda fuisse. Quam tibi, quanquam nonnulli legendum censent, non tam difficile est, sed errant.

*Et tamen implicitus quoque possis, inque peditus
Effugere infestum, nisi tute tibi obuius obstes:
Et praetermittas animi vitia omnia primum:
Tum quae corpori sunt eius, quam percupis, ac vis.
Nam hoc faciunt homines plerunque cupidine caci:
Et tribuunt ea, quae non sunt his commoda verè.
Multi modis igitur prauas, turpesque videmus
Esse in deliciis, summoque in honore vigere.
— Atque alios alij invident, Veneremque suadent
— Ut placent, quoniam faedo adfluctantur amore:
— Nec sua respiciunt miseri mala maxima saepe.
Nigra μελιχροος est: immunda & foetida, ἀλοσμος:
Caesia, παλλὰ δειον: neruosa, & lignea, δορυδς:*

*Paruula, pumilio, χαρίτων μία tota, merum sal:
Magna, atque immanis, κατὰ τῶν ἀλιξίς, plenaque honoris:
Balba, loqui non quit, τραυλίξει: muta, pudens est.
At flagrans, odiosa, loquacula λαμπράδιον fit.
Ισχὸν ἐρωμένιον tum fit, cum viuere non quit
Præmacie. παδὼν verò est, iam mortua tuisti.
At gemina, & mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho.
Simula, σιλῆν, ac satyra: st: labiosa φιλῆμα.
Cetera de genere hoc longum est, si dicere coner.
Sed tamen esto iam quantouis oris honore,
Cui Veneris membris vis omnibus exoritur:
Nempe alia quoque sunt: nempe hac sine viximus antè:
Nempe eadem facit, & scimus facere omnia turpi:
Et miseram tetrus se suffit odoribus ipsa:
Quam famula longè fugitant, furtimque caccinnant.
At lacrymans exclusus amator limina saepe
Floribus & sertis operit, posteisque superbos
Vnguit amaracino, & foribus miser oscula figit.
Quem si iam admissum veniens offenderit aura
Vna modò, causas abeundi quærat honestas:
Et meditata diu cadat altè sumta querela:
Stultitiæque ibi se damnet, tribuisse quod illi
Plus videat, quam mortali concedere par est.
Nec Veneres nostras hoc fallit, quo magis ipsæ
Omnia summopere hos vitæ postscenia celant,
Quos retinere volunt, adstrictosque esse in amore:
Nequicquam, quoniam tu animo tamen omnia possis
Protrahere in lucem, atque omneis anquirere in vsus.
Et si bello animo st, & non odiosa vicissim,
Prætermittet te humanis concedere rebus.*

ET TAMEN IMPLICITVS] id est, & tamen etiam amore captus, & irretitus explicare, & exfoluere te possis, nisi tute tibi obis. ET PRÆTERMITTAS] est ἐπελήησις, hoc modo. Et nisi praetermittas eius, quam

amas & animi, & corporis vitia, id est nisi velis omnia illius & animi & corporis vitia dissimulare. Reperitur autem hæc scriptura in quinque libris manuscriptis. QVAM PERCVPIIS, AC VIS] cum in libris manuscriptis reperissem partim *præpetis*, partim *præceptis*, partim *percipis*, ego *percipis* reposui. quod si quis malet *perpetis*, ut habent nonnulli vulgati, aut *præpetis*, ut quidam scripti, non pugnabo. NAM HOC FACIUNT] prætermittunt amicarum suarum corporis atque animi vitia. sic hunc versum explicoco referens ad superiora; alioqui lege *Ut tribuant ea*, &c. proximo versu. ET TRIBVUNT EA, QVAE] sic habent quinque libri manuscripti. Sed si superiorem versum ad hunc referamus, videbitur legendum, *Ut tribuant ea, quæ non sunt*, &c. ATQVE ALIOS ALII INRIDENT] si hunc versum cum duobus proximè sequentibus deleamus, tanquam spurios, nõ solum nihil de sententia decederet, verum etiam magis erunt media cum primis, & extrema cum mediis contexta, & consentanea. Nunc autem hi tres versus antecedentia ab iis quæ sequuntur, disiungunt, & insignem faciunt huius loci interruptionem. Nam posteaquam dixit nos videre prauas, & deformes multis modis in deliciis, atque in precio esse, debet continuo subsequi. *Nigra melichrosus est*, &c. NIGRA MEΛΙΧΡΟΣΟΣ] sic habent nonnulli libri manuscripti. alij, ut Bertinian. *melchrys*: quod deprauatum est ex melichrous. Aldinus antiq. *μελίχρος*: id est nigro colore prædita, quidam autem typis excusi *μελίχλωρος* deleto, est, id est pallore subuitridi, qualis est mellis color, quo nomine vititur Theocrit. *ἐργαπν, βομβύκα χαείσα, σύρον μελόντι πυπύτες, Ισχάδν, ἀλβίκαυσον*: ἔργα δ' μόρος μελίχλωρον. Nonnulli autem *μελάχλωρος* legi volunt; id est nigro, & viridi colore. quo nomine vititur Plato lib. 5. de rep. ubi hunc amantium errorem pluribus verbis persequitur. Ego *μελίχρος* probro magis quàm *μελάχλωρος*, *μελίχρος* enim valet mellei coloris: *μελάχλωρος* nigri. itaque si *μελάχλωρος* legeretur, idem diceretur: nisi quis dicat, idem vitium ab homine Romano, Græco nomine appellatum, leuius quodammodo videri, atque extenuari: quemadmodum apparet ex toto hoc loco, ubi nomina, & verba fere omnia extenuantia, Græca sunt. Cum his autem Lucretianis cõfer illa Horatiana, in quibus optat Horatius, ut amicorum nostrorum vitia ita dissimulemus, atque eleuemus, ut & amantes amicarum suarum corporum vitia propemodum delectantur: & parentes filiorum vitia leuioribus nominibus extenuant, satyra 5. lib. 1. & præterea locum illum Platonis lib. 5. de rep. Non celabo autem lectorem omnia vocabula Græca in libris antiquis scripta esse literis Latinis. ego tamen de quorundam doctorum virorum sententia Græcis excudenda curavi. ET FOETIDA] fortasse legendum *fordida*.

A'KOΣΜΟΣ] id est inornata. ΠΑΛΛΑΔΙΟΝ] id est parua Pallas, quæ ab Homero describitur, & appellatur *γλαυκῶπις*, id est cæstis, & glaucis oculis: quanquam scio etiam aliter grammaticos Græcos hoc nomẽ interpretari. NERVOSA] sic habent libri quinque manuscripti, & aliquot typis excusi: non, ut vulgati, *neuosa*. ΔΟΡΚΑΣ] id est capra fera, caprea. PARVULA, POMILIO, XAPITON MIA, &c.] sic restitui aucto-
ritate veterum codicum fretus. Paruula (inquit) his nominibus appellatur
ab

ab amante, pumilio, id est nana, & humilis staturæ, *χαίτων μία*, id est vna Gratiarum, &c. atque hic locus multo iam antè à Pellicerio fuerat restitutus. TOTA MERV SAL.] sic est distinguendum. illa (inquit) quæ paruula est, vocatur etiam *tota merum sal*. ΚΑΤΑΠΛΗΞΙΣ] stupefactio, terror: id est ipso aspectu terrorem & stuporẽ incutiens. ΤΡΑΤΑΙΖΕΙ] balbutit. ΜΥΤΑ, ΠΥΔΕΝΣΕΣ] si qua puella sit muta, & elinguis, aut infans, aut amans eam ingenuo pudore, quo minus loquatur, impediti, nam pudor obest locuturo. Horat. saty. 6. lib. 1. *Infans nanque pudor prohibebat plura profari*. ΛΑΜΠΑΔΙΟΝ] parua lampas, seu parua fax. ΙΣΧΝΟΝ ΕΡΩΜΕΝΙΟΝ ΤΥΜΦΙΤ] id est cum ita macilenta est, ut viuere nequeat, appellatur *ιχχνον ἐρωμένιον*: id est amricula gracilis. *ἐρωμένη* amica, puella quæ amatur: ex quo *ἄσποκος ἐστὸν* nomen *ἐρωμένιον*, ut à *γλυκέσθι γλυκέειον*: *φοινίκι φοινίκιον*, &c. Π'ΑΔΙΝΗ' VEROST] puella (inquit) iam tussi mortua, & tabida, amanti *παδὴν* est: id est gracilis. Theocr. *εἰδ' ἐργαπν. Μῦσαι Πισειδῆς συναίσατε τὰ γράδιόν μου Πάδδα*. AT GEMINA ET MAMMOSA, CERES EST IPSA ABIACCHO] sic restitui scripturæ veteris vestigia secutus. Nam cum ita scriptum reperissem in libris veteribus: *At iamina & mammosacer est ipsa ab Iaccho*: primum non dubitavi reponere *mammosa* *Ceres est*, &c. deinde cum hærerem in illo *iamina*, in cuius locum nonnulli cod. habebat *Lamina*, Adr. Turnebus me expediuit: qui statim mihi dixit sibi videri *geminam* pro *iamina* parua immutatione facta, esse legendum. *geminam* autem interpretatur ille, opimam, amplam, & obesam. Idem mihi indicauit Arnobij locum plurimum ad huius loci intelligentiam conferentem lib. 3. sic autem ille, *Auet animus, atque ardet in Chalcidicis illis magnis, atque in palatiis celi Deos, Deusque conspiceret intectis corporibus, atque nudis: ab Iaccho Cerevem (Musa ut prædicat Lucretij) mammosam, Hellepontiacum Priapum inter deas virgines, atque matres circumferentem res illas, præliorum semper in expeditione paratas*. Iam Ceres ab Iaccho: id est Ceres illa, quam Iacchus amat: vel Ceres amica Iacchi. ipsa autem possum est ad significandam similitudinem huius puellæ mammosæ & Cereris. postremo *geminum* idem interdum valere, quod amplum, vel illud satis probat, quod Horatius od. 14. lib. 2. *Geryonen ter amplum* dicit, quem *tergeminum* Lucretius, Virg. et alij appellant. SIMVLAΣ] ΙΑΗΝΗ ΑC SATYRA'S T] si qua puella simis est naribus, silena, & satyra ab amante nominatur. sileni enim, & satyri, simi & pinguntur ac finguntur. LABIOSA, ΦΙΛΗΜΑ] quæ est labris prominentibus, ea (inquit) *φιλημα* dicitur: id est osculum, seu os ad oscula factum, & compositum. Nam & suauius viros osculantur puellæ labiosæ, quàm quæ sunt breuibibus labris: & labiosas osculari viris dulcissimum est. *labiosa* autem seu *labeosa* legendum, ut habet libri manuscripti. Et verò interest inter *labia* & *labra*, ut vult Verrius Flaccus teste Sosipatro Charisio. sic enim ille lib. 1. *labra & labia indistincte dicuntur* &c. Verrius autem Flaccus sic distinguit, *modica esse labra, labia immodica, & inde Labiones dici*. Nam & Terent. Eunuchus *labiis demissis gemens*, & Plaut. *Labiiis dum ductant eum*. Nonius Marcellus docet etiam *labias* dici genere fæminino, & profert locum illum Plaut. Stichus. *Age tibicen, quando bisibisti, refer ad labias tibias*. CETERA DE GENERE HOC] hoc hemi-
ZZ

stichium aliquoties ab eodem vsurpatur, vt supra admonuimus: idque mutatus est Horatius saty. i. lib. v. *Cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem Delassare valent Fabium.* SED TAMEN ESTIOZ EAM] id est sed tamen demus eam esse eximia forma, demus eam esse venustissimā, atq; adeo ipsi Veneri parē: at alia sunt itē formosa: at sine hac antea viximus. NEMPE EADEM FACIT, ET SCIM. FAC. O. TVRPI.] eadē turpi Græcorum more dicit *ταυτά τῆ αἰχμῆ*, id est, eadem facit, atque ea, quæ turpis est, sic lib. 3. eadē aliis *σοπιῶν* quietē st. s. VFFIT] imbuit: sed magis proprio verbo vsus est. AT LACRYMANS EXCLVS.] sic Tibull. lib. 2. *Iuravi quoniam rediturum ad limina nunquam? Cum bene iuravi, pes tamen ipse venit.* sic ille apud Terent. Eun. *Quid igitur faciam? nō eam, ne nunc quidem cum arcesor vltro?* &c. vide quæ annotauimus ad illum locum epod. od. II. *Ad nō amicos (heu) mihi posses, &c.* VNGUIT AMARACINO] vnguit oleo, seu potius vnguento ex amaraco. vnguit autem legendum est, & ita habent libri veteres.

QVEM SI IAM ADMISSVM] ostendit inconstantiam, & mobilitatem amantium, qui cum exclusi fuerunt, desiderio puellæ contabescunt: vbi verò intromissi sunt, leuissima te offensi discedere volunt: & tum respiciunt, tumque se stultitiæ condemnant, quòd mulierculam tāti fecerint. Fortasse autem significat vtile, atque adeo salutare esse amantibus, amicorum suorum ingenia, & mores, & victus consuetudinem, & vitia nosse, quoniam his cognitis, quantum perē desipuerint, qui talem amarint, intelligunt. cuius rei exemplum est notissimum apud Terent. sic enim Parmeno. *Id verò est, quod mihi puto palmarium, Me reperisse quomodo adolescentulus. Meretricum ingenia, & mores posset noscere. Mature vt cum cognorit, perpetuo oderit: Quæ dum foris sunt, nihil videtur mundius, Nec magis compositum quicquam, nec magis elegans. Quæ cum amatore suo cum cenant, ligurriunt. Harum videre ingluuiem, sordes, inopiam &c. Nosse omnia hæc, salus est adolescentulis.* VENIENS] sic omnes quidem libri vulgati: sed codex Bertin. & Memm. & Teth. habent, *uentem*: quæ lectio fortasse vera & recta est, vt sit hæc sententia, amantem iam admissum, & modò venientem si vna duntaxat aura offenderit, causas abeundi quærere speciosas: tantā inconstātia est. NEC VENERES NOSTRAS HOC FALLIT] id est nec hoc ignorāt nostræ puellæ. nā, quos volunt in amore retinere, eos omnia vitæ suæ postscenia celant: id est non admittunt eos in eam familiaritatem, vt eis suas sordes domesticas, suæque vitæ inhonestā rationē aperiant. fallit. id est latet *λατῶν δῶκεν.* VITAE POSTSCENIA CEL.] Cum in libris manu scriptis reperissem partim *postscenia* partim *postscania*, ego *postscania*, siue *postscenia*, littera. s. addita, restitui. Erat autē *postscenium*, seu *postscanium* locus post scenā, vbi multa fiebant, quæ à spectatoribus audiebantur tantū, non autem cernebātur: quale erat *βῆσιλον* apud Græcos: in quo, vt scribit Iulius Pollux, calculis compluribus in vtres coniectis, & illis vttribus per aëra versatis, atque agitaris tonitru similitudo referēbātur. *Proscenium* autē (vt docet Diomedes) est pulpitiū & locus ante scenam, in quod pulpitiū prodibant actores. Itaque proscenia vitæ hīc non conuenit. Nam per *postscania vitæ* (vt diximus) significat Lucretius absconditam, & intīmā puellarum, seu meretricum viuendi consuetudinē.

& omnia quæ domi faciunt, cum solæ sunt: quæ suis amantibus occulta esse volunt. proscenia autem vitæ contrā significarent quicquid puellæ impudicæ & huiusmodi mulieres, coram amatoribus suis, & loquūtur, & faciūt: quod totum est fictum & simulatum, & ad illiciendos amantēis comparatum: nihilque in eo verum, nihil simplex, nihil genuinum. At hæ mulieres fucum, munditiem, luxum, splendorem, risum, blanditiā, & reliquū apparatus meretricium habent in promptu positum, & suis amantibus ostentant. sordes autem suas, inopiam, ingluuiem, immunditiem, maculas corporis, rugas, crineis emtos, & similia occultant. sic Ouid. lib. 3. de arte amandi. *Multa viros nescire decet: pars maxima verum Offendet, si non interuictu regas.* Idē ibidem. *Quæ male crinita est, custodem in limine ponat, Orneturque. Bonæ semper in ore dea.* ANQUIRERE IN VSUS] secutus sum codices vulgatos, nisi quòd illi habent, *inquirere*. Nam libri scripti habent *omnis anquirere*, seu *inquirere visus*. PRÆTERMITTET TE H. CONC.] id est sinet te ignoscere incommodis humanis. id est non admodum in eo laborabit, vt te celet sua incommoda, ac mala: sed ea te sinet cernere, sperans fore, vt ea æquo animo feras, tanquam humana, & hominibus vsitata.

Nec mulier semper ficto suspirat amore:

Quæ complexa viri corpus cum corpore iungit,

Et tenet adsuctis humectans oscula labris.

Nam facit ex animo sæpe: & communia quærens

Gaudia sollicitat spatium decurrere amoris.

Nec ratione alia volucres, armenta, feræque,

Et pecudes, & equæ maribus subsidere possent:

Si non ipsa quod illorum subat, ardet abundans

Natura, & Venerem salientum læta retractant.

Nōne vides etiam quos mutua sæpe voluptas

Vinxit, vt in vinculis communibus excrucientur?

In triuuis quin sæpe canes discedere auentes,

Diuorsi cupide summis ex viribus tendunt:

Cum interea validis Veneris compagibus hærent:

Quod facerent nunquam, nisi mutua gaudia nosset:

Quæ lacere in fraudem possent, vinctosque tenere.

Quare etiam atque etiam (vt dico) est communi voluptas.

NEC MULIER SEMPER] Neque verò mulier (inquit) semper se amare simulat, sed interdum ipsa quoque amat ex animo. ADSUCTIS HVMECTANS OSCVLA LABRIS] sic legendum, *non assuetis*, vt est in

libris vulgaris. Est autē *adfectus* participium à verbo *adfero*. Mirè verò expressit amantium osculantium nequitias improbulas: qui labra labris affigentes alter ex alterius labris humorem sugunt, quasi que animas alter rursus hauriunt. hæc autem oscula dicuntur à poetis humida: alia verò sicca. SPATIVM DECVRERE AMORIS] elegantis, & honesta translatione significavit mulierem interdum etiam amare ex animo, & corpus suum cum viri corpore commiscendam ipsam quoque communia ex te venerea gaudia percipere properare. est autē tralatio ducta à stadiis, in quibus curritur, ut notauimus sup. ad illum locum *decursu lumine vita* lib. 3. SVBSIDERE] succumbere. SVBATARDET ABVNDANS] sic reperi scriptum in libris manuscr. dicuntur autem *subare* quadrupes fæminæ cum libidine flagrantem marem appetunt, & maximè sues. Fæctus. *Suillum genus inuisum Veneri prodiderunt poëtae, ob interfectum ab apro Adonim, quem dea illa diligebat: quidam autem quod immundissimi sint ex omni mansueto pecore, & ardentissime libidinis, ita ut opprobrium mulieribus inde tractum sit, cum subare & subire dicuntur.* utitur hoc verbo Horat. epod. 12. iamque subando *Teeta, cubilia, tentaque rumpis.* quod si cui magis placebit scriptura vulgata, *subitè ardet*, nō pugnabo. ego quamobrem antiquam reiiciamus, causam nō video. dictum est autem *subat ardet, à πῦρ ἄρδω.* ET VENEREM SALIENTVM LACTARETR.] & animalia illa de genere fæminarum Venerem marium salientium atque irruentium lacta vicissim, & pro sua parte tractant, id est maribus in Venerem ruentibus pariter & mutuo respondent: vnà cum maribus voluptatem rei veneræ tractant. utitur eodem loquendi genere infra eod. lib. extr. *Clunibus ipsa viri Venerem si lacta retrahet.* INTRIVIIS QVIN S. C.] secutus sum lib. vulgaros. Nam in manuscriptis scriptum est *In triuis cum sc. &c.* QVÆ LACER] sic reposuissola veritate fretus: sic supra. *Nam vitare plagas in amoris ne laciamur, &c.* COMPAGIBVS] vinculis, nodis, copulis.

*Et commiscendo cum semen forte virile
Famineum mulxit subita vi, conripuitque:
Tum similes matrum materno semine fiunt:
Ut patribus patrio. sed quos utriusque figuræ
Esse vides iuxtim, miscenteis volta parentum:
Corpore de patrio, & materno sanguine crescunt,
Semina cum Veneris stimulis excita per artus
Obuia confligit conspirans mutuus ardor:
Et neque utrum superavit eorum, nec superatum est.
Fit quoque, ut interdum similes existere auorum
Possint, & referant proauorum sæpe figuras
Propterea, quia multi modis primordia multis.*

*Mista suo celant in corpore sæpe parentes,
Quæ patribus patres tradunt à stirpe profecta.
Inde Venus varia producit sorte figuras:
Maiorūque refert volutus, vocēsque, comasque.
Quandoquidem nibilo minus hæc de semine certo
Fiunt, quàm facies, & corpora, membræque nobis.
Et muliebre oritur patrio de semine saculum:
Maternoque mares existunt corpore creti.
Semper enim partus duplici de semine constat:
Atque utri simile est magis id, quodcunque creatur,
Eius habet plus parte aqua, quod cernere possis:
Sive virum suboles, sive est muliebris origo.*

ET COMMISCENDO CVM SEMEN] nunc quærere incipit quamobrem filij patribus, ac matribus similes sint, aut dissimiles. commiscendo autem, id est inter commiscendum, seu in commistione viri & fæminæ. FÆMINEVM MVLTIT SVBITA VI, CONR.] secutus sum omni ex parte libros vulgatos, nisi quod *mulxit*, non, ut illi habent, *mulsit*, excudendum curavi, in hoc vno scripturæ veteris auctoritatem nō aspernatus: quæ scriptura talis est. *Et commiscendo cum semine forte virile Fæmina vi mulxit subita vi, &c.* ego igitur ex *mulcit*, feci *mulxit*. nam *mulcit* scriptum puto pro *mulcfit. c. f.* enim sæpe scribebatur à librariis illis pro x. in ceteris scripturam veterem præsertim deprauatam, reieci. Quod si quis eius habendam rationem putabit tamen, quemadmodum mihi maximè videtur: sic aliqua poterit haberi, ut hoc modo legamus. *Et commiscendo cum semen forte virile Fæmina commulxit subita vi, conripuitque.* vel hoc modo: *Et commiscendo cum semen forte virile Fæminei mulxit subitè vis, conripuitque, &c.* quæ lectio omnium planissima est, & fortasse vera. Adr. Turnebus autem multò seuerius ac religiosius veterem scripturam retinebat hoc modo: *Et commiscendo cum semine, forte virile Fæmina vi mulxit subita, vi conripuitque.* Venio nunc ad receptam, eam (inquam) quam secutus sum, quanuis non admodum probem: quam sic explico. Cum in commiscendo, atque in concubitu seu complexu maris & fæminæ, semen fæminæ vi quadam subita mulxit id est attraxit, & corripuit semen virile: (quod nō semper accidit: iccirco addidit fortè. nam sæpe semen virile effluit ex locis muliebribus, neque mulgetur, aut rapitur à matrice:) tum igitur ex materno quidem semine fiunt filij matrum similes: ex paterno autem, patrum. Hæc mihi videtur esse huius loci sententia. ego tamen malim legi *Fæminei mulxit subitè vis, &c.* ut sit, vis fæminei seminis. Sed quod Lucretius hîc maternum semen appellat, Aristoteles lib. 1. de ortu animalium, negat fæminas in re Venerea semen vllum mittere: cuius sententiam improbant, ac refellunt medici. Iam quod ad similitudinem

ac dissimilitudinem filiorum attinget, medici item aiunt, si semen patrum sit potentius ac dominantius & semine materno, & sanguine mēstruo, tum filios & animo & corpore patri esse similes: sin ab utroque superetur, tum eos & ingenio, & figura corporis ad matrum similitudinem propius accedere. *VT PATRIBVS PATRIO.*] sic quidem habēt libri omnes tum manuscripti, tum excusi: sed videtur legendum, patrum. nam consuetudo Latini sermonis postulat, vt verba sic construantur: tum similes matrum filij fiunt, semine materno scilicet dominante, vel materiæ locum obtinente, vt fiunt similes patrum, patrio semine. nam particulæ copulantes, & disiungentes copulant, & disiungūt similes casus. *ESSE VIDES IXTIM*] sic legi debet, & ita habent quinque libri manuscr. *ixtim* autem pro iuxtā, id est similiter, æqualiter, pariter. Sallust. bello Iugur. *hiemem, atque æstatem iuxtā patri.* Plautus Aulul. *dixi tibi mater. iuxtā mecum rem tenes.* Idem Trin. *Iuxtāq, eam curo cū mea.* *MISCENTENTEIS VOLTA PARENTVM*] sic habent lib. manuscr. atque hanc scripturam agnoscit Nonius in voce *vultus*, vbi hunc versum profert cum superiore, vt probet vñtatam esse veteribus *vultus us.* & *vultum i. miscenteis vulta* autem, seu vultus parentum, id est similitudinem vtriusque parentis promiscuè, & æqualiter referentis. *ET MATERNO SANGVINE*] ex hoc loco possit videri, Lucretio nihil interesse inter sanguinem menstruum, & semen maternum (quod nullum esse negat Arist.) cum tamen hæc plurimum inter se differant, sed dicamus maternum sanguinem hñc intelligendum semen. nihil enim aliud est semen hominis, quàm sanguis optimus, & concōctus, & ad gignendum aptus. *σπέρμα* nominant Græci. sanguinem menstruum autem *μηνήμηνα* idem appellant. *CONFLIXIT*] *εργον* accipiendum, quasi commisit, collisit. *ET NE QVE VTRVM*] sic habent libri scripti: vulgati autem *Et neutrum.* sed nihil refert. *PROPTEREA QVIA MVLTAMODIS*] sic legendum, non *multimodis.* *QVAE PATRIBVS PATRES TRADVNT*] quæ patres tradunt filiis suis, qui susceptis liberis patres sunt. *INDE VENVS VAR. PROD. SORTE FIG.*] secutus sum cod. Bertin. cum quo congruunt Parisienf. & Veneti antiq. & Lugdunenses alteri. Nā Vaticanus habet, *Inde Venus variè producit sæpe figuras*, cum quo congruunt Florentini. alij partim *Inde Venus variè producit sorte figuras*, partim *Inde Venus variè producit sorte figuras.* fortasse legendum: *varias producit sæpe figuras.* neque tamen eam scripturā, quam secutus sum reiiciendā censeo. *QVANDO QVIDEM NIHILOMINVS*] hoc referendum est ad illud, quod proximè dixerat, Venerem sæpe referre non solum vultus, verum etiam voces, & comas maiorum: quod quia mirum alicui videri poterat, subiciens rationem, quando quidem (inquit) hæc nempe comæ, & voces nihilominus constant de semine certo, quàm oris forma, & totius corporis habitus, & figura. quin sit autem legendum *nihilominus* etiam reclamantibus libris omnibus, neminem puto dubitaturum. Nam si nihilo magis legeretur, diceret Lucretius res aliquas incerto semine nasci: quod pugnat vel cū Epicuri decretis, si semē pro primis corporibus accipiamus: vel cum ipsius Lucretij verbis, si semen patrum, & maternū intelligamus. *SÆCLVM*]

genus. *SEMPER ENIM PARTVS D.D.*] duplici de semine, nempe patrio, & materno. partum vsurpauit, pro eo quod paritur, vt lib. 2. *PLVS PARTE AEQVA*] plus æquali partē: id est habet plus eius, cui magis similis est, quàm eius, cui minus similis est. *QVOD CERNERE POSSIS*] alij libri habent: *Quæ cernere possis*: quam lectionem non probo. *SIVE VIRVM SVBOLES, &c.*] sic legendum, & ita habent libri manuscr. denique hanc scripturam agnoscit Festus in voce *suboles* his verbis. *Suboles ab olefendo: id est crescendo, vt adolescentes quoque & adulti & indoles dicitur.* Lucr. lib. 4. *Sive virum suboles, &c.* Virg. *Cara deum suboles magnum Iouis incrementū.*

*Nec diuina satum genitalem numina cuiquam
Absterrent, pater à natis ne dulcibus vnquam
Appelletur, & vt sterili Venere exigat auum:
Quod plerique putant: & multo sanguine masti
Conspergunt aras: adolentque altaria donis,
Vt grauidas reddant vxores semine largo.
Nequicquam diuim numen, sorteisque fatigant.
Nam steriles nimium crasso sunt semine partim:
Et liquido præter iustum, tenuique vicissim.
Tenuē, locus quia non potis est adfigere adhesum,
Liquitur extemplo, & reuocatum cedit ab ortu.
Crassius hoc porro, quoniam concretius equo
Mittitur: aut non tam prolixo prouolat ictu:
Aut penetrare locos æquè nequit: aut penetratis
Aegrè admiscetur muliebri semine semen.
Nam multum harmoniæ Veneris differre videntur:
Atque alias alij complent magis, ex aliisque
Suscipiunt aliæ pondus magis, inque grauescunt.
Et multæ steriles Hymenæis antè fuerunt
Pluribus: & nactæ post sunt tamen, vnde puellos
Suscipere, & partu possent ditescere dulci.
Et, quibus antè domi fecundæ sæpe nequissent
Vxores parere, inuenta est illis quoque compar
Natura, vt possent natis munire senectam.
Vsq; adeo magni refert, vt semina possint
Seminibus commisceri genitaliter apta,*

Crassaque

Crassaque conueniant liquidis, & liquida crassis,
 Quae cui iuncta viro sit femina per Veneris res.
 Atque aded refert, quo victu vita colatur.
 Nanque aliis rebus concrescunt semina membris,
 Atque aliis extenuantur, tabentque vicissim.
 Et quibus ipsa modis tractetur blanda voluptas,
 Id quoque permagni refert, nam more ferarum,
 Quadrupedumque magis ritu, plerunque putantur
 Concipere vxores, quia sic loca sumere possunt
 Pectoribus positis, sublatis femina lumbis.
 Nec molles opus sunt motus vxoribus hilum.
 Nam mulier prohibet se concipere, atque repugnat,
 Clunibus ipsa viri Venerem si leta retractet:
 Atque exossato ciet omni pectore fluctus.
 Eicit enim sulci recta regione, viaque
 Vomerem, atque locis auertit seminis ictum.
 Idque sua causa consuerunt scorta moueri,
 Ne complerentur crebro, grauidaque iacerent,
 Et simul ipsa viris Venus vt concinnior esset:
 Coniugibus quod nil nostris opus esse videtur.
 Nec diuinitus interdum, Venerisque sagittis,
 Deteriore fit vt forma muliercula ametur.
 Nam facit ipsa suis interdum femina factis,
 Morigerisque modis, & mundo corpori cultu,
 Vt facile insuescat secum vir degere vitam.
 Quod superest, consuetudo concinnat amorem.
 Nam leuiter quamuis, quod crebro tunditur ictu,
 Vincitur in longo spatio tamen, atque labascit.
 Nonne vides etiam guttas in saxa cadenteis
 Humoris, longo in spatio pertundere saxa?

NEC DIVINA SATVM] Constat sibi Lucretius. Nam hominis erat de natura rerum se dicturum, seu scripturum profitentis, maxime eius, qui Epicurum sequeretur, omnium rerum causas afferre atque explicare, nihil-

que

que ad Deos referre. ADOLENTQVE ALT. DON.] adolent, id est au-
 gent, honorant, & ita Nonius. Virg. Aeneid. lib. 7. Præterea castis adoleat dum
 altaria redis. aliàs adolere est vrere *αἰετὶ ἐπινοουμένη*. Virg. pharmac. Verbenas
 que adole pinguis, & mascula tura. FATIGANT] fatigant Deos precibus,
 & hostiis scilicet. sic Horat. od. 3. lib. 1. prece qua fatigent Virgines sanctæ minus
 audientem Carmina Vestam: fatigant sorteis, consulentes oracula. Virg. lib. 4.
 Aeneid. Italiam Lyciæ insere capessere sortes. NAM STERILES NIMIUM]
 duas causas affert sterilitatis, vnam quod semen nimis crassum sit: alteram
 quod nimis tenue. PRAETERIVSTVM] supra modum: supra quam
 fatis sit. VICISSIM] partim. TENVE] vel proceleumaticus est, vel te-
 nue disyllabum est. LOCIS] valis muliebribus. ADFIGERE ADHAE-
 SVM] adherere, profert & hunc versum Nonius Marcell. in voce *adhaesus*,
 & item alterum, qui est lib. 3. Nam neque pulueris interdum sentimus adhaesum.

ABORTV] sic legendum separatim, non abortu coniuncte, & ita habet
 libri manu script. AVT PENETRATIS] sic restitui admonitus à cod.
 Vatic. in quo scriptum est *penetrati*. Et verò, vt *penetratis* legatur, ratio & ve-
 ritas postulant. *penetratis* subintell. locis, nisi quis dicat penetratum signifi-
 cationem habere *ἐνεργητικῶς*, & positum pro eo quod est, cum penetravit:
 cuius modi participia sunt iuratus, pransus, canatus, &c. & ita sup. *Quae pene-
 trata queunt sensum progignere acerbum*. NAM MULTVM HARMONIAE
 VEN.] Docet alios viros aliis fæminis ad procreationem liberorum con-
 uenire. Itaque multum interesse qui vir cum qua muliere matrimonio co-
 puletur, & nuptias cōtrahat. harmoniæ: id est cōueniētiæ. HYMENAEIS
 ANTE FVER. PLVR.] multæ pluribus hymenæis, id est pluribus nu-
 ptiis antea fuerunt, neque ex viris pluribus liberos suscipere potue-
 runt, &c. ET NACTAE POST SVNT TAMEN,] id est & tamē post-
 eà alias nuptias nactæ, & alij viro iunctæ sunt, vnde liberos suscipere, & fæ-
 cundæ esse possent. hunc locum (absit verbo inuidia) sanè *εὐσεβῶς* restitui
 modicè à veteribus codicibus adiutus, cum autem in hoc loco semper hæ-
 sissim partim propterea quod participium *nactæ* insolenter mihi per se po-
 situm videbatur, partim propter ineptam repetitionem verbi *possunt*. Cum
 igitur reperissem scriptum in aliis codicibus veteribus, & *nactæ*, in aliis & *na-
 te* possunt tamen vnde puellus suscipere, & partu possent ditescere dulci, sic restitui,
 quemadmodum excudendum curavi, & *nactæ post sunt tamen; vnde, &c.* quæ
 lectio perspicuè vera & recta est. PVELLOS] in hac ipsa voce *puellos*, pro-
 fert hunc versum Nonius Marcellus: & præterea Ennianum illum. *Ipsè suos
 Diuis mos sacrificare puellos: & Lucillij: Cùmque hic tam formosus tibi, ac te dignus
 puellus: & illud Varronis Testamento: Sic ille puellus Veneris repente vado ce-
 cidit cruentus olim.* ET QVIBVS ANTE DOMI INFAEC.] sic restitui,
 cum in omnibus libris legatur *secunda*, perspicuè mendosè. hoc enim dicit
 Lucret. Et ij, qui habuissent domi vxores infæcundas & sterileis, inuenerūt
 tandem comparem, & fæcundam, ex qua liberos susciperent. INVENTA
 EST ILLIS QVOVE COMP. NAT.] illis viris inuenta est vxor cō-
 par natura *ἢ φθόρον* natura accipio vt sit septimi casus. potest tamē etiam esse

recti casus, & coherere cum voce *compar*, vt alij malunt, vt per naturam cō-
parem, vxorem cōparis naturæ intelligamus. NATIS MVN. SENECT.]
nam hanc gratiam debent parentibus liberi, vt non solum eos alant, verum
etiam tutos ab iniuria præstent, quantum in eis firum sit. Hesiod. de liberis
θεομηχεαδων. VS QVE ADEO MAGNI REFERT, &c.] vel legendum
necessariò *Vsque adeo magni hoc refert*, videlicet, quæ mulier cum quo viro
iungatur, & misceatur, ad id vt femina feminibus commisceri possint geni-
taliter apta, id est accommodata ad gignendum, &c. vel dicendum post ver-
sum *Crassaque conueniant, &c.* versus talem, & qui talem sententiam conti-
neat, desiderari, *Quæ cum quo cupide iungatur per Veneris res*: id est vsque adeo
magni refert quæ femina cum quo viro corpus suum commisceat. quo
versu addito, integer & planus erit hic locus, alioqui lacer, mutilus, & ob-
securus. Cum hæc superiora scripsissem, missum est ad me ab Io. Colombi-
no viro docto populari meo, exemplum Lucretianum olim Lutetia typis
excusum, ad cuius oram è regione huius loci ascriptus erat hic versus cum
hac inscriptione, & quasi commendatione: *versus restitutus ex V. C. Quæ cui
iuncta viro sit femina per Veneris res*. qui quidem versus ita mihi videtur Lu-
cretio dignus, vt non dubitem, quin sit Lucretianus. AT QVE ADEO
REFERT, &c.] refert verò etiã quo victu vir & femina vtantur. ALIIS
REBVS] alio cibo, aliòque victu. CONC. SEM. MEMB.] femina cum
membris, vel in mēbris crescunt. AT QVE ALIIS EXTENDANTVR]
nihil muto, tamen si duo codices scripti Faerini, & Tethii habeat *Atque alii
tenuantur item*: impressi autem Florent. *Extenuantur uemque aliis*: quas lectio-
nes suspicor esse ab iis excogitatas, qui putarent hūc versus esse vitiosum
propter verbum *extenuantur*: quod constat quinque syllabis, prima longa,
deinde duabus breuibus, deinde quarta longa, & postrema breui. Sed fu-
git illos vel hūc esse anapæstum pro dactylo, aut spondeo, vel verbum *exte-
nuantur* hūc ita pronuntiandum esse, vt sit quattuor syllabarum duntaxat,
& u sit consonans. quorum alterutrum sæpe fieri in voce tenuis, antè do-
cuimus. TABENTQVE] id est & minuuntur. MORE FERARVM]
hoc Veneris genus describit Naso lib. 3. de arte amandi. *Quæ facie præsignis
erit, resupina iaceto: Spectetur tergo, cui sua terga placent*. QVIA SIC LOCA]
loca muliebria, *ἢ μωρα*. Varro lib. 4. de ling. Lat. *Loci muliebres, ubi nascendi
initia consistunt*. M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. *Cum autem in locis semina insedit, ra-
pit omnem fere cibum ad sese, eoque septimum fingit animal*. Idem Lucr. infra: *atque
locis auertit seminis ictum*. ordo autem est: quia sic positus pectoribus: id est
muliere prona & auersa iacente, & lumbis sublatis, loca possunt sumere se-
mina virilitas. NEC MOILLES OPV' SVNT] sic legendum, & ita habent
libri veteres. sic loquitur in extremo. *Coniugibus quod nil nostris opus esse vide-
rur*, & sup. item sæpe. CLVNIBVS IPSA VIRI, &c.] si clunium motu
ipsa læta Venerem id est voluptatem viri retractet: id est iterum atque ite-
rum retractet, & viro cluneis agitati pariter respondeat. sic supra, *Vene-
rem salientum læta retractant*. RETRACTET] libri veteres, retractat. AT
QVE EXOSSATO, CIRT. O. P.] id est omni pectore, seu corpore ex-

ossato, id est ita inflexo, & incuruato, vt exosse videatur, fluctus commo-
uet. Apul. lib. 1. de asino: aut. *Inque flexibus virtuosus enervam, & exossem saltatio-
nem explicat cum omnium, qui aderant, admiratione*. sic Io. Auratus homo acer-
rimi ingenij, doctrinæque singularis versus illum Hesiodi in lib. *ἔργα καὶ
ἡμέρα*. *Ἡ μάτη χριμελίω, ὅτ' ἀπόσειος ἐν ποδαί τένδει*: qui vulgò de polypo pedè suum
rodente intelligitur, interpretatur de homine ignauro, & inertis: qui nullo in
hiemem æstate præterita præsidio parato, nullaque re ad vitam tolerandam
prouisa, corpore contracto domi residet frigore rigens, famèque tabescēs.
in nonnullis libris legitur *exossum*: quod si cui probabitur magis, eadem ta-
men erit sententia, eademque interpretatio quadrabit. Præterea ne illud
quidem lectorem celabo, cuidam docto viro, legendum videri *ciet omneis pe-
ctore fluctus*. EICIT ENIM SVLCI RECT. REG. VIA QVE VO-
MEREM, &c.] hunc locum approbante, atque adeo adiuuante M. Antonio
Mureto felicissime (mea quidem sententia) restitui. est autem totus hic ser-
mo *ἀλληγοικός*: per quem significat Lucretius, mulierem clunium agitatio-
ne conceptionem feminis virilis prohibere, quia vomerem: id est mem-
brum virile tali corporis motu eicit è recta via, ac regione sulci sui geni-
talis, id est partis suæ pudendæ, & à locis, id est à sedibus illis muliebribus
auertit feminis virilis ictum. significat id quod vno verbo Græci dicunt
semen *ἐκ ἐπιδοβολῆς*. id est non recta via in loca iaci. sic fere Virgil. locutus
est Georg. 3. vbi de equis scribit. *Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior vsus Sit ge-
nitalli aruo, & sulcos obliuet inertis*. Iam eicit disyllabum est, vt antè diximus.
Præterea non est quod quenquam moueat tertia syllaba vocis *vomerem*, in
qua *m*. non eliditur. hoc enim non inusitatum fuisse veteribus etiam supra
docuimus. hanc huius loci restitutionem Adriano Turnebo viro doctissi-
mo, & humanissimo cum ostendissem probauit ille quidem, sed cum vide-
ret in omnibus libris manuscriptis legi *Vomeris*, videndum esse dixit, pos-
sūtne vetus scriptura nulla immutatione facta retineri. Itaque re aliquan-
tis per considerata, dixit mihi fortasse seruata voce *Vomeris*, hunc locum ita
legi & explicari posse. *Eicit enim, subintell. venerem, vel feminis ictum, re-
cta sulci regione, & recta via vomeris*. sic quidem vir ille doctissimus: sed *recta
via vomeris* quid sibi velit, non est facile expedire. ID QVE SVA CAV-
SA] quidam *Idque* dictum putant pro *ob idque*. duo libri manuscripti hoc
rotum *Idq;* habent demersum in litura, vt fortasse legendum sit *Itaque* pro
Itaque. codex Vaticanus habet *Ipsaque*. Quid si legamus, *Sicque?* NE COM-
PLERENTVR, &c.] disciplina enim est scortis, curate ne grauida fiant.
partus enim de mulieris forma multum detrahit: adde quod non facile cō-
pletur femina nisi se vni dederit, quod est alienum à re meretricia.
VENERISQVE SAGITTIS] id est Cupidinis sagittis, qui filius
Veneris est. alterum pro altero posuit, vt Virgil. *Talis Amyclæi domitus Pol-
lucis habentis Cyllarus*. cum Cyllarus equus fuerit Castoris, Castorque equus
fuerit, Pollux autem pugil. MODIS] moribus, *ἢ ὄποις*. ET MVND O
CORPORI CVLTV] cum in aliquot libris manu scriptis reperissem
scriptum *culto*, sæpeque antea hic locus mihi suspectus fuisset propterea

quodd. hoc totum; & *mundo corpore culla*, ut habent libri vulgati, non satis apte cōhærebat cum iis quæ antecedunt, coniectura ductus sic reposui, & *munda corporis cultu*; quæ scriptura sine controuersia, recta & germana Lucretiana est: altera autem inæpta, inconcinna, & pròpmodum non Latina. **C O N C I N N A T**] *concinna*re (inquit Nonius) à *cinnno* potioris genere ex multis liquoribus confectio. M. Tull. orat. perfr. *Est autem quidam interiectus inter hos medius; & quasi temperatus, nec acumine posteriorum, nec fulmine utens superiorum, ut cinnus lamborum, neutro excellens, virtusque particeps, vel virtusque, si verum querimus, expers.* quo loco in lib. vulgatis legitur vicinus ambotū. **C o n c i n n a r e** igitur est conficere, componere, & quasi cinnum efficere. **N O N N E V I D E S E T I A M G V T T A S**, &c.] sic sup. lib. 1. *Stillicidi casus lapidem cauat.* & Cherilus. Πέτραν κοιλάνει βάνης ὕδατος ἐν δελχεῖν. Tibull. Eleg. 4. lib. 1. *Longa dies molli saxa peredit aqua.*

[The following text is extremely faint and largely illegible, appearing to be a commentary or continuation of the Latin text above.]

Dionysius Lambinus, Adr.

Turnebo S. D.



H X T. Lucretij Cari libris sex, Adriane Turnebe, quattuor iam sunt consumti, & quattuor magnis, & claris viris donati. restant duo, quintus & sextus iam pridem tibi, & Io. Aurato collegis meis, viris doctissimis, nostræque Gallie ornamentis, & præter collegij ipsius necessitudinem, mihi amicissimis desponsi, ac destinati. Ac de Io. Aurato quidem homine tui simillimo, & pene gemino, dicentur ea fortasse, quæ illo digna sunt, si modò consequi poterò, cum ad librum sextum, qui ei debetur, ventum fuerit. nunc autem cum ad te de te scribere instituo, & doctrinam tuam singularem considero, planè obstupesco. Nam si quando eos, qui vel nostra, vel patrum nostrorum ætate ingenij, & doctrinæ gloria claruerunt, memoria repeto: video singulos in singulis disciplinis, atque artibus vel præstare, vel præstitisse: hunc in mathematicis, illum in physicis: alium in philosophia Peripatetica, alium in Platonica: illum in iure ciuili, hunc in medicina: hunc in pœtica, illum in arte dicendi: hunc in lingua Latina, illum in Græca. Te verò quibus doctrinis eruditum, quibus disciplinis institutum, quibus litteris expolitum dicam? Nam si te in arithmetico, geometrico, astrologico, musicis valde exercitatum esse prædicabo: verissimum quidem tuæ laudis testimonium tibi dabo: sed reliquarum artium, ac disciplinarum, quibus non minus excultus, atque ornatus es, laudes tibi adimere videbor. Si te præstantissimum nostræ ætatis philosophum esse contendam: nemo erit mortalium, qui me refellere queat. Sed dum tibi unum ex multis, quæ propriè & verè tua sunt, reddo: cetera, quæ æquè sunt tua, tibi detrahere existimabor. Si te Romanæ antiquitatis esse scientissimum: si ad litterarum Latinarum recessus intimos, abditosque ac penetrables, focos intrasse confirmabo: nemo mihi verum dicenti non assentietur: sed aliquis fortasse sententiæ meæ ignarus, dum hoc ita tibi seorsum ab aliis, quæ non minus sunt tua, tribuo: existimabit te à me per summam iniuriam aliis tuis infinitis laudibus, atque ornamentis spoliari. Si te linguam Græcam ita callere, ac tenere testificabor, ut si & iis temporibus, & in iis locis, in quibus hæc lingua maxime florebat, natus esses: nemo me, ut mentientem redarguere poterit: sed mihi verendum est, ne dum tibi huius unius laudis verus testis, & buccinator sum, ceteris, quæ sunt in te multò plures, & fortasse maiores, existimer de industria reticere. Atqui cum de geometricis, & geographicis ser-

monem habes: totum orbem terrarum videris decempedis quibusdam dimensus esse, radióque propemodum descripsisse: Cum de astris loqueris: celum comminus spectasse, & stellas ipsas dinumerasse: Cum Aristotelem interpretaris: Alexandros, Themistios, Simplicios, atque adeò Aristotelem ipsum ab inferis excitare: Cum Platonem, Theophrastum, Plutarchum, qui videntur interdum à nobis intelligi nolle, suscipis explicandos: facis ut, quæ de industria obscurius esse locuti videbantur, planissimè, atque apertissimè dixisse videantur: Cum Homerum, Sophoclem, Euripidem, Pindarum, Aristophanem, & ceteros poëtas interpretaris: totam ætatem in poëtis legendis consumpsisse existimaris: Cum Herodotum, Thucydidem, Polybium, & alios historicos tractas: facis, ut nullos præterea scriptores per omnem vitam peruolutasse videaris: Cum Demosthenem, Aeschinem, Lyfiam, ceteros Græcos rhetores in manus sumis: Atheniensis hominis iisdem temporibus nati, & in eadem Repub. versati speciem præbes: Cum M. Tullij sue orationes, siue libros philosophicos, siue epistolarum volumina in manibus habes: eos, qui te audiunt in eam opinionem adducis, ut M. Tullij animam in corpus tuum immigrasse putent: ita omnes illius admirabilis, & pene dicam, diuini scriptoris locos & implicatos explicas, & obscuros illustras, & corruptos vel scripturæ veteris vestigia secutus, vel coniectura ductus restituis, atque emendas. Idem de poëtis Latinis liquidò confirmare possum. Quid dicam de tua incredibili memoria? quæ tanta est, ut nihil unquam legeris, quod non tibi in animo penitus insederit. quid de studio ac diligentia? quæ tanta sunt, ut, si ingenio esses tardissimo, qui contra acumine, & sollertia vincis omnes, tantos te in omni disciplinarum genere progressus fecisse, seu potius omnes scientiæ, doctrinæque numeros expleuisse minus debeat esse mirandum. Sed finem faciam, ne quis, cui sis ignotus: (quam quis eorum, qui litteras vel summis digitis attigerunt, te ignorat?) veruntamen desinam, ne cui videar initio tuas laudes hac epistola prædicare voluisse, (cum longè alia mens, longè aliud consilium meum fuerit) neque id præstare, aut consequi potuisse: quis enim possit? Nam, ne ego hæc fingere assentandi causa videar, non vereor, cum & ij, qui tua scripta legerunt, & ij, qui te aliquando audiuerunt, de te sciant, & sentiant iis, quæ quisquam eorum, qui hodie viuunt, dicendo consequi possit, nedum ego, multo & maiora, & ampliora. Hunc igitur librum pulcherrimarum (ut scis) disputationum plenum, tibi iam promissum, ac desponsum vel vltro dono, vel optima fide persoluo. Vale. Lutetiæ Parisiorum, anno CIO IO L XIII. pridie Kalend. Nouemb.

T. LVCRETII CARI
DE RERVM NATVRA,
LIBER QVINTVS.



Vis potis est dignum polienti pectore carmen
Condere pro rerum maiestate, hisque repertis?
Quisue valet verbis tantum, quis fingere laudes
Pro meritis eius possit, qui talia nobis
Pectore parta suo, quæ sitaque præmia liquit?
Nemo (ut opinor) erit mortali corpore cretus.

Nam si, ut ipsa petit maiestas cognita rerum,
Dicendum est: deus ille fuit, deus, inclute Memmi,
Qui princeps vitæ rationem inuenit eam, quæ
Nunc appellatur sapientia: quique per artem
Fluctibus è tantis vitam, tantisque tenebris,
In tam tranquillo, & tam clara luce locauit.
Confer enim diuina aliorum antiqua reperta.
Nanque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus instituisse:
Cum tamen his posset sine rebus vita manere:
Ut fama est aliquas etiam nunc viuere genteis.
At bene non poterat sine puro pectore viui.
Quo magis hic merito nobis deus esse videtur:
Ex quo nunc etiam per magnas didita genteis
Dulcia permulcent animos solatia vitæ.
Herculis antistare autem si facta putabis:
Longius à vera multo ratione ferere.
Quid Nemeaus enim nobis nunc magnus hiatus
Ille leonis obsessus? & horrens Arcadius sus?
Denique quid Cretæ taurus, Lernæque pestis.
Hydra venenatis posset vallata colubris?
Quid ve tripectora tergemini vis Geryonæi?

Et Diomedis equi spirantes naribus ignem,
 Thracen, Bistoniasque plagas, atque Ismara propter,
 Tantopere officerent nobis: vncisq; timenda
 Unguibus Arcadiae volucres Stympbala colentes?
 Aureaque Hesperidum seruans fulgentia mala
 Asper, acerba tuens, immmani corpore serpens,
 Arboris amplexus stirpem? quid denique obesset
 Propter Atlantæum littus, pelagæque seuera,
 Quò neque noster adit quisquam, nec Barbarus audet?
 Cetera de genere hoc quæ sunt portenta peremta,
 Si non victa forent, quid tandem viua nocerent?
 Nil, vt opinor, ita ad satietatem terra ferarum
 Nunc etiam scatit, & trepido terrore repleta est
 Per nemora ac monteis magnos, siluasque profundas:
 Quæ loca vitandi plerunque est nostra potestas.
 At nisi purgatum sit pectus, quæ prælia nobis,
 Atque pericula tunc ingratis insinuandum?
 Quantæ conscindunt hominem cuppedinis acres
 Sollicitum curæ? quanti q; perinde timores?
 Quid ve superbia, spurcicia, ac petulantia, quantas
 Efficiunt cladeis? quid luxus, desidiisque?

PRO RERVM MAIESTATE, HÍ'S QVE REPERTIS? cum in libris manu scriptis partim ita scriptum reperissem, maiestate hisque reperis, partim ita: maiestate atque reperis, ego illo potius modo excudendum curavi, non repugnaturus si quis altero modo: maiestate atque reperis, reponat.

QVIS FINGERE LAVDES] sic habent libri manu scripti. nonnulli vulgati, fundere. MORT. CORP. CRETUS] cretus, id est, creatus, hunc locum graüter, atque acriter exagitat Lactant. lib. 3. de falsa sapientia. NAM SI, VT IPSA] nam si vt, dactylus est, neque i vocalis eliditur: quod sæpe aliàs fieri admonuimus. sic inf. eod. lib. terrarum qui in orbi sancta tuetur Fama, &c. DEVS ILLE FVIT] libri manuscr. habent, Deus ipse fuit. PRINCEPS] primus. sic lib. 1. Quòd patrio princeps donat nomine regem. Nonnulli vel ex hoc loco colligunt, non significari Epicurum, sed alium antiquiorē, siue Pythagoram, siue Socratem, siue vnum aliquem è septem, siue ipsum Thaletem. Firmianus lib. 3. de falsa sapientia cap. 14. Vnde apparet (inquit) aut Pythagoram laudare, qui se primus, (vt dixi) philosophum nominavit: aut Mile-

sum

sium Thaletem, qui de verū natura primus traditur disputasse. NVNC APPELL. SAPIENTIA.] sic Ennius lib. 7. ex Festo: Nec quisquam sapientiam, sapientia quæ perhibetur, In somnis vidit prius, quàm sam discere cœpit. Sic enim primum verbum emendavi. in secundo autem versum sam idem valet, quod eam. Sed quòd ad huius loci sententiam attinet, eam maxime illustrent quæ loquitur Torquatus apud M. Tull. lib. 1. de finib. his verbis. Nam cum ignoratione rerum bonarum, & malarum maxime hominum vita vexetur, ob eumque errorem & voluptatibus maximis sæpe priuentur, & prauissimis animi doloribus torqueantur, sapientia est adhibenda, quæ & terroribus, cupiditatibusque detractis, & omnium falsarum opinionum temeritate derepta certissimam se nobis ducem præbeat ad voluptatem. Sapientia enim est vna, quæ maiestatem pellat ex animis, quæ nos exhorrescere metu non sinat: quæ præceptivè in tranquillitate viuere potest, omnium cupiditatum ardore restincto. IN TAM TRANQUILLO, ET T. CL. LVCE LOC.] vide vt paria paribus reddiderit: è fluctibus in tranquillo, è tenebris in luce vitam locauit. Errant autem, qui legendum censent, In tam tranquilla, quasi coherere debeat cum voce luce. sic enim dicimus, esse in tranquillo, & referri in tranquillum. Lucill. Quòdque te in tranquillum ex seuis transfert tempestatibus. Ex Nonio in nomine seuis. NANQVE CERES] Cum multa de Cerere tradita sint à veteribus, hoc vnum non videtur hoc loco prætermittendum, quod scriptum reliquit Diodor. Siculus lib. 5. Ουκ ἄξιον δὲ παραλιπεῖν τῆς θεῆς ταύτης τὴν ὑποβολὴν τῆς εἰς τοὺς ἀνθρώπους εὐεργεσίας. χραεῖς γὰρ τῆς εὐεργεσίας τὰ σῖται, τὴν τε κερταργεσίαν αὐτῆς τοὺς ἀνθρώπους ἐδιδάξα, ἃ νόμους εἰσηγόσατο, καὶ οὐδὲ δικαιοσύνην εἰδιδόντων. δι' ἣν αἰτίαν φασὶν αὐτῶν θεσμοφόρον ἐπινομάσθαι ἱέρταν δὲ τῶν ἑλληνικῶν καὶ αὐτῆς ἐτέραν εὐεργεσίαν εὐερεῖ μείζονα. καὶ γὰρ τὸ ζῆν, καὶ τὸ κελῶς ζῆν πλεῖστοι. id est non est autem prætereundum huius Deæ (Ceres) immensum in homines beneficium. Nam præter quàm quòd frumentum inuenit, etiam eius subigendi rationem docuit, & leges dedit, quibus iustitiam colere didicerunt. Atque ob hanc causam dicunt eam legiferam esse nominatam. His autem beneficiis nullum maius reperiri potest. Nam & viuendi, & benè viuendi rationem continent. Virgil. Æneid. 4. macerant lectas de more bidentis Legifera Ceres, Phæboque, patrique Lyæo. Idem lib. 1. Georg. Prima Ceres ferro mortaleis veterere terram Instituit cum iam glandeis Dodona negaret. Et Orpheus. Τῆ κούτηρ πάντων, Δημιότηρ πλετοδοτειε: id est Tellus omniparens largitrix diuitiarum Alma Ceres. LIBERQVE LIQV. VIT. L.] liquoris vitigeni laticem: id est vinum. Virg. lib. 1. Georg. Liber & alma Ceres vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutauit arista: Poculæque inuentis Acheloa miscuit vuis. de Baccho cum multa Diodorus. Sic. lib. 1. rùm ibidem eundem Osirin fuisse narrat: multa similiter & lib. 2. 3. 4. VTFAMA EST ALIQV A S] lege Diodorum Siculum lib. 3. de iis populis, qui oram sinus Arabici, & troglodyticam regionem, & Æthiopiam Australem, ac meridionale incolunt: quorum alij piscibus, alij testudinibus, alij radicibus, alij frondibus, & seminibus, & fructibus arborum, & gramine, alij locustis vescuntur, neque vsum, aut naturam frugum nouerunt. AT BENE NON POT. SINE P.] quia Sincerum est nisi vas, quodcunque insundis acescit, vt ait Horatius noster. & idem valeat (inquit) possessor oportet, Si comportatis rebus be-

BBb

ne cogitat vti. DIDITA] dispersa. ANTI STARE] anteire, antecellere. FERERE] sic duo libri manuscripti, & ita vulgati. alij *fereris*. nihil refert. QUID NEMEA[V]S] persequitur aliquot Herculis labores: quorum primus fuit Leo Nemeæus, magnitudine inusitata, neque ferro, neque ære, neque saxo vulnerabilis, sed sola vi manuum violabilis. Leonis autem hiatus *ἄρα φέρει*: id est Leo. ET HORRENS ARCADIVS SVS] aper Erimanthius: qui tertius labor fuit. non enim ordinem seruat Lucretius. CRETAE TAVRVS] quem Pasiphaë adamavit, ex quo natus est Minotaurus. hic fuit septimus. LERN. P. HYDRA] cuius erant ceruices centū, rotidēque serpentium capita, quorum vno abscisso, duo renascebantur. QVIDVE TRIP. TERG.] Geryo, seu Geryones Chrysaoris Iberiæ regis filius, ter geminus, & ter amplus, & triceps, & tricorpor idē à poetis dictus, quia tres fratres erant, viribus corporis præstantes. Virgil. lib. 8. *Tergemini uoce Geryonis, spoliisque superbus*. Horat. od. 14. lib. 1. *Qui ter amplum Geryonea, Tityonque tristi Compestcit vnda*. de hoc lege Pausani. Attic. & Eliac. & Diod. Sicul. lib. 4. fuit autem hic decimus labor. ET DIOMEDIS EQVI] hic fuit octauus. Diomedis siue equi, siue equæ *χαλκῆς φάτις ἔχον διὰ τὸ ἄγεσθαι*, &c. (inquit Diodor. Sic.) id est ærea præsepia habebant propter immanitatem, ac feritatem, catenis ferreis propter roboris præstantiam vinciebantur: alebantur autem non hordeo, aut auena, aut alio cibo è terra nato, sed corporibus humanis membratim discerptis, ac dilaceratis. Virgil. lib. 10. *Non Diomedis equos, non currum cernis Achillis?* THRACEN, BISTON.] erat enim Diomedes Thrax, seu Threx. BISTONIA[V]S] Thracias à Bistonia vrbe, vel à stagno Bistone. ex quo Bistonides. Horat. od. 19. lib. 2. *Bistonidum sine fraude crines*. ARCAD. VOLVC. STIMPH. COL.] hic fuit quintus. Stymphalus vrbe, & montis nomen in Arcadia, & Stymphalis palus: unde Stymphalides aues, quæ magnitudine gruibus pares erant (vt tradit Pausan. Arcad.) figura ibibus similes, rostra habebat ita solida & dura, vt arma penetrarent. suberi autem foli cedebant. Stymphalia monstra appellat Catull. carm. ad Manlium. *Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta Perculit imperio deterioris heri*. eas aueis sagittis suis confixit Hercules, vt declarant versus Catulli, & tradit Pausan. Arcad. Sed Diodorus Siculus scribit lib. 4. eum constructo æneo crepitaculo, & ingenti per id sonitu excitato illas abegisse. AVREA[V]S] HESPERIDVM] Duodecimus hic fuit Herculi labor iniunctus ab Eurytheo, vt ex hortis Hesperidum mala aurea, seu oues aureas asportaret. (nam *ἄλλοι* apud Græcos vtrunque significat.) quorum custos erat draco peruigil. de hoc autem dracone, & de Hesperidibus lege Diodorum Sic. lib. 4. Virg. Æn. 4. *monstrata sacerdos, Hesperidum templi custos, epulâsque draconis Quæ dabat, & sacros seruabat in arbore ramos*. ACERBA TVENS.] acerbo aspectu, acerbè intus. imitatus est Virgil. Georg. 3. *Aster acerba sonans*. STIRPEM] truncum. Virgil. Æn. 12. *lentōque in stirpe motus*. PROPTER ATLANTA[V]M LITTVS] cum in omnibus libris manuscriptis, quos quidem viderim, Vaticano, Thet. Faëri. Bertin. Memm. scriptum reperissem *Propter Ataneum litus*, in vulgatis autem *Oceani propter litus*, de que hac scripturæ dissimilitu-

dine ad Adr. Turnebum retulisset, coniecit ille valde *ἄσχετος*, legendum, *Propter Atlantæum litus*: quemadmodum excudendum curavi, leui immutatione facta scripturæ veteris, nempe mutato i. in l. & ex e. vocali facta diphthongo æ. & addito r. quæ emendatio minimè violenta est. PELAGE[V]S] SEVERA] sic habent libri quinque manuscripti. per *pelage seneca* autem, intellige non nauigabilia, & quæ non præbent se nauigatibus placata, aut facilia, sed infesta, & inimica. pelage autem Græcum est, *πλάγη*, vt *μῆλα* mele. sic lib. 6. *At pelage multa, & late substrata videmus*. NAM AD SATIATEM] nam etiam hodie ad satietatem, *ἄεὶς νόστος*: id est valde repleta est terra ferarum. SCATI] sic legendum, & ita habent libri manuscripti, non *scater*. sic infra, *Largifluum fontem scātere, atque erumpere flumen*. sic apud hūc *fulgit, feruit, &c.* QUAE PROELIA NOBIS, ATQUE PERTVNC INGR. INSINUANDVM] id est quæ tunc proelia inire, quæq; pericula adire nos oportet vel inuitos? *insinuandum*: subintellige est: id est insinuare, & subire nos oportet. *ingeratis*: id est velimus, nolimus. sic supra lib. 3. extr. *at, quod scilicet (vt sit) Effugere haud potis est, ingratiss barret, & angit*. Cum in libris omnibus legeretur: *Atque pericula sunt ingr.* &c. ego, *Atque pericula tunc*, reposui: quæ scriptura sine controuersia recta est. CUPPEDINIS] id est cupiditatis. idem lib. 6. princip. *Et finem statuit cupidinis, atque timoris*. & sup. lib. 4. *Tam magis ardescit illa cupidine peccus*: & item sæpe. *Cupiditates* (inquit M. Tull. de Finib.) *sunt insatiabiles, quæ non modo singulos homines, sed vniuersas familias euerrunt: totam etiam labefactant sæpe remp. Ex cupiditatib. odia, dissidia, discordia, seditioes, bella nascuntur*. Ibidem sub persona Torquati dicit Epicurum tria genera cupiditatum posuisse: vnum earum, quæ essent & naturales, & necessaria: alterum earum, quæ naturales essent, nec tamen necessaria: tertium earum, quæ nec naturales essent, nec necessaria, &c.

- 50 *Hæc igitur qui cuncta subegerit, ex animoque
Expulerit dictis, non armis: nonne decebit
Hunc hominem numero diuū dignari esse?
Cum bene præsertim multa, ac diuinitus ipsis
Immortalibus de diuis dare dicta fuerit:
Atque omnem rerum naturam pandere dictis.
Cuius ego ingressus vestigia, dum rationes
Persequor: ac doceo dictis, quo quæque creata
Fœdere sint, in eo quàm sit durare necessum:
Nec validas æui valeant rescindere leges:*
60 *Quo genere in primis animi natura reperta est
Natum primum consistere corpore creta:
Nec posse incolumis magnum durare per æuum:*

*Sed simulacrâ solere in somnis fallere mentem,
Cernere cum videamur eum, quem vita reliquit:
Quod superest, nunc me huc rationis detulit ordo,
Ut mihi mortali consistere corpore mundum,
Natiuumque simul ratio reddunda sit, esse:
Et quibus ille modis congressus materiai
Fundarit. terram, calum, mare, sidera, solem,
Lunâiq; globum: tum quæ tellure animantes
Extiterint: & quæ nullo sint tempore nata:
Quôve modo genus humanum variante loquela
Coeperit inter se vesci per nomina rerum:
Et quibus ille modis diuûm metus insinuarit
Pectora, terrarum qui in orbi sancta tuetur
Fana, lacus, lucos, aras, simulacrâque diuûm.
Præterea solis cursus, lunæque meatus.
Expediam, qua vi flectat natura gubernans:
Ne fortè hic inter cælum, terrâmq; reamur
Libera sponte sua cursus lustrare perenneis
Morigera ad fruges augendas, atque animanteis:
Nève aliqua diuûm volui ratione putemus.
Nam, bene qui didicere deos securum agere æuûm,
Si tamen interea mirantur, qua ratione
Quæque geni possint, præsertim rebus in illis,
Quæ supra caput ætheriis cernuntur in oris:
Rursus in antiquas referuntur religiones,
Et dominos acreis adsciscunt, omnia posse
Quos miseri credunt, ignari quid queat esse,
Quid nequeat, finita potestas denique cuique
Quânam sit ratione, atque altè terminus hærens.*

SVBERIT] Horat. li. i. epist. Natâque fatali portenta labore subegit. DI-
CTIS, NON ARMIS] id est verbis & rationibus, nō ferro, neque telis,
neq; corporis viribus, ut Hercules. HUNC HOMINEM] siue Pythagorâ,
siue Thaletem, ut vult Firmianus. IMMORTALIBV DE DIVIS] sic

restitui, vsum & consuetudinem Latini sermonis secutus. sic enim loquū-
tur Latini: sermo de diuis, dicta, seu verba de Diis. PANDERE DICTIS] sic
lib. i. & rerum naturam expandere dictis. CUIVS EGO INGRESSVS
V E S T.] hic versus pertinet ad versum abhinc decimum, cuius principiū
est, Quod superest, nunc me huc rationis, &c. Et videtur esse ἀπολόδογ propter
hyperbaton scilicet. sic enim videbatur loqui debuisse. Cuius me ingressū
vestigia, dum perfectior &c. nunc quod superest huc rationis ordo detulit,
ac prouexit, ut ratio mihi reddenda sit mundum esse & natiuum, & morta-
lem. QVO GENERE IN PRIMIS, &c.] lib. 3. NEC POSSE IN-
COL.] sic lib. 3. Non modò non omne incolumis durare per æuûm, Sed minimū quod-
uis nequeat consistere tempus: ego autem incolumis, ut sic hic ordo. & reperta
est non posse incolumis magnum durare per æuûm, Sed simulacrâ in somnis
mêtem fallere solere reperta sunt, &c. CERNERE VTI VIDEAMVR] cū
in codice Vatic. scriptum reperissem, Cernere ut videamur, ego Cernere uti re-
posui. QVOD SVPEREST, NVNC ME HVC RAT.] Nunc instituit
docere mundum esse natum, & interiturum. Pendet autem ad hunc ver-
sum sententia vsque ab illo, Cuius ego ingressus vestigia, &c. qui fortasse ira le-
gendus est: Cuius me ingressum vestigia, dum rationes, &c. quæ scriptura si cui
placebit, sic erit hic versus legendus: Quod superest nunc huc, &c. detracto
pronomine me, quod non reperitur in plerisque libris. CONGRESSVS
MATERIAI] concilium primorum corporum, coitus, & cœtus primor-
diorum. COEPERIT INTER SE VESCI] sic restitui, partim secu-
tus fidem codicum manuscriptorum, partim Nonij Marcelli testimonio addu-
ctus, qui sic legit hunc versum, & interpretatur vesci, uti. Vesci (inquit ille)
etiam significat uti. Virg. Æneid. i. Quem si fata virum. seruant, si vescitur aura
Ætheria. Lucret. li. 5. Quôve modo, &c. Pacuuius fugimus, qui arte hac vescimur.
Idem arm. iudicio. Qui viget, vescatur armis, & percipiat præminim. TERRA-
RV M QVI IN ORBI] in prouocabulo qui, i vocalis non eliditur, & cor-
ripitur: quod non esse nouum sæpe admonuimus. qui deorum metus (in-
quit) tuetur deorū fana, lacus, lucos, aras, simulacrâ: id est facit ut homines
fana, & cetera, quæ supra diximus, diis immortalibus consecrent. NATV-
RA GVBERNANS] sic infra paucis post versibus. Quod procul à nobis fle-
ctat fortuna gubernans: vel, ut aliis in libris legitur, natura gubernans. NEFOR-
TE HÆC] sic habent libri manuscripti. quinque. hac autem nempe solem,
& lunam. NAM BENE QVIDID. DEOS SEC.] hic versus, & nouè
deinceps subsequentes, iterantur non longe à principio libri sexti. SECV-
RV M AGERE AEVVM] securè viuere. ex hoc illud Horatianū sumtum
est saty. 5. lib. i. nanque deos didici securum agere æuûm. sic sup. lib. i. & 2. Omnis
enim per se Diuûm natura necessest Immortali æuo summa cum pace fruatur, &c.
QVAEQVE GENI] id est gigni. QVANAM SIT RATIONE] hic
versus cum superiore iteratur lib. i. & lib. 6.

*Quod superest, ne te in promissis plura moremur,
Principio, maria ac terras, calumque tuère:*

*Horum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
 Treis species tam dissimileis, tria talia texta,
 Vna dies dabit exitio: multosque per annos
 Sustentata ruet moles, & machina mundi.
 Nec me animi fallit, quam res noua, miraque menti
 Accidat exitium celi, terraeque futurum:
 Et quam difficile id mihi sit peruincere dictis:
 Ut sit, vbi insolitam rem adportes auribus ante,
 Nec tamen hanc possis oculorum subdere visu,
 Nec iacere indu manus, via qua munita fidei
 Proxima fert humanum in pectus, templaque mentis.
 Sed tamen effabor: dictis dabit ipsa fidem res
 Forsitan, & grauius terrarum motibus orbis
 Omnia conquassari in paruo tempore cernes:
 Quod procul a nobis flectat fortuna gubernans:
 Et ratio potius, quam res persuadeat ipsa,
 Succidere horrisono posse omnia victa fragore.*

NE TE IN PROMISSIS P. M.] quidam viri docti censent delendum praepositionem, in. T V E R E] intuere, aspice. H O R V M N A T V R A M, &c.] sic necessario legendum. nam in vulgatis legitur *Quorum naturam, &c.* T R E I S S P E C I E S, &c.] hunc versum profert Nonius in voce *textus.* V N A D I E S D A B I T] Idem lib. 2. extr. *Sic igitur magni quoque circum mœnia mundi Expugnata dabunt labem, putresque ruinas.* Idem infra eod. lib. *At non multa vni huiusmodi sub signis millia ducta Vna dies dabit exitio, &c.* hoc æmulatus est Ouidius his versibus. *Carmina sublimis tunc sunt moritura Lucreti, Exitio terras cum dabit vna dies.* Negat autem hoc Aristoteles 1. lib. de celo: negat & Plato in Timæo. sed hoc interest inter Platonem, & Aristotelem, quod Plato mundum à Deo creatum esse ait, interituum negat, non quod sua natura non sit mortalis, sed quod non sit consentaneum bonitati opificis Dei, quod opus tanto consilio, tantaque sapientia fabricatus sit, id opus aut dissoluere, aut aliqua vi dissolui sinere. Aristoteles autem quicquid natum sit, vult etiam interire posse, atque ad eod. interituum. Cælum autem neque natum esse, neque vnquam interituum. N E C M E A N I M I F A L L I T] genus loquendi vsitatum Latinis, & maxime poetis, vt alibi notauimus. O C V L O R V M S V B D E R E V I S V] oculis subiicere. *visu*, id est visui. I N D V M A N V S] in manus. *indu* praepositio antiqua, quæ valet *in*: iacere autem in manus, id est manibus contrahendam dare. Q V A] per quam partem, nempe per sensum tangendi, & sensum videndi. T E M P L A Q V E M E N T I S]

T I S] mentem. D I C T I S D A B I T I P S A F I D E M R E S F O R S I T A N] id est forsitan res ipsa, nempe mundi interitus, fidem conciliabit meis verbis, te viuo, & vidente: cum omnem hunc mundum conquassari, & concidere, & dissolui cernes, tum mihi credes. F L E C T A T] auertat. F O R T V N A G V B E R N A N S] nonnulli libri habent *natura gubernans. succidere*] subter cadere.

*Qua prius aggrediar quam de re fundere fata
 Sanctius, & multo certa ratione magis, quam,
 Pythia quæ tripode è Phœbi, lauroque profatur:
 Multa tibi expediam doctis solatia dictis:
 Relligione refrenatus ne fortè rearis
 Terras, & solem, & cælum, mare, sidera, lunam
 Corpore diuino debere aterna manere:
 Proptereaque putes ritu par esse gigantum,
 Pendere eos pœnas immani pro scelere omneis,
 Qui ratione sua disturbent mœnia mundi,
 Præclarumque velint cæli restinguere solem,
 Immortalia mortali sermone notantes.
 Quæ procul vsque ad eod. diuino ab numine distent,
 Inq; delum numero quæ sint indigna videri,
 Notitiam potius præbere vt posse putentur,
 Quid sit vitali motu, sensuque remotum.
 Quippe etenim non est, cum quouis corpore vt esse
 Posse animi natura putetur, consiliūque.
 Sicut in athere non arbor, non equore salso
 Nubes esse queunt, neque pisces viuere in aruis:
 Nec cruor in lignis, nec saxis succus inesse.
 Certum, ac dispositum est, vbi quicquid crescat, & insit:
 Sic animi natura nequit sine corpore oriri
 Sola, neque à nervis, & sanguine longiter esse.
 Hoc si posset enim: multò prius ipsa animi vis
 In capite, aut humeris, aut imis calcibus esse
 Posset, & innaſci quauis in parte soleret:
 Tandem in eodem homine, atq; in eodem vase maneret.*

Quod quoniam nostro quoque constat corpore certum,
 Dispositumque videtur, ubi esse, & crescere possit
 Seorsum anima, atque animus: tanto magis inficiandum,
 Totum posse extra corpus, formamque animale
 Putribus in glebis terrarum, aut solis in igni,
 Aut in aqua durare, aut altis aetheris oris.
 Haud igitur constant diuino prædita sensu,
 Quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.

[S ANCTIVS, ET MVLT O, &c.] hic versus, & qui proximè sequitur, iam supra positus extat lib. I. RELIGIONE REFREN.] superstitione, & inani deorū metu repressus. MEARE] moueri, labi. PROPTEREA QVE PVTE S, &c.] id est & idcirco putes æquum esse eos omneis dare pœnas, pro sua impietate, vt Gygantes, qui suis rationibus mundum interiturum esse probare conantur. IMMORTALIA] cælum, solem, lunam, &cet. QVAE PROCVLVSQVE ADEÒ] hæc nunc dicuntur ex persona Lucretij. QVIPPE ETENIM NON EST] id est nō enim fieri potest, vt animus, & consilium cum quouis corpore sit. sic lib. 3. Denique in æthere non arbor, non æquore in alto Nubes esse queunt, &c. ibi enim duodecim versus & amplius, huius loci, iā positi sunt. NON AEQVORE SALS O] lib. 3. eo, quē indicaui, loco legitur: non æquore in alto. VBI QVICQVID CRESCAT] id est vbi quicq; crescat. CONSTAT CORPORE CERTVM] constat certum, id est certum est.

Illud item non est, vt possis credere, sedes
 Esse Deūm sanctas in mundi partibus vllis.
 Tenuis enim natura Deūm, longēque remota
 Sensibus à nostris animi vix mente videtur.
 Quæ quoniam manuum tactum suffūgit & ictum:
 Tactile nil nobis quod sit, contingere debet.
 Tangere enim non quit, quod tangi non licet ipsum.
 Quare etiam sedes quoque nostris sedibus esse
 Dissimiles debent, tenues de corpore eorum:
 Quæ tibi posterius largo sermone probabo.

[NON EST VT] nō potest fieri vt, ἢ ἐστὶν ἄπικος. SEDES ESSE DEVM] negat Lucretius vllam mūdi partem deorum sedem esse, cum Homerus, & plerique philosophi consentiant cælum deorum esse domicilium. idem testatur & vita communis (inquit Aristoteles) Nam manus ad cælum porrigimus,

gimus, atque attollimus cū vota facimus, ac precamur. TENVIS ENIM NATVRA] sic argumentatur Lucretius. Deorum natura tenuissima est, atque à sensib. nostris remotissima. at quod est huiusmodi, neque quicquā tangere, quod nobis sit tactile, neque à nobis tangi potest. omnes autem mundi partes sub sensus nostris cadunt. ergo nullæ mundi partes deorum sedes esse possunt. QVOD T. NON LICET IPS.] quidam legendum putant: quod tangi non queat ipsum. ANIMI VIX MENTE V.] vix cogitatione, & intelligentia cōprehenditur. sup. lib. 4. Mens animi vigilat. CONTINGERE DEBET] contingere, id est attingere, tangere.

Dicere porrò hominum causa voluisse parare
 Praclaram mundi naturam, propterea que
 Id laudabile opus diuūm laudare decere,
 160 Aeternūmque putare, atque immortalē futurum,
 Nec fas esse, Deūm quod sit ratione vetusta
 Gentibus humanis fundatum perpetuo æuo,
 Sollicitare suis vllum de sedibus vnquam,
 Nec verbis vexare, & ab imo euertere summam:
 Cetera de genere hoc ad fingere, & addere, Memmi,
 Desipere st. quid enim immortalibus, atque beatīs
 Gratia nostra queat largiri emolumentī,
 Vt nostra quicquā causa gerere aggrediantur?
 Quidve noui potuit tanto post antè quietos
 170 Inlicere, vt cuperent vitam mutare priorem?
 Nam gaudere nouis rebus debere videtur,
 Cui veteres obsunt: sed, cui nil accidit ægri,
 Tempore in antea cto cum pulchrè degeret æuum:
 Quid potuit nouitatis amorem accendere tali?
 An, credo, in tenebris vita, ac mærore iacebat,
 Donec diluxit rerum genitalis origo?
 Quidve mali fuerat nobis non esse creatis?
 Natus enim debet quicunqu' est, velle manere
 In vita, donec retinebit blanda voluptas.
 180 Qui nunquam verò vita gustauit amorem,
 Nec fuit in numero, quid obest non esse creatum?

*Exemplum porro gignendis rebus, & ipsa
 Notitias hominum diuis vnde insita primum,
 Quid vellent facere vt scirent animoque viderent?
 Quove modo est vnquam vis cognita principiorum,
 Quidnam inter sese permutato ordine possent?
 Si non ipsa dedit specimen natura creando?
 Nanque ita multa modis multis primordia rerum:
 Ex infinito iam tempore percita plagis,
 Ponderibusque suis consuuerunt concita ferri,
 Omni modis que coire, atque omnia pertentare,
 Quaecunque inter se possint congressa creare,
 Vt non sit mirum si in taleis disposituras
 Deciderunt quoque, & in taleis venere meatus,
 Qualibus haec rerum genitur nunc summa nouando.*

DICERE PORRO] negat mundum hominum causa esse à Deo crea-
 tum. hos versus profert & Firmian. NEC FAS ESSE, DEVM QVOD]
 ordo & sententia est. nec fas esse quenquam id quod sit ratione, & cõsilio
 deorum, hominum causa conditum, id est mundum, verbis & argumentis
 suo loco mouere, aut labefactare conari. SOLLICITARE] proprie.
 Nam sollicitare (inquit Festus) est solo citare, id est ex suo loco mouere. solum autem
 quin significet locum quis dubitet, cum exsules quoque dicantur loco patriæ suæ pulsi?
 ET AB IMO EVERTERE SUMMAM] sic quidem habet codex Vati-
 canus. Verumtamen ego legendum censeo, euertere fundo hac ratione du-
 ctus, quod cum in quattuor lib. manuscriptis, & in omnibus impressis re-
 pererim euertere summa, in vno Vaticano euertere summam: quæ sola scriptura
 videtur tolerabilis, & speciosa: existimem omnia exemplaria esse corru-
 pta, deprauata, ac detorta à scriptura recta, fundo, & summam esse emenda-
 tum ab eo qui facile viderit summa esse mendosum. omnino euertere summam
 mihi non admodum probatur, quia hæc tria verba sollicitare, vexare, euertere
 referantur ad illud quod est supra, nempe, quod sit deorum ratione vetusta
 Gentibus humanis fundatum perpetuo æuo. quod nihil est aliud, quàm mundus.
 Iam sic supra locutus est lib. 3. non longe à principio, Hunc vexare pudor-
 em, hunc vincula amicitia Rumpere, & in summa pietatem euertere fundo: vbi ta-
 men vulgò legitur euertere suadet. neque tamen ignoro ita Latine dici posse
 euertere ab imo simpliciter. sic enim Virgil. est locutus lib. 2. & ex imo verti
 Neptunia Troia. QVID ENIM IMMORT. ATQVE B.] totius hu-
 ius loci sententiam persecutus est M. Tullius primo libro de nat. Deo. his
 verbis. Quid autem erat, quod concupisceret Deus mundum signis & luminibus, tan-
 quam ædilis ornare? si, vt Deus ipse melius habitaret: antea videlicet tempore infini-

to in tenebris, tanquam in gurgustio, habitauerat. Post autem varietate eum delectari
 putamus, qua celum, & terras exornatas videmus? Quæ ista potest esse oblectatio deo?
 quæ si esset, non ea tandiu cavere potuisset. An hæc, vt ferè dicitis, hominum causa à
 deo constituta sunt? sapientiumne? propter paucos ergo tanta est facta rerum molitio.
 an stultorum? at primum causa non fuit, cur de improbis bene mereretur, &c. QVID
 POTUIT NOVITATIS AMOREM ACCEND.] sic restitui trium li-
 brorum manuscriptorum fidem secutus. AN CREDO IN TENEBRIS]
 an scilicet deorum vita iacebat in tenebris, & mærore, donec mundus crea-
 tus est? an habitabant dii tanquam in gurgustio? quod est absurdum dictu.
 QV ÌD VE MALI] hunc versum, qui fuerat alieno loco positus, in suum
 locum restitui. debet enim legi post versum, Donec diluxit, & cer. QVID
 OBEST NON ESSE CREATVM?] in quibusdam libris legitur, non esse
 creato? EXEMPLVM] τὸ παράδειγμα. exemplum quod sequerentur, & ad
 cuius similitudinem mundum crearent. vel exemplum: id est ἰδέα, ἴδω. NO-
 TITIAS HOMINVM] ἡ γνώσις. ipsa idea. τὸ ἴδω. huius loci hæc sententia
 est. Nihil creati, nihil fingi potest sine idea, seu specie, seu exemplo: nec sine
 eius rei, quæ creanda est notitia, & cognitione informata. At vnde primum
 diis immortalibus insita sunt ideæ rerum creandarum? vnde nacti sunt il-
 larum notitias, per quas scirent, animoque cernerent, quid facere institue-
 rent? Platonicis responderent ideas esse æternas, & in mente diuina ab infini-
 to tempore vnà cum deo insitas. QV ÒVE MODO EST VNQVAM]
 sic restitui secutus codices Faern. & Thet. Vaticanus autem habebat nun-
 quam. mendosè. SI NON IPSA DEDIT SPECIMEN NAT.
 CREAND] primum specimen non speciem legendum est. specimen enim
 nunc dicit, opinor, quod supra exemplum, id est παράδειγμα appellauit: seu
 potius specimen posuit pro eo quod arguit, & significat, qualis quæque res
 sit, pro indicio, & nota rei. sic enim dicimus, specimen innocentia Rutii-
 lium fuisse: specimen suæ virtutis aliquem dare: senatum omni vitio carere,
 & ceteris ordinibus specimen esse debere: deinde creando potius, vt habent
 codices Florentini, quàm creandi: vt sit hæc totius huius loci sententia: nul-
 lo alio modo principiorum vim & potestatem cognosci potuisse, quid illa
 valerent ordine & situ, & ceteris mutatis, nisi quia natura creando & gigne-
 do specimen dedit: id est ostendit quæ esset vis principiorum. QV ALI-
 BV S HAEC GENITVR] id est gignitur.

*Quod si iam rerum ignorem primordia quæ sint,
 Hoc tamen ex ipsis celi rationibus ausim
 Confirmare, aliisque ex rebus reddere multis,
 Nequaquam nobis diuinitus esse paratam
 Naturam rerum: tanta stat prædita culpa.
 Principio, quantum celi tegit impetus ingens,
 Inde auidam partem montes, siluæque ferarum*

Possedere, tenent rupes, vastæque paludes,
 Et mare, quod latè terrarum distinet oras.
 Inde duas porro propè parteis feruidus ardor,
 Assiduusque geli casus mortalibus aufert.
 Quod superest arui, tamen id natura sua vi
 Sentibus obducat, ni vis humana resistat,
 Vitæ causa valido consueta bidenti
 Ingemere: & terram pressis proscindere aratris.
 Si non facundas vertentes vomere glebas,
 Terræq; solum subigentes cimus ad ortus:
 Sponte sua nequeant liquidas existere in auras.
 Et tamen interdum magno quæ sita labore,
 Cum iam per terras frondent, atque omnia florent:
 Aut nimis torret feruoribus ætherius sol,
 Aut subiti perimunt imbres, gelidæque pruina:
 Flabræque ventorum violento turbine vexant.
 Præterea genus horviferum natura ferarum,
 Humana genti infestum, terræque, marique,
 Cur alit, atque auget? cur anni tempora morbos.
 Apportant? quare mors immatura vagatur?
 Tum porro puer, vt seuis proiectus ab undis
 Nautica, nudus humi iacet, infans, indigus omni
 Vitali auxilio: cum primùm in luminis oras
 Nixibus ex aluo matris natura profudit:
 Vagituque locum lugubri complet, vt æquum sit,
 Cui tantum in vita restet transire malorum.
 At varia crescunt pecudes, armenta, feræque:
 Nec crepitacula eis opus sunt, nec cuiquã adhibenda sit.
 Alme nutricis blanda, atque infracta loquela:
 Nec varias querunt vesteis pro tempore cæli.
 Denique non armis opus est, non mœnibus altis,
 Queis sua tutentur, quando omnibus omnia largè
 Tellus ipsa parit, naturæque dædala rerum.

QVOD SI IAM RERVM, &c.] id est quod si concedam me ignorare,
 quæ sint principia rerum, &c. TANTA STAT] id est adeò multa insunt
 peccata, multaque, quæ reprehendi possint, vel multa non rectè, neque or-
 dine facta, in natura rerum, & in hoc mundo. QVANTVM] non dixit
 quantum terræ, sed quantum simpliciter. non enim quicquid cælum com-
 plectitur & regit, terra est, sed partim terra habitabilis, partim mare, par-
 tim fluuij & lacus, & paludes, partim silvæ & nemora, partim terra propter
 ardorem, aut frigus inhabitabilis. IMPETVS INGENS] cæli impetum
 dixit, cæli ambitum celerrimum, & volubilissimum. sic M. Tull. lib. 2. de
 nat. Deor. Cum autem impetum cæli admirabili cum celeritate moueri, veritque vi-
 deamus, constantissimèque conscientem vicissitudines annuversarias, & cet. AVI-
 DAM PARTEM] id est magnam partem, vastam, & ingentem, quasi aui-
 dè occupatam, per hypallagen. sic posuit Horat. od. 14. lib. 2. pauimentum
 superbium, pro pauimento superbi domini. FERVIDVS ARDOR] sub
 zona torrida. ASSIDVVS QVE GELI CASVS] sub duabus zonis ex-
 tremis nimio frigore rigentibus. gelus autem etiam masculino genere vsi-
 tatū fuisse veteribus testatur Nonius Marc. profertque hæc verba ex Afra-
 nio. Quis tu es ventoso in loco soleatus intempesta noctu, sub diuo, aperto capite, sili-
 cem cam findat gelus? NIVIS HVM. RESISTAT] arando, fodiendo, far-
 riendo, pastinando, colendo denique, vt statim dicet. INGEMERE] sic
 Virg. Georg. lib. 1. Depressa incipiat iam iū mibi taurus aratro Ingemere. PRO-
 SCINDERE] Idem Virgil. lib. 2. Georg. Et validis terram proscinde iuuëcis.
 SI NON FAECVNDAS, &c.] hic versus cum duobus qui sequuntur, iam
 antè positi sunt lib. 1. ET TAMEN INTERDV M MAGNO, &c.] Virg.
 lib. 1. Georg. Nec tamen, hæc cum sint hominūque, boūque labores Versando ter-
 ram experti, nihil improbus anser, & c. ibidem. Quid tempestates Autumni, & sibe-
 ra dicam, & c. quæ cum his Lucretianis conferre non parum iuuabit. AP-
 PORTANT] quidam legi volunt, Important, quod magis probarem, si quo
 in codice scriptum reperissem. sic quidem est locutus infra eod. lib. Aut
 aliam quamuis cladem importare pericli. TVM PORRÒ PVER] lege ad hūc
 locum Plinium lib. 7. de imbecillitate naturæ humanæ. VITALI AVXI-
 LIO] sic habent omnes libri: malim tamen legi Vitæ auxilio, vt censet Mu-
 retus. VAGITV QVE LOCVM] sic Plin. eo quem dixi, loco. Hominem
 tantum nudū, & in vuda hūno natali die abiicit ad vagitus statim & ploratus, nul-
 lūque tot animalū pronius ad lacrymas, atque has protinus vitæ principio. CRE-
 PITA CVLA] id est crepundia. cum in quibusdam libris manuscriptis scri-
 ptum reperissem, Nec crepitacula eis opus est, non dubitavi, quin ea scriptura à
 recta & vera, Nec crepitacula eis opus sunt, esset deprauata. nā quod in omnib.
 libris vulgatis legitur, Nec crepitaculis opus est, & ita in Bertin. nō dubito quin
 hæc scriptura subdita sit ab eo qui, Nec crepitacula eis opus est: ferri non posse
 animaduerneret, nec veram excogitare posset. INFRACTA] fracta, &
 decurtata. DÆDALA] artifex, opifex lege quæ annotata sunt ad illum lo-
 cum lib. 1. Dædala Tellus.

Principiò quoniam terræ corpus, & humor,

*Aurariumque leues animæ, calidique vapores,
E quibus hæc rerum consistere summa videtur:
Omnia natio, ac mortali corpore constant:
Debet tota eadem mundi natura putari.
Quippe etenim quorum parteis, & membra videmus
Corpore natio, & mortalibus esse figuris:
Hæc eadem ferè mortalia cernimus esse,
Et natio simul, quapropter maxima mundi
Cum videam membra, ac parteis consumta regioni:
Scire licet, cæli quoque idem, terræque fuisse
Principiale aliquod tempus, clademque futuram.
Illud in his rebus ne me arripuisse rearis
Memmi, quod terram, atque ignem mortalia sumsi
Esse: neque humorem dubitavi, aurâsque perire:
Atque eadem gigni, rursûsque auferere dixi:*

PRINCIPIO QVON.] ostendit mundi parteis interire: ex quo vult effici, mundum quoque ipsum interiturum. LEVES ANIMAE] venti, profert hunc versum Nonius. Sic Horat. od. 12. lib. 4. Impellunt animæ lin-
tea Thracia. DEBET TOTA EADEM] sic restitui coniectura ductus, cū in duobus libris manuscr. reperissem, Debet omnia eadem. omnia enim factum est ex *ota. t* autem omissum à librario propter alterum *t.* quod antecedit. FUISSE PRINCIPIALE ALIQUOD TEMPVS, CL.] id est fuisse tempus, quo cælum & terra principium, & originē habuerint, & fore cum intereant. Putant item Stoici fore aliquando, vt hic mundus ardore deflagret: & nos Christiani credimus. ILLVD IN HIS REBVS NE ME ARRIP.] sic restitui, non leui coniectura ductus. nam cum in duobus libr. manuscr. reperissem ita scriptum, *ne arripuisse rearis*, facile adductus sum, vt existimarem, *me*, pronomen esse omissum à librario scriptore propter similitudinem particulæ, *ne*: deinde ex *arripuisse* factum esse *corripuisse* ab aliquo semidocto, qui facile quidē sentiret versum claudicare: sed quid sententiæ deesset, nō videret. *ne me arripuisse rearis* autem, id est ne forte me existimes per vim, & temere, & sine ratione assumisisse, quasi abs te datum & concessum, id quod sumsi, & posui, nepe parteis mundi interituras, &c.

*Principio pars terræ nonnulla perusta
Solibus adsiduis, multa pulsata pedum vi
Pulueris exhalat nebulam, nubis que volanteis,*

*Quas validi toto dispergunt aère venti.
Pars etiam glebarum ad diluuiem reuocatur
Imbribus, & ripas radentia flumina rodunt.
Præterea, pro parte sua quodcunque aliud auget,
Roditur: & quoniam dubio procul esse videtur
Omniparens, eadem rerum commune sepulchrum:
Ergo terra tibi limatur, & aucta recrescit.
Quod superest, humore nouo mare, flumina, fonteis
Semper abundare, & latices manare perennes,
Nil opus est verbis, magnus decursus aquarum
Undique declarat: sed primum quicquid aquæ
Tollitur, in summæque fit, vt nil humor abundet,
Partim quod validi verrentes æquora venti
Diminuunt, radiisque retexens ætherius sol:
Partim quod subter per terras diditur omneis.
Percolatur enim virus, retróque remanat
Materies humoris, & ad caput amnibus omnis
Conuenit: inde super terras fluit agmine dulci,
Quæ via seëta semel liquido pede detulit vndas.*

PRINCIPIO PARS] ad hunc locum vsque sententiæ pendet: hinc autem incipit probare id quod sumsit, ne quis dicat eum pro suo iure, & quasi per vim rapuisse, non sumisisse. EXHALAT NEBVLAM] verbo exhalat subiunxit casum accusandi, vt Virgil. lib. 2. Georg. qui videtur hunc locum imitatus esse. *Quæ tamen exhalat nebulam, fumosque volucreis.* Idem lib. 7. *scuamque exhalat opaca Mæphitin.* Iterum Lucret. infr. eodem lib. *Exhalantque lacus nebulam, fluuntque perennes.* etiam verbo respirandi, vt sup. lib. 2. *Sanguinis expirans calidum de pectore flumen.* & verbo efflandi, vt infrà eod. lib. *atque suos efflauit languidus igneis.* PARS ETIAM GLEB. AD DIL.] profert hunc versum Nonius in voce *diluuius*. PROPTEREA QVODCUNQVE.] Præterea (inquit) quicquid pro parte sua aliud auget, id roditur. *alid*, id est aliud, vt sæpe aliàs. mendose autem in vulgatis legitur, *alid* per sic infr. paullo pòst. Nam *quodcunque aliud ex se res auget, alitque, Diminui debet &c.* RODITVR] id est, diminuitur. tralatio: quod statim dicit *limari*, alia tralatione. OMNIPARENS] Virgil. lib. 6. *Æneid. terra omniparentis alumnus.* ERGO TERRA TIBI LIMATVR] ergo terra minuitur, ac deteritur. *limatur* autem legendum, non *libatur. tibi*, venustatis & concinnitatis causa positum, vt apud Horat. epist. 3. lib. 1. *Quid mihi Celsus agit?*

MAGNVS DECVRVSVS AQVARVM VND.] id est magnæ aquæ vndique decurrentes. PRIMVM QVICQVID] primum quicque, vt sæpe aliàs. & quidem paucis pòst versibus: Nam primum quicquid fulgoris deperit eij. VERRENTES AEQVORA VENTI] sic infra. Ne quicquam, quoniam verrentes aquora venti Diminuunt, &c. & lib. I. Sunt igitur venti nimirum corpora cæca, Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cæli Verrunt. PERCOLATAVR ENIM VIRVS, RETR.] fuit hæc quorundam antiquorum philosophorum opinio, quam commemorat Aristot. lib. 2. ματρωρ. Fluios ex mari nasci, quemadmodum in idem relabuntur: quia aqua falsa percolata fit dulcis, & ad bibendum utilis. sic Arist. οὐδὲν ἄλλο ἢ γίνεται τὸ ἀλμυρὸν, πόντον. sup. lib. 2. Et quo mista putes magis aspera leuibus esse Principiis, unde est Neptuni corpus acerbum, Est ratio secernendi, seorsumque videndi, &c. ET AD CAPVT] ad fonteis. iteratur autem hic versus cum tribus deinceps sequētibus lib. 6. AGMINE DVLCI] Virgil. lib. 2. Æneid. leni fluit agmine Tibris. sic Ennius lib. 5. Quod per amœnam urbem leni fluit agmine flumen. agmen pro actu, & du. Et, inquit Macrobl. lib. 6. Saturn. QVA VIA SECTA SEMEL] ita leuiter, & mobilitèr fluit hic versus, vt Lucretius fluium per alueum suum labentem nostris oculis subiicere videatur. repetitur & lib. 6.

*Aëra nunc igitur dicam, qui corpore toto
Innumerabiliter priuas mutatur in horas.
Semper enim quodcunque fluit de rebus, id omne
Aëris in magnum fertur mare: qui nisi contrà
Corpora retribuât rebus, recreâtque fluenteis:
Omnia iam resoluta forent, & in aëra versa.
290 Haud igitur cessat gigni de rebus, & in res
Reccidere adsiduè, quoniam fluere omnia constat.
Largus item liquidi fons luminis ætherius sol
Inrigat assiduè cælum candore recenti,
Suppeditatque nouo confestim lumine lumen.
Nam primum quicquid fulgoris disperit eij,
Quocunque accidit, id licet hinc cognoscere possis,
Quod simulac primum nubes succedere soli
Cæpere, & radios inter quasi rumpere lucis:
Exemplò inferior pars horum disperit omnis,
291 Terræque inumbratur, quæ nimbi cunque feruntur,
Vt noscas splendore nouo res semper egere:
Et primum iactum fulgoris quenque perire:*

Nec ræ-

*Nec ratione alia res posse in sole videri,
Perpetuò ni suppeditet lucis caput ipsum.
Quin etiam nocturna tibi, terrestria quæ sunt,
Lumina, pendentes lychni, claræque coruscis
Fulguribus pingues multa caligine tedæ,
Consimili properant ratione, ardore ministro
Suppeditare nouum lumen, tremere ignibus instant:
300 Instant, nec loca lux inter quasi rupta relinquit:
Vsq; eadè properanter ab omnibus ignibus eius
Exitium celeri toleratur origine flammæ.
Sic igitur, solem, lunam, stellâsque putandum
Ex alio, atque alio lucem iactare subortu:
Et primum quicquid flammæ perdere semper:
Inuiolabilia hæc ne credas fortè vigere.*

PRIVAS] singulas, vel proprias. sed si singulas interpretamur, videtur legendum: priuas mutatur in horas: sin proprias, ferri poterit scriptura recepta, vt per oras proprias, intelligamus extremitates ignis, aquæ, & terræ. ego tamen priuas mutatur in horas legi malo. sup. lib. 4. In multas igitur voces vox vna repente Diffugit, in priuas quoniam se diuidit aureis. RECCIDERE] sic legendum, & ita habent codex Bertin. & cod. Memmianus. in vtrisque Aldinis autem legitur Recidere, per vnicum c. mendosè. Reccidere enim dictum, vt rettulit, refferre, redducere, remmota, & simil. apud Horat. & apud hunc eundem. QVONIAM FLVERE] sic sup. lib. 4. Nec mora, nec requies inter datur vlla fluendi. LARGVS ITEM LIQ. FON S] infr. eod. lib. Nam licet hinc fontem scãtere, atque erumpere flumen Ex omni mundo, &c. SUPPEDITAT QV ENOVO CONE.] sic sup. Semper enim noua se radiorum lumina fundunt: Primæque disperseunt, quasi in ignem lana trabatur, &c. NAM PRIMVM QVICQVID FVLG.] id est primum quicque fulgoris ei disperit. SVCCEDERE SOLI] id est subire solem, seu succedere sub solem. sic enim loquitur Cæsar lib. I. ipsi confertissima acie, yieictò nostro equitatu, pbalange facta sub primam nostram aciem successerunt. Idem lib. 2. testudine facta portis succedunt, murum subruunt. & Virg. Georg. 3. Aut tecto assuetus coluber succedere, & umbra. Idem lib. 4. atque alto succedere celo. NI SUPPEDITET] nisi suppetat. absolutè accipiendū. QVIN ETIAM NOCTVRNA TIBI] negat Aristoteles lib. 2. ματρωρ. simile esse lumen solis, ceteris luminibus, & flammis, quæ humido aut pingui aluntur, si aluntur. nam cetera lumina (inquit) continenter mutatur, neque vnquam sunt eadem. at solis lumen semper est vnum & idem, quòd si verum esset solem humoribus ali: nō solùm quotidie nouus sol oriretur, sed semper & assiduè nouus esset: quod fal-

DDd

sum, atque absurdum est. PENDENTES LYCHNI] Virg. lib. 1. Æneid. dependent lychni laquearibus aureis. FVLGVRIIVS] id est fulgoribus, ut sæpe alias. SVPPEDITARE] nunc *crepantibus* subministrare, præbere, *proci-* *zere*. TOLERATVR.] sustentatur: sic Cæsar dixit lib. 1. *domi nihil erat, quo famem tolerarent.* in cod. Memmiano tamen legitur *celeratur*. & ita in Florētinis: omnino mendosè. SVBORTV] sic legendam, *subortu*, vno vocabulo, à verbo suborior: quod est in alterius locum orior. ET PRIMVM QVICQVID] id est, & primum quicquid: FLAMMAI] cod. Memm. flammarum. & ita Florent. ego tamen nihil muto.

Denique non lapides quoque vinci cernis ab æuo?
 Non altas turres ruere, & putrescere saxa?
 Non delubra Deum, simulacraque fessa fatisci?
 310 Nec sanctum numen fati procellere sineis
 Possent: neque aduersus naturæ fœdera niti?
 Denique non monumenta virum dilapsa videmus
 Cedere proporro? subitoque senescere casu?
 Non ruere auolsos silices à montibus altis?
 Nec validas æni vireis perferre, patique
 Finitis: neque enim caderent auolsa repente,
 Ex infinito quæ tempore pertolerassent
 Omnia tormenta atatis priuata fragore.
 Denique iam tuere hoc circum, supraque: quod omnem
 320 Continet amplexu terram: quod procreat ex se
 Omnia (quod quidam memorant) recipitque peremta:
 Totum natiuum mortali corpore constat.
 Nam quodcumque alias ex se res auget, alitque,
 Deminui debet, recreari cum recipit res.
 Præterea si nulla fuit genitæ origo
 Terrarum, & cæli: semperque æterna fuere:
 Cur supera bellum Thebanum, & funera Troiæ,
 Non alias alij quoque res cecinere poetæ?
 Quod tot facta virum toties cecidere? neque vsquam
 330 Aeternis famæ monumentis insita florent?
 Verum (vt opinor) habet nouitatem summa, recensq;
 Natura est mundi, neque pridem exordia cepit.

Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur:
 Nunc etiam augetur: nunc addita nauigijs sunt
 Multa: modò organici melicos peperere sonores.
 Denique natura hæcerum, ratioque reperta est
 Nuper, & hanc primus cum primis ipse repertus
 Nunc ego sum, in patrias qui possim vertere voces.
 Quod si fortè fuisse antehac eadem omnia credis:
 340 Sed peruisse hominum torrenti sæcla vapore:
 Aut cecidisse vrbes magno vexamine mundi:
 Aut ex imbris adfiduis exisse rapaceis
 Per terras amneis, atque oppida cooperuisse:
 Tanto quippe magis victus fateare necesse est,
 Exitium quoque terrarum, cælique futurum.
 Nam cum res tantis morbis, tantisque periculis
 Tentarentur: ibi si tristior incubuisset
 Causa, darent latè cladem, magnasque ruinas:
 Nec ratione alia mortales esse videmur
 350 Inter nos: nisi quod morbis ægrescimus isdem,
 Atque illi, quos à vita natura remouit.
 Præterea quacumque manent æterna, necesse est
 Aut, quia sunt solido cum corpore, respuere ictus,
 Nec penetrare pati sibi quicquam, quod queat artas
 Dissociare intus partem, vt materiai
 Corpora sunt, quorum naturam ostendimus antè:
 Aut idè durare ætatem posse per omnem,
 Plagarum quia sunt expertia, sicut inane est,
 Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur bilum:
 360 Aut etiam, quia nulla loci sit copia circum,
 Quod quasi res possint discedere, dissoluiq;
 Sicut summæ summæ est æterna, neque extrà
 Quis locus est, quod disiliant: neque corpora sunt, quæ
 Possint incidere, & valida dissoluere plaga.
 At neque (vti docui) solido cum corpore mundi

Natura est, quoniam admistum est in rebus inane:
 Nec tamen est ut inane, neque autem corpora desunt,
 Ex infinito quæ possint fortè coorta
 Proruere hanc rerum violento turbine summam,
 Aut aliam quamuis cladem importare pericli.
 Nec porro natura loci, spatiumque profundi
 Deficit, exspergi quòd possint mœnia mundi,
 Aut alia quamuis possint vi pulsa perire.
 Haud igitur leti præclusa est ianua cælo,
 Nec soli, terræque, nec altis æquoris vndis:
 Sed patet immani, & vasto respectat hiatus.
 Quare etiam nativa necessum est confiteare
 Hæc eadem, neque enim mortali corpore quæ sunt,
 Ex infinito iam tempore adhuc potuissent
 Immensi validas ævi contemnere vires.

AB AEVO] à tempore, à temporis longinquitate. FATISCI?] defestici? Attius. Tamen haud fatiscar, quin tuam opem implorem. Idem. vereor, si unquam fatiscar facere quicquid quibo boni. Lucret. sup. lib. 3. & (vt docui) simul au fessa fatiscit. FATI PROCELLERE FINEIS] secutus sum codicem Bertin. & Vatic. & vulgatos ferè omnes, Paris. utrosque Veneros, Lugdunenfeis, nam ceteri habent partim protellere, partim protelere. Memm. fatipse tollere. CEDERE PROPORRO] nihil mutavi in hoc versu. veruntamè non celabo lectorem, in codicibus quattuor manuscr. Vatic. Teth. Faërn. Memm. ita legi, Quævere proporro sibi cunque senescere credas? cuius scripturæ rationem exputare non possum. docti quidam in voce proporro mendum subesse suspicantur, & legendum proetivò censent. NON RVERE AVOL- s o s] huc versum profert Nonius in voce silices. TORMENTA AETA- T I S] tralatio est vel à tormentis bellicis, vel à quæstionibus. PRIVATA] refer ad vocem saxa, non tormenta. DENIQUE IAM TVERE] tuere, aspice à verbo tuor. Denique aspice hoc cælum, (inquit) sic Ennius, Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Iouem. AMPLEXV] ambitu. M. Tull. ex Eurip. Qui tenero terram circumactu amplectitur. QVOD PRO- GREAT EX SE] tanquam pater. DEMINVI DEBET] sic habent co- dices manuscr. Vaticanus, Tethia. Faërn. Memm. Bertin. GENTALIS] principialis, seu potius gignens, aut ad gignendum pertinens. S V P E R A B E L L V M T H E B .] supera, id est supra. de quo aliàs diximus. Fuit autè bel- lum Thebanum antiquius Troiano. lege Macrobi. lib. secundo comm. in somn. Scip. vbi eadem fere argumenta leges aduersus mundi æternitatem.

SVMMA] mundus. NVNC ETIAM AVGESCVNT] cod. Vatic. ha- bet, Nunc autem aucescunt. sic Demosth. Philipp. nona, quæ vulgò tertia in- scribitur, ait cum alia multa sua ætate immutata, & meliora facta esse, & cre- uisse, tum ea maxime, quæ ad rem militarem pertinet. ἐγὼ δὲ ἀπάντων, ὡς ἔπος εἶπεν, πολλὸν εὐλοφώτερον ἐπίδωσον, καὶ ἐδὲν ὁμοίων ὄντων τῶν νῦν τοῖς παλαιότερον, ἐδὲν ἰσχυ- ροῦμαι πλέον, ἢ τὰ τῶν πολέμων καινῶν καὶ ἐπιδησιάζοντων. ORGANICI] vt tibicines, fidicines, citharædi. sup. lib. 2. Ac musæa mele, per chordas organici quæ Mobili- bus digitis expergefæcta figurât. DENIQUE NATVRA HÆC] lege Luc- tia Firmian. lib. 3. de falsa sapiet. cap. 16. vbi hunc locū profert. ET HANC PRIMVS] Quocirca non immeritò illud de se prædicauit, quod est initio lib. 4. & in primo lib. non longè ab extr. Auiæ Pievidum peragro loca nullius ante trita solo, &c. IN PATRIAS QVI POSS. VERT.] in Latinum ser- monè. Fuit enim Lucretius, Romanus. QVOD SI FORTE FVISSE ANTE HÆC, &c.] huc pertinent ea, quæ sunt apud Platon. in Timæo non longè à princip. vbi senex ille Ægyptius sacerdos cum Solone loquens, ait Græcos semper esse pueros, neque quicquam antiquum nosse, propterea quòd multis non vno tempore in Græciam vel ab ignibus, vel ab aquarum diluionibus, cladibus importatis, non potuerit à maioribus ad posteros re- rum præteritarum cognitio quasi per manus tradita peruenire. Nōnulli au- tem legūt hîc: Quid si forte fuisse ante hæc eadem omnia credis, &c. VAPORE] calore. COOPERVISSE] in verbo cooperuisse duæ vocales oo. coole- scunt in vnam syllabam: vt sup. lib. 2. Tandem cooluerint ea quæ coniecta re- pente Magnarum, &c. TENTARENTVR] pulchrè dictum tentari mor- bo, periculo, incommodo. sic lib. 1. Quæ nondum clueant vllò tentata periclo. & 2. nullo primordia posse dolore Tentari. IBI SI TRISTIOR INCVB. CAVSA] hoc negat metuendum esse Aristot. lib. de mundo cap. 5. Quin etiam ait diluiones aquarum, & incendia, deflagrationesque terrarum ad salutem vniuersi valere his verbis, ἢ τε γὰρ φυτῶν κομῶσαι παντοδαπῶν, &cet. τῶν ἀγῶν φύσιν ὁμοίως τηρεῖ, καὶ τοὶ καὶ σείσμις πναισομένη καὶ πλημμυρεῖσι ἐπικυζομένη πυρ κατὰς τε καὶ μέγας φλογίζομένη. ταῦτα δὲ πάντα ἔοικεν αὐτῇ πρὸς ἀγαθὸν γινόμενα, τῶν δὲ αἰῶνος σωτηρίαν παρέχειν. Σεισμῶν τε γὰρ διέξάττουσιν αἰ τῶν πνευμάτων παρεμπιῶσεις καὶ τὰ ῥήματα τὰς ἀναπνοὰς ἴσχυσαι, καὶ δὲ ἀνω λένεται, καὶ δειρομένη τε ὄμβροις, ἀποκλύζεται πάντα τὰ νοσώδη: ἀετοπνεομένη δὲ αἰετῶν, τὰ τε ὑφ' αὐτῶν καὶ τὰ ὑπὸ αὐτῶν εἰνικνεύεται: καὶ μὲν καὶ αἰ φλόγας μὲν τὸ παρὰ τῶν πνευμάτων πάλλουσιν. οἱ παρὰ δὲ τὰς φλόγας ἀνίστανται. καὶ τῶν ἐπὶ μέγας τὰ μὲν γίνονται, τὰ δὲ ἀκμάζει, τὰ δὲ φθείρεται: id est & ter- ra stirpibus & plâtis variis ornata, ac vestita, &c. naturam senectutis exper- tem pariter retinet, cum tamen & motibus concutiatur, & ab aquis inun- dantibus obruatur, & incendiis non tota quidem, sed quibusdam suis parti- bus deflagret. Hæc autem omnia videntur ei boni gratia euenientia æter- nam salutem afferre. Nam & cum concutitur, disiliunt, ac difflantur inter- iecti spiritus, respirandi viam per terræ parteis effractas reperientes, quem- admodum supra dictum est: & cum imbris purgatur, rebus omnibus in- salubribus & morbosis abluendo leuatur: cum autem à ventis perflatur, & quæ sub ea sunt, & quæ supra, pura redduntur. Iam verò flammæ quidem id quod glaciæ natura præditum est, densant: cōglaciationes autem flammæ

remittunt: & rerum singularium alia oriuntur, alia florent, alia intereunt, PRAETEREA QVAECVNQVE] hoc eodem argumento, atque adeo iisdem versibus supra lib. 3. usus est, ubi probare conatur animum esse mortalē. Quare quæ ad locū illum notauimus, inde repetat lector, si quid requireret. HAVD IGITUR LETI] sic lib. 3. de anima. *Haud igitur leti praclusa est ianua menti.* SED PATET] sed ianua leti valde late, & vastè retrorsum patefacta est. CONTEMNERE VIREIS] in duobus manuscriptorum patefacta est. CONTEMNERE] quod eo notavi, ut intelligat lector eodem errore ductos esse eos qui contempsi, contemptum, sumpsi sumptum, & similia scribunt cum p. atque eos, qui contempno, dampno, tempro, & similia.

Denique, tant opere inter se cum maxima mundi
Pugnent membra, pio nequaquam concita bello:
Nonne vides aliquam longi certaminis ollis
Posse dari finem? vel cum sol, & vapor omnis
Omnibus epotis humoribus exsuperarint:
Quod facere intendunt, neque adhuc conata patrantur:
Tantum suppeditant amnes, vltroque minantur
Omnia diluuiare ex alto gurgite ponti:
Nequicquam, quoniam verrentes equora venti
Diminuunt, radiisque retexens ætherius sol:
Et siccare prius confidunt omnia posse,
Quam liquor incepti possit contingere finem.
Tantum spirantes æquo certamine bellum
Magnis de rebus inter se cernere certant,
Cum semel in terra fuerit superantior ignis:
Et semel (vt fama est) humor regnarit in aruis.
Ignis enim superavit, & ambens multa perussit,
Auiam cum Phaëthonta rapax vis solis equorum
Aethere raptavit toto, terrasque per omnes.
At pater omnipotens ira tum percitus acri
Magnanimum Phaëthonta repenti fulminis ictu
Deturbavit equis in terram: solque cadenti
Obuius aeternam suscepit lampada mundi:
Disiectosque redegit equos, iunxitque trementeis:
Inde suum per iter recreavit cuncta gubernans,

Scilicet vt veteres Graiū cecinere poeta:
Quod procul à vera est animi ratione repulsum.
Ignis enim superare potest, vbi materia
Ex infinito sunt corpora plura coorta:
Inde cadunt vires aliqua ratione reuicta:
Aut pereunt res exusta torrentibus aris.
Humor item quondam coepit superare coortus,
Vt fama est hominum, multas quando obruit vrbeis.
Inde vbi vis aliqua ratione auersa recessit,
Ex infinito fuerat quacunque coorta:
Constituerunt imbres, & flumina vim minuerunt.

PIONEQVAM] impio bello concitata, quale est bellum ciuile & intestinum. EXSUPERARINT] superiores fuerint: TANTVM SUPPEDITANT] vel accipe *ἐπεπιπλάς* tantum humoris suppeditant, vel absolute vsque adeo suppetunt, *ἀρξασ*. DILUUIARE] diluuiè obruere. SPIRANTES] *πύουτες*. CERNERE] discernere, & controversiam diiudicare, & finire. sic Pacuuius. *Et æquum, & rectum est, quod postulas, iurati cernant.* sic dicimus vitam cernere. Ennius. *Ferro, non auro vitam cernamus virique.* Idem. *Ter sub armis malim vitā cernere, quam semel modo parere.* SUPERANTIOR] *ἐπεπτερεός, κρείττωρ*, potentior, validior. AMBENS] particip. à verbo ambedo. AVIA CVM PHAËTONTA] nota est fabula Phaëthontis, & cam persequitur Ouid. *Metamorph. lib. secundo, initio.* Plato in *Timæo* quid hæc fabula significet, docet, vt mox dicemus. ATPATER OMNIPOTENS] Ouid. lib. 2. *Metam. At pater omnipotens superos testatus & ipsum, Qui dederat currus, &c.* Virgil. lib. 6. *Æn. At pater omnipotens densa inter nubila telum, & cet.* DETVRBAVIT EQVIS IN TERRAM] sed excepit eum Eridanus, *sumantiāque abluvit ora*, (inquit Ouidius.) Aristot. *aurē, & δαυμας. ἀκουσα*. scribit Electridas insulas in latebris, & recessu Adriæ, ab Eridano fluuio quondam fuisse exaggeratas: & etiam nunc videre licere paludem ei fluuio propinquam, cuius aqua calida est, ex qua odor exspiratur terribissimus: huius autem loci incolæ dicere Phaëthontē fulmine percussum in hanc paludem decidisse. QVOD PROCVLA VERA EST ANIMI, &c.] Idem & Platoni videtur in *Timæo*, cuius hæc verba sunt. *τὸ δὲ αὐτὸ καὶ παρ' ἡμῶν λέγεται, ὡς ποτε Φαέδων ἡλίου παῖς τὸ πᾶν τῆς ἀρμαξίας διὰ τὸ μὴ δυνατὸς εἶναι καὶ τὴν τῆς πατρὸς ὄψιν ἐλαυσιεν, τὸ τ' ἐπιγῆς ἐμύχασσε, καὶ αὐτὸς κτενωθεὶς διεσάφη, τὸ το μὴ μύθε στήματα ἔχον λέγεται: τὸ δ' ἀλλοθὲς ἔτι τῶν αἰώνων, καὶ κατ' ἐργὸν ἰόντων παρὰ λαοὺς καὶ διὰ μακρῶν χρόνων γινούμεν τῶν ἐπιγῆς πύει πολλῶ φθορῶ. id est, Nam quod etiā apud nos dicitur, Phaëthontē olim solis filium patris curru iuncto, propterea quod non potuerit patria via aurigari, & ea quæ sunt in terra exulsiisse, & ipsum fulmine percussum periisse: hoc quidē*

dicitur per fabulæ figuram : re vera autem significatur & eorum, quæ sunt in terra, eorumque, quæ in cælo & cum cælo mouentur, immutatio, tum is qui fit longo interuallo interposito rerum, quæ in terra sunt multis ignibus grassantibus, interitus. Aristoteles item Phæthontis fabulam refert ad incendia, & flammæ ex cælo profectas, quæ parteis mundi ad orientem spectanteis exusserunt. sic enim ille lib. 4. de mundo in extremo. *πυρκαϊαί τε, ἐξ οὐρανόθεν αἰ ἰσθμὸν ἔχουσιν ἑστῶσιν, ἢ ἀπὸ φασγάνου ἐπιφύγοντος, τὰ πᾶσι ἔσθ' αἰ μέρη κατέφλεγον.* ALIQUA RATIONE REVICTAE] id est aliqua ratione vicissim victæ. V T FAMA EST HOMINVM] sic est distinguendum: quod loquendi genus agnoscent Latine docti. M. Tull. pro Cluentio. *non timuisse si minus vim deorum, hominumque famam, &c.* Idem pro Sylla. *At si tibi nos peregrini videmur, quorum iam & nomen, & bonos inuenerunt & huic urbi, & hominum famæ, ac sermonibus, &c.* Idem de Arusp. resp. *mitto illam veterem ab ipsis diis immortalibus, ut hominum fama est, Hetruria datâ disciplinam.* MULTAS QUANDO OBRUIT VRB.] cum reperissem scriptum in cod. Vatic. *multas quando obruit urbis, reposui urbeis.* nam sæpe obseruavi in libris veteribus lineam paruum supra duci pro *v.* ut *coita* pro *coorta*, *tuba* pro *turba*, *ordine* pro *ordine*. Præterea sine vlla varietate sic habet liber Florentiæ impressus. *CONSTITERVNT*] repressi, & cohibiti sūt: vel se cohibuerūt:

*Sed quibus ille modis coniectus materiai
Fundarit cælum, ac terram, pontique profunda,
Solis, lunai cursus, ex ordine ponam.*
Nam certè neque consilio primordia rerum
Ordine se quæque, atque sagaci mente locarunt:
Nec quos quæque darent motus pepigere profecto:
Sed quia multa modis multis primordia rerum
Ex infinito iam tempore percita plagis,
Ponderibusque suis consuerunt concita ferri,
Omni modisq; coire, atque omnia pertentare,
Quæcunque inter se possent congressa creare,
Propterea fit, vti magnum volgata per æuum
Omnigenos cætus, & motus experiundo,
Tandem conueniant, quæ vbi conuenere, repente
Magnarum rerum fiant exordia sæpe,
Terrai, maris, & cæli, generisque animantum.
Hic neque tum solis rota cerni lumine largo
Altiolans poterat, nec magni sidera mundi,

Nec

*Nec mare, nec cælum, nec denique terra, neque aër,
Nec similis nostris rebus res vlla videri.
Sed noua tempestas quædam, molisque coorta.
Diffugere inde loci partes cæpere, parisque
Cum paribus iungi res, & discludere mundum,
Membræque diuidere, & magnas disponere parteis
Omnigenis è principis : discordia quorum,
Intervalla, vias, connexus, pondera, plagas,
Concurfus, motus turbabat, prælia miscens,
Propter dissimileis formas, variisque figuras,
Quod non omnia sic poterant coniuncta manere,
Nec motus inter sese dare conuenientes:
Hoc est à terris altum secernere cælum,
Et seorsum mare vti secreto humore pateret,
Seorsus item puri, secretique aetheris ignes.*

SED QVIBVS ILLE MODIS] Nunc aggreditur ad explicandum, quo pacto ex corporibus primis, quæ neque consilio, neque certo cœdere inito mouentur, factus sit mundus. *CONIECTVS*] congressus, acruus, coïtus, seu cœtus primorum corporum. quidam legunt *conlectus*: alij *congestus*. ego nihil mutō. *PONTI QVE PROFVND A*] sic dictum ponti profunda, ut vera viai, vltima natura, &c. *SOLIS, LVNAI*] secutus sum codicem Tethian. & Faern. in quibus ita sine vlla litura legitur: in codice Vatic. autem. *Solis, luna cursus*, ut facile appareat copulationem *que*, esse posterioris adiectam. *NAM CERTE NEQVE CONSILIO*] hic versus cum duobus deinceps sequentibus, iam supra positi sunt lib. I. *QVAE VBI CONVENERE*] cum in omnibus libris manuscr. scriptum reperissem: *quæ conuenere*, non, ut est in quibusdam vulgatis, *ea quæ conuenta*, sic reposui, *quæ vbi conuenere*: id est ea principia, quæ cum conuenierunt, & congressa sunt, &c. Licet tamen hunc locum emendare ex illo, qui est huic simillimus, & planè geminus lib. 2. *Tandem cooluerint ea quæ coniecta*, (vel ut alij legi volunt) *conlecta repente*, &c. licet etiam legere, *ea quæ coniuncta*, ut infra. *poterant coniuncta manere*. *ALTI VOLANS*] sic legendum, & ita habent duo lib. manuscr. & aliquot impressi. ita denique legit Macrobius lib. 6. Saturn. *INDE LOCI*] id est ab illo loco, seu potius ab illo tempore. sic Ennius apud Festum *Inde loci lituus sonitus effudit acutos*. & iterum Lucret. infra eod. lib. *inde loci mortalia sæcla creauit, &c.* *DISCLVDERE*] Virgil. in Sileno. *Tum durare solum, & discludere Nerea ponto cæperit*. Nam Macrobius lib. 6. Saturn. cap. 4. hæc Lucretiana cum illis Virgilianis comparat. *discludere*: id est discernere,

E E c

distinguere, disparare. HOC EST A TERRIS] non poterant principia
(inquit) inter se dare motus cōuenienteis, hoc est non poterant à terris cog-
lum separare, &c.

Quippe etenim primùm terrai corpora quæque,
Propterea, quòd erant graua, & perplexa coibant,
In mediòque imas capiebant omnia sedeis.
Quæ quanto magis inter se perplexa coibant,
Tam magis expressere ea, quæ mare, sidera, solem,
Lunamque efficerent, & magni mœnia mundi.
Omnia enim magis hæc è læuibus, atque rotundis
Seminibus, multòque minoribus sunt elementis,
Quàm tellus. ideo per rara foramina terræ
Partibus erumpens primus se sustulit æther
Signifer, & multos secum leuis abstulit igneis,
Non alia longè ratione, ac sæpe videmus,
Aurea cum primùm gemmanteis rore per herbas
Matutina rubent radiati lumina solis:
Exhalantque lacus nebulam, fluuiiq; perennes:
Ipsa quoque interdum tellus fumare videtur:
Omnia quæ sursum cum conciliantur in alto:
Corpore concreto subtexunt nubila celum.
Sic igitur tum se leuis, ac diffusilis æther
Corpore concreto circumdatus vndique sepsit:
Et latè diffusus in omneis vndique parteis,
Omnia sic auido complexu cetera sepsit.

PERPLEXA] implicata, & cōnexa. IN MEDIQVE IMAS, CAP.]
id est subsidebant in medio, qui locus est infimus. EXPRESSERE] <sup>ἐξ-
ἄλλω</sup> per expressionem, seu exprimendo emisere. OMNIA ENIM
MAGIS HÆC] nēpe mare, sidera, sol, luna: vel ær, sidera, sol, luna. Nam
sic quidam legunt suprà: *expressere ea, quæ æra, sidera, solem, & cet.* ÆTHER
SIGNIFER] sic habent omnes libri & manuscripti, & typis excusi. non-
nulli tamen legunt *Ignifer*. & ita infrà paucis post versibus. *inde æther igni-
fer ipse.* sed lib. 6. perspicue, & sine controuersia signiferum dicit æthera.
Urget enim quoque signiferi super ætheris æstus. Aristoteles quidem lib. de mun-
do, & lib. 1. de cælo negat æthera esse igneum, idēque ait dictum esse *ἀπὸ*

τῆς αἰθέρης, non ἀπὸ τῆς ἀπὸ τῆς αἰθέρης: id est ab eo, quod semper currat, & moueatur,
non ab ardendo. GEMMANTEIS] sic suprà lib. 2. *Inuitant herba gemman-
tes rore recenti.* CONCILIANTVR] cōgregantur. SIC IGITVR TVM
SE] sic legendum. *tum* autem: id est cum mundus nasci cœpit. AVIDO]
ualto, & ingenti, vt sup. *Inde auidam partem montes, siluamq; ferarum, &c.*

Hunc exordia sunt solis, lunæque secuta:

—Inter vtrosque globi quorum vertuntur in auris:
Quæ neque terra sibi asciauit, nec maximus æther:
Quòd neque tam fuerint graua, vt depressa sederent:
Nec leuia, vt possent per summas labier oras.
Et tamen inter vtrosque ita sunt, vt corpora bina
Versent, & partes vt mundi totius extent.
Quod genus in nobis quædam licet in statione
Membra manere, tamen cum sint ea, quæ moueantur.
His igitur rebus retractis, terra repente,
Maxima quæ nunc se ponti plaga cærule tendit,
Succidit, & salso suffodit gurgite fossas.
Inq; dies quanto circum magis ætheris æstus,
Et radij solis cogebant vndique terram
Verberibus crebris extrema ad limina apertam,
In medio vt propulsa suo condensa coiret,
Tam magis expressus salsus de corpore sudor
Augebat mare manando, campòsque natanteis:
Et tanto magis illa foras elapsa volabant
Corpora multa vaporis, & æris, altæque cæli
Densebant procul à terris fulgentia templa.
Sidebant campi, crescebant montibus altis
Ascensus: neque enim poterant subsidere saxa,
Nec pariter tantundem omnes succumbere partes.
Sic igitur terræ concreto corpore pondus
Constitit, atque omnis mundi quasi limus in imum
Confluxit grauis, & subsedit funditus, vt fax.
Inde mare, inde ær, inde æther ignifer ipse,

Corporibus liquidis sunt omnia pura relicta,
 Et leuiora aliis alia, & liquidissimus aether,
 Atque leuissimus aërias super influit auras,
 Nec liquidum corpus turbantibus aëris auris.
 Commiscet: sinit hæc violentis omnia verti
 Turbinibus: sinit incertis turbare procellis:
 Ipse suos igneis certo fert impete labens.
 Nam modicè fluere, atque vno posse aëthera nisu,
 Significat tantum mare, certo quod fluit aestu,
 Vnum labendi conseruans vsque tenorem.

HVN] nempe aëthera, exordia solis & lunæ sunt subsecuta, id est post aëthera, creati cœpti sunt sol, & luna. exordia autem pro primordiis videtur vsurpasse. INTER VTRoSQVE, &c.] hic versus delendus, vt spurius, minimeque Lucretianus. QVAE] solis & lunæ exordia: id est primordia, ex quibus sol & luna creati sunt. QVOD NEQVE TAM FVERINT] aliquot libri manuscripti habent, fuerunt. quæ scriptura non est reiicienda. PER SVMM. LAB. ORAS] sic habent libri manuscripti. quidam tamen legi volunt, auras. ego nihil mutandum censeo, & summas oras interpretor extremitates mundi, quas aëther occupauit. ET TAMEN INTER VTRoSQVE] aëthera, & terram. mendosè enim legitur vulgò, inter vtraque. VTCORPORA BINA] sic legendum non, corpora vna. nam si hanc vulgaram scripturam probaremus, sequeretur solem & lunam esse animatos: quos paulo antè negauit vitali motu, sensuque esse præditos. Itaque secum ipse pugnaret. Legendum igitur hoc loco necessariò vel reclamantibus omnibus codicibus, corpora bina. Ac ne quis miretur hoc mendum in omneis libros etiam veteres irrepisse, redeat in memoriâ eorum, quæ aliàs dixi, solitos esse librarios illos scriptores scribere interdum u pro b, & contrâ. vt suprâ in versu illo *Vitai causa valido consueta bidenti Ingemere*, libri manuscripti habent, *consueta videnti*: & sexcenta similia reperuntur. Ita cum à librario scriptore scriptum esset *vina* pro *bina*: semidoctus aliquis ex voce *vina* fecit *vina*: atque ex vno errato, duo fecit, vt solent facile propagari, & multiplicari mala. QVOD GENVS] cuius generis, qualia. CVM SINT: EA, QVAE MOVEANTVR] sic habent quattuor lib. manu scripti, in quibus est Memmianus. PONTI PLAGA CAERVLA] mare. Virg. maria *caerula* appellauit simpliciter. Æneid. 3. *Annixi torquent spumas, & caerula verunt.* qui versus iteratur lib. 4. sic & M. Tull. lib. 5. de finib. Nam nemo est *vnquam hæc transuectus caerula cursu, &c.* Lucretius autem lib. 1. in extr. *cali caerula* dixit. Et *cali flammam per cali caerula pasci.* & infr. hoc lib. 5. *magni per caerula mundi.* & lib. 6. *Principio tonitru quatiuntur caerula cali.* & eod. lib. *caerula simpliciter, pro celis, seu cælo, Et quasi densendo subiecit caerula nimbis.* ET S A L.

SO SVFFODIT] cod. Memm. & falso suffudit. ex qua scriptura quidam suspicantur legendum *suffudit*: à quibus dissentio. COGEBANT] compellebant. EXTREMA AD LIMINA APERTAM] huius loci restitutio, vt & aliquot aliorum Ad. Turnebo debetur: qui cum videret vnâ mecum ita legi in omnibus libris tum excusis, tum manu scriptis, *Verberibus crebris extrema ad limina partem: usque obruta* sic, vt excudendum curauit, emendandū coniecit. *Verberib, creb, extr. ad limina apertam.* quam scripturam sic explico. Et radij solis cogebant terram apertam, id est nudam, nondum arboribus conitam, nondum frugibus, herbisque vestitam, cogebant, inquam, verberibus crebris ad extremas oras, vt propulsa in medio suo coiret. CAMPOSQVE NATANTEIS] id est æquora maris, & mare ipsum. sic lib. 6. *quid vndas Arguit, & liquidam molem, camposque natanteis?* SIDEBANT] subsidebant. DENSEBANT] id est densabāt, vt sæpe aliàs. SVBSIDERE] id est ita sidere, vt planitiem efficerent. INDE AETHER IGNI-FER] sic habent omnes libri & manuscr. & typis excusi. adiuuat autem hanc scripturam Epicuri & Lucretij sententia, qui volunt aëthera esse igneum, & ex ignibus liquidissimis constare: quod item putabat Zeno, & Anaxagoras: quanquam negat, & refellit Aristoteles. Volebāt iidem illi, (Anaxagoram, Zenonem, & Epicurum dico) stellas igneis esse. quod item negat Aristot. vt suprâ diximus. Ex Stoicorum sententia sunt illa M. Tullij lib. 2. de nat. Deor. *hunc aëra rursus amplectitur immensus aether: qui constat ex altissimis ignibus, &c.* sequitur deinceps, *Ex aethere igitur innumerabiles flammæ siderum existunt, quorum est princeps sol omnia clarissima luce collustrans, &c.* sic Virg. lib. 2. Æneid. *Sustulit excusas vinclis ad sidera palmas: Vos aeterni ignes, & non violabile vestrum Testor numen, ait.* SVOS IGNEIS] sua astra: ex quibus, cum sint ignes, dicitur *ignifer*: & rursus quia sunt signa quædam, *signifer*. IMPETE] impetu. sup. lib. 2. *Transmittunt valido quatientes impete campos.* & lib. 4. *Despectum præbet sub terras impete tanto.* & item alibi sæpe. NAM MODICE] id est moderatè. ATQVE VNO P. AETH. NISV] atque vno, & eodem impetu, seu tenore. SIGNIF. TANTVM MARE] ordo est: tantum & tam latum mare, quod certo aestu fluit, & refluit, & quod vnum, & eundem fluendi tenorem retinet, significat, & arguit aëthera vno & eodem modo circumagi. omnibus libris reclamantibus excudendum curauit. *Significat tantum mare, &c.* cum habeant *ponto mare.* quæ scriptura quid sibi velit, nescio, nisi dicamus intelligendum Pontum, aut Hellepontum, quod si placeat, legendum esset *Ponti mare.*

Motibus astrorum nunc quæ sit causa canamus.

Principio magnus cali si vertitur orbis:

Ex vtraque polum parti premere aëra nobis

Dicendum st. extrâque tenere, & claudere vtrinque:

Inde alium suprâ fluere, atque intendere eodem,

Quò voluenda micant aeterni sidera mundi:

*Ast alium subter, contra qui subuehat orbem:
 Ut fluuios versare rotas, atque haustra videmus.
 Est etiam quoque, vti possit calum omne manere
 In statione, tamen cum lucida signa ferantur:
 Siue quod inclusi rapidi sunt aetheris aestus:
 Quærentesque viam circumuersantur: & ignes
 Passim per cæli voluunt se immania templa:
 Siue aliunde fluens alicunde extrinsecus aër
 Versat agens igneis: siue ipsi serpere possunt,
 Quod cuiusque cibus vocat, atque inuitat eunteis,
 Flammea per calum pascenteis corpora passim.
 Nam quid in hoc mundo sit eorum, ponere certum,
 Difficile est: sed quid possit, fiatque per omne
 In variis mundis varia ratione creatis,
 Id doceo: plureisq; sequor disponere causas
 Motibus astrorum: quæ possint esse per omne.
 E quibus vna tamen sit & hæc quoque causa necesse est:
 Quæ vigeat motu in signis: sed quæ sit earum
 Præcipere, haudquaquam est pedetentim progredientis.*

MOTIBVS ASTRORVM] Nunc de motibus astrorum differere meditari, atque incipit. SI VERTITVR] vt certe vertitur. Sed Epicurus de calo, & de iis quæ ad cæli morum, & naturam pertinent, & de iis quæ μετέωρα Græci appellant, disputat Academicorum more, nihilque certo affirmat, neque vnam harum rerum causam affert, sed plureis. EX VTRAQUE POLVM PARTI] id est ex vtraque parte. vtrumque enim dicebant veteres parte & parti, voce & voci, contage & contagi, & similia, in sexto & septimo casu. EXTRAQUE TENERE] cum in libris, quattuor manuscriptis reperissem scriptum ex vtraque, in Memmiano autem planè extraque, & in vulgatis Florentinis, non sum veritus hanc scripturam sequi. Adde quod sententia postulare videtur, ut vel ita legamus, vt ego excudendum curavi, parua immutatione facta ab antiqua scriptura, vel hoc modo. Dicendum est, & vrinque, &c. Hæc enim totius huius loci sententia videtur esse. Si cælum vertitur (quod quidem credibilis est) dicendum est nobis, aëra ex vtraque parte, id est à dextra & laua premere, atque vrgere polum, & ab vtraque parte extrinsecus tenere, & includere: aliū præterea esse aëra qui supra cælum, & supra verticem nostrum extrinsecus labatur, eodémq; intendat, quod vna cum cælo sidera feruntur: alium postremò esse sub cælo

& sub pedibus nostris, qui cælum extrinsecus subuehat, & sustollat, quemadmodum videmus à fluuiis rotas, & haustra subleuari, & circumuersari. Sunt autem haustra rotarum cadi ab haurièdo nominati, vt docet Nonius. VT FLVVIOS VERS. R. AT QVE H.] profert hunc versum Nonius in voce haustrum. EST ETIAM QVOQVE] fieri etiam potest (inquit) vt cælum ster, sidera autem moueantur, siue quod aetheris ignes inclusi dū exitum quærunt, circumuersantur, & passim se per cælum circumagunt, & circumuoluunt, siue quod aër extrinsecus fluens igneis aetheris impellit, ac versat, siue quod iidem ignes eò feruntur, quod quenque cibus inuitat. qua de re plura dicemus inf. ad illum locum: *Brumaleis vsque ad flexus &c.* Fuerunt autem & alij philosophi, qui cælum stare, & quiescere: terram moueri, & versari dixerunt, quod videret etiam Plato probare in Timæo, sed obscurius, vt ait M. Tullius. IMMANIA TEMPLA] sic habent aliquot libri manuscripti, immania autem id est ingentia, & immensa. templum Varro lib. 6. de ling. Latina, docet tribus modis dici à natura, vt *templa cæli*: in Hecuba. *O magna templa cæli commixta stellis splendidis.* ab auspicio, in terra: vt in Peribœa. *Scrupea saxa Bacchi templa prope aggreditur.* à similitudine, sub terra: vt in Andromacha: *Acherusia templa alta Orci saluete infera.* Idem ibidè paulo antè profert hunc versum nescio cuius, nisi fortè sit Ennij, *Vnus erit quæ tu tolles in cæcula cæli Templa.* QVOD CUIVSQVE CIBVS VOCAT] negat Aristot. stellas, & sidera humoribus pasci. NAM QUID IN HOC] Ita loqui solebat Epicurus, cum ageret de rebus incertis, & obscuris, & à natura inuolutis, & δὲ τῶν φαινομένων τῆς αὐτῆς μαρτυρεῖ. id est nihil eorum, quæ sunt in promptu posita, contra hæc testimonium dicit. & τὰ ἄλλα μὲν τοῖς φαινομένοις: id est, hæc non pugnant cum iis, quæ sunt in promptu posita: & οἱ τὸ ἐν λαμβάνοντες τοῖς τῶν φαινομένων μάχονται, ἢ τὸ εἰ δυνατὸν ἀνθρώπου, θεωρήσαι διαπεπρωμένον: id est, qui vnum principium rerum omnium sumunt, & iis quæ sunt in promptu repugnant, & facultate cognoscendi sit ne in hominis potestate positum, exciderunt. OMNE] τὸ πᾶν. sic Plato Tim. τὸ δὲ δὴ πᾶν τὸδε τὸ αὐτὸ αὐτὸς ὁ θεὸς πορευόμενον ἐμπεδονγεῖ, ἢ συλλυκεῖ, &c. id est, hoc igitur omne deus ipse dirigit, & versat, &c. IN VARIIS MVNDIS] supra enim docuit innumerabileis esse mūdōs. QVÆ VIGEAT MOTV IN SIGNIS] sic reposui, cum reperissem in omnibus fere libris ita scriptum, Quæ vigeat motum signis. sententia autem, quæ ex hac scriptura elicitur, hæc est: Lucretium plures afferre causas motionis astrorum, ex quibus hæc etiam vna sit, quæ valeat ad mouenda signa: sed quæ sit earum, &c. HAUD QV. EST PED. PROGREDIEN.] sic infr. eod. lib. in extr. *simul experientia mentis Paullatim docuit pedetentim progredientis.*

*Terræque vt in media mundi regione quiescat,
 Euanescere paullatim, & decrescere pondus
 Conuenit: atque aliam naturam subter habere
 Ex ineunte æuo coniunctam, atque vniter aptam*

Partibus aëriis mundi: quibus insita viuit.
 Propterea non est oneri: neque deprimat auras:
 Ut sua cuique homini nullo sunt pondere membra:
 Nec caput est oneri collo, nec denique totum
 Corporis in pedibus pondus sentimus inesse.
 At quaecunque foris veniunt, impostaque nobis
 Pondera sunt, ledunt permulto saepe minora:
 Usque adeo magni refert, cui quæ adiaceat res.
 Sic igitur tellus non est aliena repente
 Allata: atque auris aliunde obiecta alienis:
 Sed pariter prima concepta ab origine mundi,
 Certaque pars eius, quasi nobis membra videntur.
 Præterea grandi tonitru concussa repente
 Terra, supra quæ se sunt, concutit omnia motu:
 Quod facere haud vlla posset ratione, nisi esset
 Partibus aëriis mundi, cæloque reuincta.
 Nam communibus inter se radicibus hærent
 Ex ineunte æuo coniuncta, atque vniter apta.
 Nonne vides etiam, quàm magno pondere nobis
 Sustineat corpus tenuissima vis animæ,
 Propterea quia tam coniuncta, atque vniter apta est?
 Denique iam saltu pernici tollere corpus
 Quis potis est, nisi vis animæ, quæ membra gubernat?
 Iamne vides quantum tenuis natura valere
 Possit, vbi est coniuncta graui cum corpore, vt aër
 Coniunctus terris, & nobis est animi vis?

TERRA'QUE VT IN MEDIO] Nunc qui fiat, vt terra in medio
 quiescat, docet. Epicurus τὴν γῆν τῷ ἀέρι ἐποχῆσαι ὡς σφῆρα, id est terram in
 aëre vehi, vt cognatam dicebat. Aristoteles ideò terram in medio loco con-
 sistere docet, quia graui omnia medium locum petunt, terra autem ele-
 mentorum grauisima est. Plato in Phædone ἰσορροπία ipsius terræ, id est,
 ponderis & momenti æquabilitatem vult esse huius rei causam. sic Ouid.
 princip. lib. i. metam. Nec circumfuso pendebat in aëre tellus Ponderibus librata
 suis. QVIBVS INSITA VIVIT] non dicit terram viuere, vt quæ sit
 omnium

omnium elementorum maxime bruta, sed viuere hoc loco accipiendum
 est pro eo quod est, statum suum conseruare. sic lib. i. & viuunt labentes æthe-
 ris ignes. quanquam longe maiore ratione dicuntur ignes, quàm terra, viue-
 re, vt aliàs notauimus. VSQVE ADEO MAGNI] sic restitui coniectura
 ductus, cum ita scriptum reperissem in duobus libris manuscriptis. quid quæ
 adiaceat res. quæ restitutio facilis & procliuis est. adiaceat enim scriptum
 fuit pro adiaceat: quid pro quoi, seu cui. SIC IGITUR TELLVS, &c.]
 vult terrâ aëri non esse oneri, propterea quia vnà cum aëre nata est, & quia
 ei iungitur, vt neque à se alieno, neque ipsa ab illo aliena, sed suis partibus,
 quibus eum contingit, ad eius parteis accommodatis. OBIECTA] quidam
 legunt adiecta: quod tamen non improbem, nihil tamen muto. NONNE
 VIDES] sic sup. lib. 4. ergo animus cum sese ita commouet, vt velit ire, &c.

Nec nimio solis maior rota, nec minor ardor
 Esse potest, nostris quàm sensibus esse videtur.
 Nam quibus è spatiis cunque ignes lumina possunt
 Adiacere, & calidum membris adflare vaporem,
 Illa ipsa interualla nihil de corpore limant
 Flammæ, nihil ad speciem st contractior ignis.
 Proinde calor quoniam solis, lumenque profusum
 Perueniunt nostros ad sensus, & loca tingunt:
 Forma quoque hinc solis debet sublime videri,
 Nil adeo vt possis plus, aut minus addere verè.
 Lunaque siue notho fertur loca lumine lustrans,
 Siue suam proprio iactat de corpore lucem,
 Quicquid id est, nihilo fertur maiore figura,
 Quàm nostris oculis quam cernimus esse videtur.
 Nam prius omnia quæ longè remota tuemur
 Aëra per multum, specie confusa videntur,
 Quàm minimum filum. quapropter luna necesse est,
 Quandoquidem claram speciem, certamque figuram
 Præbet, vt est oris extremis cunque notata,
 Quanta hæc cunque fuat, tanta hinc videatur in alto.
 Postremò quoscunque vides hinc ætheris igneis,
 (Quandoquidem, quoscūque in terris cernimus igneis,
 Dum tremor est clarus, dum cernitur ardor eorum,

*Perparuum quiddam interdum mutare videtur
Alterutram in partem filum, cum longius absint,
Scire licet, perquam pauillo posse minores
Esse, vel exigua maiores parte, breuique.*

NEC NIMIO SOLIS] Hæc etiam erat cum primis stolidâ, atque insul-
fa Epicuri opinio, solem, lunam, stellas ea magnitudine esse, qua nobis vidē-
tur. Qua de re sic M. Tullius Acad. lib. 2. *Quid potest esse sole maius? quem ma-
thematici amplius duodeviginti partibus confirmant maiorem esse, quàm terram: quâ-
tulus nobis videtur? mihi quidem quasi pedalis. Epicurus autem posse putat etiam mi-
norem esse eum, quàm videatur, sed non multo. ne maiorem quidem multo putat esse:
vel tantum, quantum videatur, ut oculi, aut nihil, aut non multum mentiantur.* Idem
de finib. lib. 1. *Sol Democrito magnus videtur, quippe homini erudito, in geometriâ,
que perfecto, huic bipedalis fortasse, tantum enim censet, quantum videatur, vel paullo
aut maiorem, aut minorem.* sic Laërt. τὸ δὲ μέγεθος ἡλίου τε, καὶ τῶν λοιπῶν ἀστρῶν κατὰ
μὲν τὸ πρῶτον ἡμῶν, ἠλικῶν τὸν ἔσθιν, ἡλικῶν φάινεται. εἰ δὲ τὸ μέγεθος διὰ διάστημα ἀπεβέβλη-
ται, πολλὸν ἂν μάλλον πῶς ἴσται, &c. κατὰ δὲ τὸ κατὰ ἀπὸ τῶν ἡμῶν μείζον τῷ ὄρωσθαι, ἢ ἑλαττον
μικρῶν, ἢ ἠλικῶν τὸν ἔσθιν. καὶ τῶν δὲ τῶν παρ' ἡμῶν πρῶτον ἐξ ἀποστήματος θεωρεῖσθαι, κατὰ πῶς
αἰθρῶν θεωρεῖται: id est, solis autem, & reliquorum astrorum magnitudo, quod
ad nos attinet, tanta est, quanta videtur. Si enim suam iustam magnitudinē
propter interuallum amitteret, multo magis colorem, &c. quod ad ipsum
verò attinet, aut maior est sol, quàm videtur, aut paullo minor, aut tantus,
est, quantum videtur. Sic enim & quæ apud nos sunt ignea, si ex interuallo
cernantur, prout est sensus, cernuntur. Sed, valde pingue est (inquit Aristo-
teles primo meteor.) vnumquidque eorum quæ mouentur in cælo, existi-
mare paruum esse, quia nobis hinc cernentibus paruum videtur. Idem lib.
de insomnis, ait in hoc falli sensus. NAM QVIBVS È SPAT.] id est,
nam quibuscunque è spatiis ignes ad aliquem locum lumen iacere, & calo-
rem afflare possunt, ea ipsa spatia, seu interualla nihil de ipso ignium corpo-
re, seu magnitudine detrahunt, neque deminuunt: neque ignes illi ad spe-
ciem sunt vlla re minores. hæc totius huius loci sententia est, vsque ad ver-
sum, Proinde calor, &c. adicere autem restituumus, cum vulgò legatur adicere
plane mendosè, adicere enim lumen, & calorem translare dictum, ut iacere
& mittere telum. vnde Lucretius radios, & lumina solis, tela diei non semel
appellat. sic sup. lib. 1. *Aestifer ignis vii lumen iacit, atque vaporem adicere telum
autem est ita telum iacere, ut ad locum quem petis, perueniat.* Cæsar lib. 3.
neque propter altitudinem facile telum adiciebatur. ex quo adiectus. Lucret. lib. 1.
quæ mittere corpora possit Sensibus, & nostros adiectu tangere tactus. ad quem lo-
cum lege, quæ sunt à nobis annotata. ordo autem verborum hic est, qui-
buscunque è spatiis ignes possunt adicere membris lumina: & afflare va-
porem, id est calorem, illa ipsa interualla nihil de ignium corpore detrahunt.
ILLA IPSA INTERVALLA NIHIL DE CORP. LIMANT] hunc locum partim cōiectura, partim ex auctoritate veterum codicum re-

stitui. sententia est plana. *limant* autem de corpore, id est delinant de cor-
pore, quod valet detrahunt, ac deterunt, seu deminuunt. quòd si quis legi
malet *limant*, non pugnabo. *libant* autem nullo modo probò. delibrare autē
ductum à libro, qui corticē significat, est corticem detrahere, & ita detere-
re, & minuere, καλέπην λέπειν. Nonius. *delibratum*, id est decorticatum. quòd
CONTRACTIOR] minor. ET LOCA TINGUNT] refer hoc ad lu-
men, quo loca tinguntur, quanuis dixerit numero multitudinis, & loca tin-
gunt. calor enim peruenit ad nostros sensus, id est ad tactum: lumen suo ful-
gore loca tingit. sic lib. 6. *Hoc etiā patet volucris loca lumine tingunt.* DEBE T
SVBLIME VIDERI] cum magna esset hoc loco scripturæ varietas, ali-
que codices haberent *debet illincque videre.* alij *lumenque videri.* alij *lunæque
videri.* alij *illumque,* alij *illumque videri.* ego *sublime* reposui: quæ scriptura sine
dubio recta est. hæc enim sententia Lucretij est: quoniam calor solis ad sen-
sum nostrum peruenit, lumenque suo cādore loca complet, atque illustrat,
sequitur ex his formam etiam solis non imminutam in cælo ex terra à no-
bis videri. *sublime* autem, id est in alto, seu in sublimi: neque est quòd quis-
quam de vltima syllaba dubitet. corripitur enim cūm apud hunc, tum apud
Virgil. Lucret. lib. 2. *Nocturnasque facies cæli sublime volantes.* Virgil. Geor-
gic. 3. *Iamque humiles, iamque elati sublime videntur. Aëra per vacuum ferri.*
ADDERE VERE] duo libri manuscripti habent, *addere veris.* LV-
NA QVE SIVE NOTHO L.] notho lumine, id est, luce non sua, sed alie-
na: quæ est opinio probabilior, & ab omnibus ferè recepta. Et Festus in vo-
ce *mulus*, duas causas afferens quamobrem mulus vehiculo lunæ adhibea-
tur, hanc ponit secundam, quòd muli non ex suo genere, sed ex equis oriā-
tur. Catull. carm. sæcul. *Tu potens Trinia, & notho es Dieta lumine luna.* Virgil.
lib. 1. Geor. *Nec fratris radius obnoxia surgere luna.* M. Tull. lib. 2. de nat. Deor.
*Luna autem quæ est, ut ostendunt mathematici, maior, quàm dimidia pars terra, in
dem spatiis vagatur, quibus sol: sed tum congregiens cum sole, tum degrediens, & eam
lucem, quàm à sole accipit, mittit in terras, & varias ipsa mutationes lucis habet.*
QVAM CERNIMVS] scripturam vulgatam seruavi, quæ etiam in non-
nullis veteribus libris reperitur: cuius hæc ratio, ac sententia est: luna (in-
quit) nihilo maiore figura fertur, aut mouetur, quàm esse videtur ea figura,
quam oculis nostris cernimus. quidam docti legi volunt, *cum cernimus.* in
nonnullis libris legitur, *quæ cernimus:* quæ lectio ferri non potest. NAM
PRIVS OMNIA, QVAE LONGE REMMOTA, &c.] huius loci hæc
sententia est. Nam omnia (inquit) quæ longè remota cernimus, prius cer-
nimus confusa, id est non subtiliter distincta, neque definita, sed indistin-
cta, specie ipsa, ipsoque aspectu, prius (inquam) ea confusa cernimus, quàm
minimum eorum filum, id est minimum lineamentum, & ductum oculis
vsurpare possimus. Verbi gratia, si Socratem è loco longinquo cernamus,
primum ex aspectu hominem esse cognosciam tantum, neque eum à cete-
ris hominibus distinguere poterò. non enim mihi licebit per loci distantia
propriam quædam Socratis notas, quibus figura Socratis, à ceterorum ho-
minum figuris differt, inspicere: deinde ubi ad eum propius accessero, tum
propriam illas notas, & propria quædam oris lineamenta, tum nareis simas,

tum oculos Socratis prominenteis cernam. *QVAPROPTER LVNA NECESS.*] quoniam igitur (inquit) certa & clara lunæ figura, certa que lineamenta, & oræ extremæ certæ & clara à nobis cernuntur, necesse est etiam, ut, quantacunque est, tanta hinc nobis in celo videatur. *QVANTA HÆC CUNQVE FAT, &c.*] Cum reperissem scriptum in duobus libris manuscr. *Quanta quoque hæc suat, &c.* variè autem hic versus legitur in vulgatis, assensus sum Mureto ita legendum censenti. *suam* autem valet *sim*, vel *fuera*. Afranius. *Caue ne pendeas, si suas in questione.* Virg. Æn. 10. *Tros, Rutulûsve suat, nullo discrimine habeo.* Lucrer. sup. lib. 4. *Vt quod aliis cibus est, aliis suat acre venenum.* *MVTARE VIDENTVR*] ordo est ignes perparuum quiddam mutare videntur filum in alterutram partem, id est, in plus vel minus. *FILVM*] id est lineamentum, ductum, extremitatem. *CVM LONGIVS ABSINT*] secutus sum codices vulgatos omnes, præter paucos, in quibus legitur: *quo longius absit.* nam in manuscriptis scriptum reperi, *quoque longius absit*: ut credibile sit, legendum esse, *quo longius absint.* *absint* autem legendum videtur potius, quàm *absit*, ut referatur ad *ignes*: quòd si quis contenderet legendum *absit*, cohærebit cum voce *filum*.

*Illud item non est mirandum, qua ratione
Tantulus ille queat tantum sol mittere lumen,
Quod maria, ac terras omnes, calúmque rigando
Compleat, & calido perfundat cuncta vapore.
Nam licet hinc mundi patefactum totius vnum
Largifluum fontem scatère, atque erumpere flumen
Ex omni mundo, quòd sic elementa vaporis
Vndique conueniunt, & sic coniectus eorum
Confluit, ex vno capite hic ut profluat ardor.
Nónne vides etiam quàm latè paruus aquai
Prata riget fons interdum, campisque redundet?
Est etiam quoque, uti non magno solis ab igni
Aëra percipiat calidis feruoribus ardor:
Opportunus ita st si fortè, & idoneus aër,
Ut queat accendi paruis ardoribus ictus.
Quod genus interdum segetes, stipulamque videmus
Accipere ex vna scintilla incendia passim.
Forsitan & rosea sol altè lampade lucens
Possideat multum cæcis feruoribus ignem.
Circum se, nullo qui sit fulgore notatus.*

Aestiferum ut tantum radiorum exaugeat ictum.

ILLVD ITEM NON EST] Nunc docet quamobrem sol, cum sit tam parua figura præditus, tantum lumen mittere ac profundere queat. *NAM LICET HINC*] fieri potest (inquit) ut sol sit fons quidam omnium ignium, ac luminum, ad quem confluant omnes ignes, omniæque lumina, & vnde tantum lumen, tantusque calor emânèt, quæ totum orbem terrarum compleant. *LARGIFLVVM FONTEM*] vult solem esse fontem quendam omnium luminum, quemadmodum fontes aquarum dicuntur propriè, vnde & scateant aquæ, & oriuntur flumina. *EX OMNI MVNDO QVOD SIT C]* ordo est. quòd, id est ad quem solem sic elemēta vaporis ex omni mūdo vndique conueniunt, & sic coniectus, seu congestus & acruus eorum confluit, ut tantus calor ex vno capite profluat. Est autem hoc loco memoria repetendum, atque attendendum, quòd dicit Aristor. meteor. lib. 1. non esse vnum certum aquarum locum, aut alueum, aut receptaculum inexhaustum, vnde perpetuò mánent aquæ, vndèque scateant fontes, & erumpant flumina: nam ne tanta quidem concavitas, quantus est orbis terrarum, tantam vim aquarum suppeditare posset, quanta quotidie effluit: sed esse quædam aquarum capita, ad quæ ex locis editioribus confluunt paulatim & præne dicam guttatim aquæ. hæc capita fonteis, seu fontium origines, & scaturigines aquarum appellamus: ex his manant aquæ per riuos in itid paruos, atque angustos: qui longius fluentes ac labentes aliis riuis additi magnos postea fluuios gignunt. *SCATÈRE*] à verbo scato is, tertriæ inflexionis. sic sup. eod. lib. *Et partim plano scatère, atque erumpere campo.* & lib. 6. *Spirat fons dulcis aquai, Qui scari, & saltas circum se dimouet vndas.* ibid. *Et scatère illa foras in stuppam semina, &c.* *ATQVE ERVMPERE FLVMEN*] sic omnes ferè libri vulgati. cod. Florentin. *erumpere lumen.* ego lectionem vulgatam mirandam non censeo. nam translatè puto eum esse locutum, & *flumen luminis* intelligèdum. *ELEMENTA VAPORIS*] sic reposui cum in aliquot lib. manuscriptis *vapores* scriptum reperissem. *CONIECTVS*] nihil muto, quanuis nonnulli legendum putent *coniectus.* *coniectum* autem interpretor *congestum, confluxum, congressum.* *EST ETIAM QVOD VTI*] fieri etiam potest (inquit) ut cum solis ignis non sit admodum magnus, neque acer, magnis tamen feruoribus aër exardescat, quia sit idoneus ad incendium accipiendum. *PERCIPIAT*] occupet, comprehendat, ut sup. lib. 4. *Quàm, quæ percipiunt oculos, visumque laceffunt.* *QVOD GENVS*] cuius generis, quemadmodum. *ACCIPERE EX VNA SCINT.]* secutus sum hoc loco cod. Florentinos, ut omnium emendatissimos. nam ceteri vulgati habent vel *Accendi,* vel *Accendere* planè mendose. manuscripti autem partim *Accendere,* partim *accedere*: quòd postremum deprauatum est ex vero *accipere.* nam ex *accipere* factum est primùm *accidere.* *p.* inuerso. deinde *accedere*: deinde ex *accedere, accendere* & *accendi.* Iam præterquam quòd veritas & ratio hanc scripturam confirmat, etiam exemplo adiuuatur. sic enim idem loquitur lib. 6. *Aridior porrò si nubes accipit ignem.* ex hac re autem similitudinem duxit Virgil. lib. 2. Æn. *In segetem veluti cum flamma furentibus*

Asperis Incidit, &c. FORSITAN ET ROSEA] tertia ratio. solebat enim Epicurus earum rerum, quæ à philosophis in controuersiam reuocantur, & de quibus sensus non facile iudicare potest, plureis afferre rationes. quod testatur Laërt. his verbis. τὸ δ' ἓ μίαν αἰτίαν τούτων ἀπο δίδουσι τῶν πλεοναχῶς φασιν. ἰδιῶν, μανικῶν, καὶ ἑξῆς κτλ. τῶν πλεοναχῶς φασιν. ἰδιῶν, καὶ εἰς τὸ κατὰ ἀμφοτέρωθεν ἀπο δίδουσι, &c. id est vnā autem harum rerum afferre causam, quæ multis modis videtur disputari posse, furiosum est, neque recte fit ab iis, qui inanem astrologiam studiose consecantur, & qui temere quarundam rerum rationes reddunt. POSSIDEAT] est vt possideat: fieri potest, vt possideat. CAECIS] obscuris, & oculorum sensum effugientibus. NULLO QUI SIT FVLG. NOT.] qui non fulgeat, & iccirco non cernatur à nobis. EX AVGEAT] id est valde augeat. sic autē habent libri manuscripti, & nonnulli typis excasi. vtitur eodem verbo Terent. Heaut. concurrunt multa opinionēs, quæ mibi animum exaueant: id est, quæ me magis adducant ad credendum illam esse corruptam. & Plaut. Stich. Hæc subuēni: benefacta maiorum tuorum exaue.

*Nec ratio solis simplex, nec certa patefcit,
Quo pacto æstiuus è partibus Aegocerotis
Brumaleis adeat flexus, atque inde reuertens
Canceris vt metas vertat se ad solstitialeis:
Lunæque mensibus id spatium videatur obire,
Annua sol in quo consumit tempora cursu:
Non, inquam, simplex his rebus reddita causa est.
Nam fieri vel cum primis id posse videtur,
Democriti quod sancta viri sententia ponit:
Quanto quæque magis sint terram sidera propter:
Tanto posse minus cum cæli turbine ferri.
Euanescere enim rapidas illius, & acreis
Imminui subter vireis, ideoque relinqui
Paullatim solem cum posterioribus signis,
Inferior multo quoddam sit, quàm feruida signa:
Et magis hoc lunam: & quanto demissior eius
Cursus abest procul à cælo, terrisque propinquat,
Tanto posse minus cum signis tendere cursum:
Flaccidiore etiam quanto iam turbine fertur
Inferior, quàm sol, tanto magis omnia signa*

*Hanc adipiscuntur, circum, præterque feruntur.
Propterea fit, vt hæc ad signum quodque reuerti
Mobilius videatur, ad hanc quia signa reuifunt.
Fit quoque, vt è mundi transuersis partibus aër
Alternis certo fluere alter tempore possit,
Qui queat æstiuus solem derrudere signis
Brumaleis vsque ad flexus, gelidumque rigorem:
Et qui reuiciat gelidis à frigoris umbris,
Æstiferas vsque in partibus, & feruida signa.
Et ratione pari lunam, stellæque putandum est,
Quæ voluunt magnos in magnis orbibus annos,
Aëribus posse alternis à partibus ire.
Nōne vides etiam diuersis nubila ventis
Diuersas ire in partibus, inferna supernis?
Quæ minus illa queant per magnos ætheris orbes
Æstibus inter se diuersis sidera ferri?*

NEC RATIO SIMPLEX] non est (inquit) vna ratio, neque certa, quo modo ex partibus æstiuus, id est ex orbe solstitiali, atque à cancro, trahatur ad ægocerotā, seu capricornum: id est, ad orbem brumalem. BRUMALEIS ADEAT FLEXVS] trahatur est à certaminibus Olympicis, & similibus curulibus. significat autem id quod vulgus solstitium brumale appellat. METAS VERTAT SE AD SOLSTITIALEIS] id est, (vt vulgus loquitur) ad solstitium æstiuum se vertat. Nam apud probatos Latinitatis auctores solstitij nomen, solstitium æstiuum duntaxat significat, vel quia (vt scribit Varro lib. 5. de lingua Latina) sol eo die sistere videtur, vel quod sole ad nos verso, proximū est solstitium. DEMOCRITI QVOD SANCTA, &c.] hic versus supra iā positus est lib. 3. QVANTO QVÆQUE MAGIS] id est quanto sint nobis propinquiora, atque ita à cælo remotiora. ILLIVS] cæli turbine. RELINQVI PAVLL. SOLEM] εὐπολείμεν: celeritate superari. ET MAGIS HOC] & magis lunam relinquit sole, seu quàm solem. ET QVANTO] sic legendum, vt sit hic Lucretij sensus: & quanto Lunæ cursus demissior, id est humilior, & inferior cum sit, longius abest à cælo, &c. tanto posse minus, &c. FLACCIDIORE] languidiore & tardiore. TANTO MAGIS, &c.] quanto etiam (inquit) luna cum sit sole inferior, languidiore, & tardiore impetu, & circuitu fertur, quàm sol, tanto magis cetera signa superiora eam assequuntur, atque ad eam prætereunt, & superant. AD HANC QVIA SIG. REVIS.] nihil mutandum censeo, quanuis quidam legi velint, *recurrunt, aut recurrant.* nam cum

ita, vt excudendum curauit, habeant omnes libri manuscripti, & vulgati, tum vſitatum est Latinis genus loquendi viſere, & reuiſere ad hoc, aut illud. Lucret. lib. 6. Nam quicumque ſuos fugitabant viſere ad agros, ad quem locum plura. FIT QVOQVE, VTE M.] alia ratio. AESTIUIS SIGN.] à cancro. BRVM. VSQVE AD FLE.] ad capricornum & ad brumam. tralatio est à ludis Circenſib. in quibus cum ad metas quadrigæ peruenerint, ſtendendus curſus est, & metę feruidis ſunt euitandę rotis, vt loquitur Flaccus noſter. ex quo flexus appellatur à Latinis, & μεταίτητες à Gręcis. Itaque ſtatim eadem translatione ſolſtitium, & brumam, ſolis metas appellabit, ibi *Distinet æquato ſolis discrimine metas.* Fuerunt autem nonnulli, qui humidum quod è terra, & mari ſurſum tollitur, cauſam eſſe ſolſtitij, & brumę putarunt, quaſi ſol pabulum ſequatur. quam opinionem reſellit, & reiicit Ariſtoteles lib. 2. meteor. his verbis. *Ἰδὲ ἐν γαλοῖσι πάντες ὄποι τῶν περὶ τὴν ὑπέλαρον τὸν ἥλιον πρέφεται τῶν ὕψους. ἐν δὲ τῶν ἐννοίῃ ἐννοίῃ ἐννοίῃ τὰς προπὸς αὐτῶν:* id est, Quocirca ridiculi etiam ſunt omnes quicumque è veteribus ſolem ali humidum exiſtimarunt, & iccirco nonnulli aiunt ſolem ſuas ad ſolſtitium, & brumam conuerſiones facere. M. Tull. opinionem illam Cleanthi aſcribit lib. 3. de nat. deor. his verbis. *Quid enim? non eiſdem vobis placet omnem ignem paſtu indigere, nec permanere vlllo modo poſſe niſi alatur? Ali autem ſolem, lunam, reliqua aſtra, aquis alia dulcibus, alia marinis? Eamque cauſam Cleanthes affert, cur ſol referat, nec longius progrediatur ſolſtitiali orbe, utemque brumali, ne longius diſcedat à cibo?*

*At nox obruit ingenti caligine terras,
Aut vbi de longo curſu ſol extima calii
Impulit, atque ſuos efflauit languidus igneis
Concuſſos itere, & labefactos aère multo:
Aut quia ſub terras curſum conuertere cogit
Vis eadem, ſupera quę terras pertulit orbem.
Tempore item certo roſeam Matuta per oras
Aetheris auroram deſert, & lumina pandit:
Aut quia ſol idem ſub terras ille reuertens
Anticipat cælum radiis accendere tentans:
Aut quia conueniunt ignes, & ſemina multa,
Confluere ardoris conſuerunt tempore certo,
Quę faciunt ſolis noua ſemper lumina gigni.
Quod genus Idaeis fama eſt, è montibus altis
Diſperſos igneis orienti lumine cerni
Inde coire globum quaſi in vnum, & conſicere orbem.*

Nec

*Nec tamen illud in his rebus mirabile debet
Eſſe, quòd hæc ignis tam certo tempore poſſint
Semina confluere, & ſolis reparare nitorem.
Multa videmus enim, certo quę tempore ſunt
Omnibus in rebus, floſcunt tempore certo
Arbuſta, & certo dimittunt tempore florem.
Nec minus in certo dentes cadere imperat ætas
Tempore, & impubem molli pubeſcere veſte,
Et pariter mollem malis demittere barbam.
Fulmina poſtremò, nix, imbres, nubila, venti,
Non nimis incertis ſunt in partibus anni.
Nanque vbi ſic fuerunt cauſarum exordia prima,
Atque vti res mundi cecidère ab origine prima,
Conſequa natura eſt iam rerum ex ordine certo.*

AT NOX OBRUIT] Nunc incipit dici, & noctis cauſas explicare. EXTIMA CAELI] extimas parteis caeli. CONCVSSOS ITERE,] cõquaffatos, & fractos labore itineris, itere pro itinere. ſic enim inſtecebant veteres iter iteris. & iter itineris, teſte Nonio. Neuius Lycurgo. *ignoti iteris ſumus: tute ſcis.* Attius Oenomaos. *Præſtò etiam adſum: exprome. quid ſers? nam te longo itere cerno vadere.* Idè Telepho. *ſtudiũmque iteris reprime.* SVB TERRAS CVRS.] fuerunt etiam nonnulli philoſophi, qui ſolem non ſub terris moueri, ſed circum fieri, quia terra viſa ſubiecta, alta, & edita eſt. ex quo fieri, vt ſolis luminibus officiar. Ariſtot. lib. ſecundo μεταορ. cap. 1. in extr. SVPERA QVAE T. P. ORBEM] ordo eſt: quę vis pertulit orbem, videlicet ſolis, ſupera, ſeu ſupra terras. quidam tamen legunt: *ſupera terra quę pertulit orbem,* vt ſubintelligatur ſolem. MATUTA] M. Tull. lib. 3. de nat. deorum. *Quid deinde? Ino dea dicitur, quę Leucothea à Græcis, à nobis Matuta dicitur, cum ſit Cadmi filia?* AVRORAM] aurorã roſeam ῥοδὸ δέικτυλον. TEMPORE ITEM CERTO] cur tempore certo aurora exiſtat. QVOD GENVS] cuius generis, vel quemadmodum. IDAEIS FAM.] De Ida monte omnium qui ſunt in Hellesponto, altiſſimo ſic Diodorus Siculus lib. 17. *Ἴδιον δὲ τῆς περὶ δόξου συμβαίνει γίνεσθαι πῶς τὸ ὄρος. Κατὰ τὸ πλὴν τῶν κινῶν ὀπιτολῶν ἐπ' ἀκρας τῆς κορυφῆς διὰ πλὴν νημείαν τὸ ἀεὶ γίνεσθαι αἰῶνος, ἀπὸ τῆς γίνεσθαι πλὴν ἀκρας τῆς τῶν ἀνέμων πνοῆς: ὁρῶσθαι τὸν ἥλιον ἐπὶ τῆς νυκτὸς ἕως ἀνατέλλοντα τὰς ἀκτῖνας, ὡς ἐν κυκλοτερῆι ῥήματι τῆς ἀμυθῶν, ἀλλὰ πλὴν φλόγα κατὰ πολλὰς τόπους ἔχοντα διασαρμῆν, ὅσπερ δὲ κείν πύρεθ' πλείω διγνήθη τῶ τῆς γῆς δειζοντος: id eſt, proprium autem, & admirabile quiddam in hoc monte fieri ſolet. Nam ſub Caris ortum, qui fit in ſummo monte vertice, propter æris circumfuſi quietem ab omni mo-*

GGg

tu, ventóque vacuam, hunc verticem à ventorum flatu immunem, atque intactum esse. Cerni autem solem cum etiam nox est, radios suos expromentem, non in figuram rotundam conuersum, & conformatum, sed flamas in diuersas parteis dispergentem, vt complures ignes extremum terræ terminum, quem finientem appellant, attingere videantur. simile quiddam narrat idem Diod. lib. 3. accidere in Arabia fortunata, quod ad solis ortum attinet, his verbis. *Ἐν μέσῳ δὲ τοῦ πελάγους φασὶν ἀναφαινόμενον αὐτὸν (ἥλιον) ὁρᾶσθαι ὡς εἴ εἰσὶν ἄσπερα πλεῖστον τῷ πυρὸς δέσπῳ, σπινθήρας δὲ ἀφ' ἐαυτοῦ μεγάλας ἀπορρίπτειν.* id est, ex medio autem mari aiunt solem exorientem cerni prunæ candentissimæ similem: scintillas auté ex se magnas iácere, &c. ET CERTO DIMITTUNT] sic habent aliquot libri manuscripti, & non pauci vulgati, melius, opinor, quàm demittunt. NEC MINVS INCERTO] sic legendum, in certo, diuisim, non incerto coniunctim. atque illo modo scriptum est in tribus lib. manuscr. & in Florentinis. VESTE] lanugine. & ita Nonius. vnde inuestes impuberes. sic Virg. *Æneid. 8. Aurea Casarics ellis, atque aurea vestis.* Lucret. inf. eod. lib. *iuuentas Occipit, & molli vestit lanugine malas.* NON NIMIS INCERTIS] sic habent tres libri manuscripti, & Florentini, & sanè vt ira legatur ratio postulat, nisi quis dicat legendum item vt supra, diuisa voce in certis, & retinédam vulgatam scripturá, minus. Cum hoc loco congruit is, qui est lib. 6. *Autumnoque magis stellis fulgentibus alia Concuitur celi domus vndique, totaque tellus.* AT QVE VTI RES MVNDI, &c.] hunc versum puto fuisse ab aliquo interpositum, neque esse Lucretianum. CONSEQUA] consequens.

*Crescere itémque dies licet, & tabescere nocteis:
Et minui luces, cum sumant augmina noctes,
Aut quia sol idem sub terras, atque superne,
Imparibus currens anfractibus ætheris oras
Partit: & in parteis non aquas diuidit orbem:
Et quod ab alterutra detraxit parte, reponit
Eius in aduersa tanto plus parte relatus:
Donicum ad id signum celi peruénit, vbi anni
Nodus nocturnas exæquat lucibus ymbras.
Nam medio cursu flatus Aquilonis, & Austri,
Distinet æquato cælum discrimine metas,
Propter signiferi posituram totius orbis,
Annua sol in quo contundit tempora serpens,
Obliquo terras, & cælum lumine lustrans:
Vt ratio declarat eorum, qui loca celi
Omnia dispositis signis ornata notarunt.*

*Aut, quia crassior est certis in partibus ær,
Sub terris idè tremulum iubar hæsitat ignis:
Nec penetrare potest facile, atque emergere ad ortus.
Propterea noctes hiberno tempore longæ
Cessant, dum veniat radiatum insigne diei:
Aut etiam, quia sic alternis partibus anni
Tardius & citius consuerunt consfluere ignes,
Qui faciant solem certa de surgere parte.*

CRESCERE ITEM QVE] Nunc quamobrem dies & noctes augeantur, & minuantur. CVM SVMANT AVGMINA] cum augeantur. sic locutus est lib. 2. *Sursum enim versus gignuntur, & augmina sumunt.* TABESCENTE] minui. tralatio est. sic lib. 2. extr. *Nec tenet, omnia paulatim tabescere, &c.* IMPARIBVS CVRR. ANF.] dum impariter, & inæqualiter circumagitur. hac de re sic Laërt. *μήκη νυκτῶν ἐν ἡμερῶν παραλλήλοισι, ἐν πλεῖστον τῆς ἡμέρας γίνεσθαι, ἐν πλείον πλεῖστον βραδείας ἅπασαν γῆν,* id est dicebat Epicurus noctiū & dierum longitudines ex celeribus, & contrà ex tardis solis motibus supra terrâ fieri. ANFRACTIBVS] cursibus, & itineribus flexuosis. Cæf. lib. 7. de Bello Gall. *oppidi murus à planitie, atque initio ascensus, recta regione (si nullus anfractus intercederet)* εἰς ὀρθὸν ἀβέραι. AD ID SIGNVM] ad ἰσημεσίαν, id est, vt Latini appellant, æquinoctium. NAM MEDIO CVRSV, &c.] id est inter Aquilonè & Austrum: seu solstitium & brumam. vox flatus autem patrij casus est. CÆLVVM] cælum accipio, vt sit recti casus, numeri singularis. META S] solstitium, & brumam: seu circulum Cancrī, & circulum Capricorni. sunt enim veluti metæ solis: ad quas cū peruénit, iter, cursumque suum flecitur. PROPTER SIGNIF. POS. TOT.] propter situm zodiaci obliquum. M. Tull. de diuin. lib. 2. *Vim quandam esse aiunt signifero in orbe, qui Græcè ζωδιακὸς dicitur.* CONTVNDIT] conterit, consumit, vt sup. *Annua sol in quo consumit tempora cursu.* EORVM] astrologorum, & eorum qui scripserunt phænomena. PROPT. FIT] hunc versum secutus aliquot cod. manuscr. hoc loco posui: qui tamen mox iteratur. AVT QVIA CRASSIOR EST] alia ratio. TREM. IUBAR H. IGN.] sol. AVT ETIAM] tertia ratio. CONFLVERE IGNES] ex quibus noua semper solis lumina gignuntur, vt supra dixit, ibi *Aut quia conueniunt ignes & semina multa Consfluere ardoris consuerunt tempore certo, &c.* CERTA DE SVRG. PAR.] ἀναστροφὴ de certa parte surgere.

*Luna potest solis radiis percussa nitère,
Inq̄ dies maius lumen conuertere nobis
Ad speciem, quantum solis secedit ab orbe,
Donicum eum contra pleno bene lumine fulsit:*

Atque oriens obitus eius super edita vidit.
 Inde minutatim retrò quasi condere lumen
 Debet item, quanto propius iam solis ad ignem
 Labitur ex alia signorum parte per orbem:
 Ut faciunt, lunam qui fingunt esse pilai
 Consimilem, cursusque viam sub sole tenere.
 Propterea fit, uti videantur dicere verum.
 Est etiam quoque uti proprio cum lumine possit
 Voluer, & varias splendoris reddere formas.
 Corpus enim licet esse aliud, quod fertur, & vna
 Labitur omni modis occursans, officiensque,
 Nec potis est cerni, quia cassum lumine fertur.
 Versari que potest, globus ut, si fortè, pilai
 Dimidia ex parti candenti lumine tinctus,
 Versandoque globum varianteis edere formas.
 Denique eam partem, quacunque est ignibus aucta,
 Ad speciem vertit nobis, oculosque patentis,
 Inde minutatim retrò contorquet, & aufert
 Luciferam partem glomeraminis, atque pilai:
 Ut Babylonica Chaldaeam doctrina refutans
 Astrologorum artem contrà convincere tendit:
 Proinde quasi fieri nequeat, quod pugnat uterque,
 Aut minus hoc illo sit cur amplectier ausis.
 Denique, cur nequeat semper nova luna creari
 Ordine formarum certo, certisque figuris:
 Inq, dies priuos abolescere quæque creatæ,
 Atque alia illius reparari in parte, locoque,
 Difficile est ratione docere, & vincere verbis,
 Ordine cum videas tam certo multa creari.
 It ver, & Venus, & Veneris prænuntius antè
 Pennatus graditur Zephyrus vestigia propter:
 Flora quibus mater præspargens antè viam
 Cuncta coloribus egregius, & odoribus opplet.

Inde loci sequitur calor aridus, & comes vna
 Puluerulenta Ceres, & Etesia flabra Aquilonum.
 Inde Autumnus adit: graditur simul Euius Euan:
 Inde alia tempestates, ventique sequuntur,
 Altitonans Vulturinus, & Auster fulmine pollens.
 Tandem bruma niveis affert, pigrumque rigorem
 Reddit, hiems sequitur crepitans accentibus algi.
 Quo minus est mirum, si certo tempore luna
 Gignitur, & certo deletur tempore rursus,
 Cum fieri possint tam certo tempore multa.

LVNA POTEST SOLIS.] Cur lunæ figura varietur, & modò plena sit, modò dimidiata, modò bicornis, modò nulla. PERCVSSA] sic legendum, & ita habent libri aliquot manuscripti, percussa radiis solis, id est, icta lumine solis. sic locutus est sup. lib. 2. Recte aut obliqua percussus luce resurget. ibidem inf. quodam gignuntur luminis ictu. & hoc eodem lib. sup. Vt queat accendi parvis ardoribus ictus: Vnde verbera radiorum dicuntur tum solis, tum lunæ. sup. eod. lib. Et radij solis cogebant undique terram Verberibus crebris &c. Sed de hac variatione lunæ luminis & figuræ sic Epic. apud Laërt. Ἔτι δὲ ἐνδέχεται τῆ σελήνην ἐξ ἑαυτῆς ἔχειν τὸ φῶς: ἐνδέχεται δὲ ἀπὸ τοῦ ἡλίου. Καὶ ἡδὲ παρ' ἡμῶν θεωρεῖται πολλὰ μὲν ἐξ ἑαυτῶν ἔρχεται, πολλὰ δὲ ἀφ' ἑτέρων. καὶ ἐστὶν ἐμποδοῦσα τῆ τῶν ἐν τοῖς μετέωροις φαινομένων, &c. sequitur ἢ δὲ ἔμφασιν τῶ προσώπῳ ἐν αὐτῇ δυνάται μὲν γίνεσθαι καὶ κατὰ παραλλήλων μερῶν, καὶ κατὰ προσχώρησιν ἢ ἀναχώρησιν, καὶ καθ' ὅσον ἀνθρώπων θεωροῦντο τὸ σύμφωνον τοῖς φαινομένοις, id est, Præterea fieri potest, ut luna à se ipsa lumen habeat: contingere etiam potest ut à sole. Nam etiam apud nos multa cernere licet, quæ id quod habent, ex se ipsis habeant: multa, quæ ab aliis: neque quicquam eorum, quæ in aëre apparent, obstat quo minus ita sit, &c. vultus autem eius varius & multiplex, qui sese nobis exprimit, atque ostendit, potest nasci & ex immutatione partium, & ex accessione eius ad solem, aut recessione, & ex alia causa in qua spectetur id quod consentaneum est iis, quæ sunt in promptu. DONICVM EVM CONTRA, &c.] Donec contra eum, nempe solem, id est, donec ei opposita, &c. ATQUE ORIENS, &c.] id est, & tunc orta est, cum sol occidit. EST ETIAM QVOQVE VTI] quod dixerunt Anaximander, & Antipho. CORPVS ENIM LICET ESSE ALIVD,] id est, Nam fieri potest, ut sit corpus aliquod aliud, quàm luna, quod vna cum ea feratur, & labatur, eique occursando atque officiendo, faciat, ut luna varias formas reddat. VERSARI QVE POTEST] nempe luna. alia est ratio quare luna varias figuras reddat. CHALDAEAM] Chaldaeos astrologiæ fuisse peritissimos & Diodorus Siculus testatur libro secundo his verbis: τὸ το μὲν ποιεῖ διαβεβαίωσται το αὐτῆς προσωκόντως, ὅτι χαλδαῖοι μετρίσιν ἔξιν ἐν ἀστρολογίᾳ τῶν ἐπάντων ἀνθρώπων ἔχουσι, καὶ διότι πλείους ἐπιμέλειαν ἐποίησαντο ταύτης τῆς θεωρίας,

id est, hoc quidem certe liquidè quispiam confirmare possit, omnium hominum maximum usum in astrologia Chaldaeos habere, plurimumque studii, atque operæ in hanc cognitionem contulisse. & M. Tull. lib. 1. de diuina Chaldaei in Syria cognitione astrorum, solertiâque ingeniorum antecelluerunt. Babylonios quoque multorum annorum obseruationes siderum costilibus laterculis inscriptas habuisse refert Plinius lib. 7. cap. 56. **PROINDE QVASI, &c.**] En vide, vt Epicurus probabilia sequatur in his, quæ supra terram gignuntur, nihil vnum egregie præter cetera affirmet. **DENIQUE CVR NE QVEAT, &c.**] quod item de sole nonnulli existimarunt, vt sup. dictum est. **IN QVE DIES PRIVOS**] & in dies singulos. sic eod. lib. sup. **Innumerabiliter priuas mutatur in horas. ABOLESCERE**] cum in libris manuscriptis reperissem scriptum **aborisci**que suspicatus sum eos fuisse corruptos ab iis, qui ex **abolescere** **aboriri** fecissent: quod tantundem fere valet. **aboriri** quidem impressum est in cod. Venetis antiq. & Parisiensib. eoque verbo vsus est etiam lib. 3. & **infringi linguam, vocemque aboriri.** quod si quis malet, non improbabo. **abolescere** autem valet decreescere: quod huic loco maxime cõuenit. **VINCERE VERBIS**] pulchre dictum. sic lib. 2. **Quod quoniam vinco fieri, nunc esse docebo.** & sup. hoc eod. lib. **Et quam difficile id mihi sit peruincere verbis.** & lib. 6. **primùm iam semina aquarum Multa simul vincam consurgere nubibus ipsis.** sic & Horat. saty. 3. lib. 1. **Nec vincet ratio, tantundem vt peccet, idemque, &c.** **PRAENUNCIVS**] æd' equos, præcursor. **FLORA**] Arnobius lib. 3. aduersus gentes. **Flora illa genitrix, & sancta obscenitate ludorum bene curat, vt arua florescant, &c.** idem lib. 8. **sanè & Acca Laurentia, & Flora meretrices propudiose inter morbos Romanorũ, & Deos computanda.** Lucrat. Firm. lib. 1. de falsa religione. **Flora cum magnas opes ex arte meretricia quaesiuisset, populum Rom. scripsit heredem, certam pecuniam reliquit: cuius ex annuo fauore suis natalis dies celebraretur editio ludorũ, quos appellarent Floralia, &c.** lege & Ouid. lib. Fast. **ETESIA FLAB. A QVIL.**] Etesia: qui item sunt Aquilones: id est venti à septentrionib. flantes: hoc tantum interest, quòd Etesia certo anni tempore, nempe post solstitium spirant: Aquilones quouis anni tempore. **BVIVS EVAN.**] Bacchus à voce Bacchantium **ἑοῖ.** **VOLTURNS**] Euronotus. **CREPITANS ACCENTIBVS ALGI**] sic habent tres libri manuscripti, & vulgati Florentini, Veneti recentiores, vtrique Lugdunenses: nonnulli, **crepitans ardentibus algit**, planè ineptè, meo quidem iudicio. **CVN FIERI POSSINT**] in duobus libris manuscriptis scriptum est, **Cum florere queant.**

*Solis item quoque defectus, lunæque latebras,
Pluribus è causis fieri tibi posse putandum est.
Nam cur luna queat terram secludere solis
Lumine, & à terris altum caput obstruere eij,
Obiciens cæcum radiis ardentibus orbem:
Tempore eodem aliud facere id non posse putetur*

*Corpus, quod cassum labatur lumine semper?
Sólque suos etiam dimittere languidus igneis
Tempore cur certo nequeat, recrearèque lumen,
Cum loca præterit flammis infesta per auras,
Quæ faciunt igneis interstingui, atque perire?
Et cur terra queat lunam spoliare vicissim
Lumine? & oppressum solem super ipsa tenere,
Menstrua dum rigidas coni perlabitur umbras:
Tempore eodem aliud nequeat succurrere lunæ
Corpus: vel supera solis perlabilier orbem,
Quod radios interrumpat, lumènque profusum?
Et tamen ipsa suo si fulgit luna nitore,
Cur nequeat certa mundi languescere parte?
— Dum loca luminibus propriis inimica perexit?
— Menstrua dum rigidas coni perlabitur umbras?*

SOLIS ITEM QVOQVE] nūc de defectibus solis & lunæ: & prior loco de defectu solis. **SECLVDERE SOLIS LVMINE**] terram secludere à solis lumine, & ita priuare, ac spoliare. **EII**] soli. **OBIICIENS CAEC. RAD. ARD.**] obiciens suum orbem obscurũ radiis solis. **TEMPORE EODEM, &c.**] cur (inquit) luna possit terram lumine solis priuare, sui orbis obiectu: eodem tẽpore aliud corpus, quàm luna, quod semper nobis sit obscurum, non debeat putari idem efficere posse? proinde quasi dicat: non potest afferri ratio, quam obrem aliud corpus, quàm luna, idẽ efficere non queat, quod lunam efficere plerique dicunt. Primus autem Thales dixit solem deficere, eò quòd luna, quæ est terrena natura, eum subeat ad perpendicularum: id est interponatur inter solem & terram. **SOL QVE SVOS**] hæc fuit Xenophanis opinio. Putauit idem ille nouos quotidie soles & occidere, & oriri. **FLAMMIS INFESTA**] non ita dico flammis inimica, vt frigida: sed flammis immoderatis opplera, atque occupata, & quodammodo infestata, ac vexata. **INTERSTINGVI**] interea exstingui, intereaque perire. **ET CVR TERRA QVEAT**] nunc de lunæ defectu. **ET OPPRESSVM SOLEM SVPER IPSA T.**] sic quidem habent omnes libri, & manuscr. & vulgati: quæ lectio, si cui probatur, sic explicari potest: & ipsa scilicet luna, super, id est, cum sit super, solem oppressum tenere. Sed ego inuitis libris omnibus sic legendum esse puto: & oppressum subter solem ipsa tenere. hoc enim sentit Lucretius. Cur terra inter solem & lunam intercedens (nam ex huiusmodi interpositione, defectum lunæ nasci volūt ferè omnes) lunam lumine spoliare, solémq; quo-

dammodo subter se oppressum tenere possit, dum luna in umbram terræ incidit: eodem tempore aliud corpus, quàm terra, lunæ succedere & subici, vel supra solis orbem ferri non queat? mendum natum est ex voce *super* scripta per p. vnde postea factum est *super*. postremò cum syllabæ prioris breuitas versum corrumperet, mutatus est ordo verborum, & ita scriptum est, ut videmus. ad hunc locum pertinent illa M. Tull. lib. 2. de nat. deor. atque etiam tum *subiecta* atque *opposita Soli radios eius, & lumen obscurat, tum ipsa incidens in umbram terræ, cum est è regione solis, interpositu, interiectaque terræ repente deficit.* MENSTRVA DVM RIGIDAS, &c.] id est dū luna spatio menstruo cursum suum conficiens, perlabitur vltimam umbratum terræ partem. quidam per conum terram significari volunt, quasi sit *uolueris*, cum Aristoteles lib. 2. *περὶ τῆς κοίτης* dicat esse tympani figura, & lineas ab eius centro ductas duos conos efficere. SVCCVRRERE] succedere, vel subter, vel sursum ire. RADIOS] solis. CVR NEQVEAT CERTA] sic habet cod. Vatic. & vulgati Florent. MENSTRVA DVM RIG.] frustra hic uersus alieno loco iteratur.

*Quod superest, quoniam magni per cæcula mundi
Qua fieri quicquid posset ratione, resolui:
Solis vii varios cursus, lunæque meatus
Noscere possemus, quæ vis, & causa cieret:
Quòue modo soleant effecto lumine obire,
Et neque opinanteis tenebris obducere terras,
Cum quasi connivent: & aperto lumine rursum
Omnia conuisunt clara loca candida luce:
Nunc redeo ad mundi nouitatem, & mollia terræ
Arua nouo fetu quid primum in luminis oras
Tollere, & incertis tentarit credere ventis.
Principiò genus herbarum, viridèmq; nitorem
Terra dedit circum colleis, campòsque per omneis
Florida fulserunt viridanti prata colore.
Arboribùsque datum est variis exinde per auras
Crescendi magnum immisiss certamen habenis.
Ut pluma, atque pili primùm, setæque creantur
Quadrupedū in membris, & corpore pennipotenti:
Sic noua tum tellus herbas, virgultaque primùm
Sustulit: inde loci mortalia sæcla creauit*

Nulla

Multa modis multis varia ratione coorta.

Nam neque de celo cecidisse animalia possunt:

Nec terrestria de falsis exisse lacunis.

Linqvitur, vt meritò maternum nomen adeptæ

Terra sit, è terra quoniam sunt cuncta creata.

Multaque nunc etiam existunt animalia terris,

Imbribus, & calido solis concreta vapore.

Quo minus est mirum, si tum sunt plura coorta,

Et maiora, noua tellure, atque æthere adulta.

QVOD SVPEREST, QVONIAM] breuis *ἀναπαράδοσις* eorū, quæ hactenus explicauit: post quam redit ad initium mundi, & docet quid primum in mundo recenti natum sit. OFFECTO LVMINE] sic restitui tres codices manuscriptos secutus, in quibus planè, & sine litura ita scriptū est: in duobus aliis autem *offeto*, & *offæto*. offecto autem interpretor, obducto, & obstructo, & per alicuius corporis interpositionem, ad tempus excluso. idē lib. 2. & extr. Officiuntur, vt cogantur tardius ire. CONNIVENT] lumen suum claudunt, tralatio esset, nisi addidisset, quasi. ET INCERTIS TENTARIT CREDERE VENTIS] sic restitui partim coniectura ductus, partim à veteribus libris adiutus, partim à sententia ipsa admonitus. Nam cum reperissem in aliis libris manuscript. *tendant committere*, in aliis *credunt committere*: in vulgatis item modò hoc, modò illud, modò *tendat* numero singulari: viderem autem sententiam postulare verbum numeri singul. præteriti temporis, optatiui modi, ego ex *tendant* feci *tentarit*, ex *credunt credere*, suspicatus vulgatum *committere* fuisse explicationē verbī *credere*, ad oram libri ascriptam, quæ postea in contextum verborum translata sit eiccto vero, & germano verbo *credere*. IMMISSIS CER. HABEN.] id est laxatis. Virg. lib. 6. *Æneid. Sic fatur lacrymans, clausisque immitit habenas.* INDE LOCI] id est ab illo tempore. sic sup. *Diffugere inde loci partes cœpere, parèsq; cum paribus iungi.* NAM NEQVE DE CAELO] sic sup. lib. 2. extr. *Haud (vt opinor) enim mortalia sæcla supernè Auca de celo demisit funis in arua.* LINVITVR VT MERITÒ] sic lib. 2. *Quare magna Deum, mater, materque ferarū, Et nostri genitrix hæc dicta est corporis vna. & infr. statim Quare etiam atque etiam maternum nomen adeptæ Terra tenet meritò, &c.* MVLTAVE NVNC ETIAM EXISTVNT] à simili probat animalia omnia principiò è terra humida solis calore calefacta extitisse.

Principiò genus alituum, variæque volucres

Oua relinquebant exclusæ tempore verno:

Folliculos vt nunc teretes æstate cicada

HHh

*Linquunt, sponte sua victum, vitamque petentes.
 Tum tibi terra dedit primum mortalia sacula.
 Multus enim calor, atque humor superabat in aruis.
 Atque ubi quæque loci regio opportuna dabatur,
 Crescebant vteri terræ radicibus apti:
 Quos ubi tempore maturo patefecerat ætas
 Infantum, sugens humorem, aurâsque petessens:
 Conuertebat ibi natura foramina terræ,
 Et succum venis cogebat fundere apertis
 Confirmilem lactis, sicut nunc femina quæque
 Cum peperit, dulci repletur lacte, quodâ omnis
 Impetus in mammas conuertitur ille alimenti.
 Terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile
 Præbebat, multa & molli lanugine abundans.
 At nouitas mundi nec frigora dura ciebat,
 Nec nimios æstus, nec magnis viribus auras.
 Omnia enim pariter crescunt, & robora sumunt.
 Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta
 Terra tenet meritò, quoniam genus ipsa creauit
 Humanum, atque animal propè certo tempore fudit
 Omne, quod in magnis bacchatur montibus passim,
 Aëriâsque simul volucres variantibus formis.
 Sed quia finem aliquam parienti debet habere,
 Destitit, ut mulier spatio defessa vetusto.
 Mutat enim mundi naturam totius ætas,
 Ex aliôque alius status excipere omnia debet,
 Nec manet vlla sui similis res: omnia migrant,
 Omnia commutat natura, & vertere cogit.
 Nanque aliud putrescit, & æuo debile languet:
 Porro aliud concrefcit, & è contemtibus exit.
 Sic igitur mundi naturam totius ætas
 Mutat, & ex alio terram status excipit alter.
 Quod potuit, nequeat: possit quod non tulit antè.*

PRINCIPIÒ GENVS ALITVVM] rationem primæ originis animantium explicat ex sententia Anaximandri, & aliorum quorundam veterum philosophorum: quam pluribus verbis persequitur Diod. Siculus lib. 1. non longè à principio: quæ quia hunc locum non mediocriter mihi videtur illustratura, ascribere non pigebit. Ταύτην δὲ (γινώσκοντες) τὸ μὲν περὶ τὸν ἥλιον πυρὸς κατὰ τὸ μίαντος πῦρ λαβεῖν, ἔπειτα δὲ τὴν πῦρ θερμασίαν ἀναζυμωθῆναι τῆς ὀπρᾶνείας, συνιδιόταν τῆν τῶν ὑγρῶν κατὰ πολλὰς τὸ πῦρ, καὶ γενέσθαι ὡδὲ ἀντι σπινθιδόνας ὕμιας κελίοις ἀεὶ χρομύας. ὅσῳ ἔστιν ἐν τοῖς ἔλεσι καὶ τοῖς λιμνάζουσι τῶν τόπων ἐπὶ καὶ γυνὸν δὲ ὄσταν γινόμενον, ἔπειτ' αὖ τῆς χύσεως κατὰ τὴν ἄφωσθον διὰ πῦρ ὁ αἰὲρ ἴσθηνται, καὶ λαβὼν τὴν μεταβολὴν ἐκ τῆς κατ' ὀλίγον. Ζωογονηθῆναι δὲ τῶν ὑγρῶν διὰ τῆς θερμασίας τῶν ἑρμιθίων βόπων, καὶ μὲν γυνεὴν λαμβάνειν ἀπὸ τῆς πύσης ἀπὸ τοῦ περὶ τὸν αἰὲρ ὁμίχλης: καὶ δ' ἡμέρας ἑσπέρου καὶ καὶ ματὸς τρεπέσθαι. τὸ δ' ἔχων τῶν κυρορεθῶν τὴν πύσην αὐτῆσιν λαβόντων, καὶ τῶν ὑμῶν διακαυθῆναι τε καὶ ἀεὶ ἴσθηνται, ἀναφύνηται, καὶ φαρμάκων παρτοδαπέδον τύπος ζώων. τὸ πῦρ δὲ τὰ μὲν πλείους θερμασίας κοινοποιεῖται, ὡς τὸ μετέωρον ἀπελθεῖν ἵερομύρα πτηνῶν: τὰ δὲ γαστέρας ἀπὸ τῆς ὑγρῶν ὕλης, καὶ τῆς ἔρπει τῶν καὶ τῶν ἄλλων τ' ὀπρῆσιν τὰ εἶ κατὰ τὴν ἀφωσθῆναι: τὰ δὲ φύσιν ὑγρῶν μάλιστα μεταβολῆσθαι ὡς τὸν ὁμοιοῦσιν τόπον συνιδεσθῆναι, ὀνομαζόμενα πλωτῆ, &c: id est, Hanc autem (terram) primum quidem cum ignis soli circumfusum eam collustrasset, concreuisse: deinde cum propterea quod cōcaluerat, extremæ eius oræ veluti fermentatetur, multis locis humida quædam intumuisse, & in eis putrores quosdam tenuibus membranis circumdatos extitisse: quod in paludibus, & in stagnantibus locis etiam nunc fieri cernere licet, cum ea loci regione frigida facta, aër repente exarserit, neque sensim fuerit immutatus: Humida autem illa eo, quo diximus, modo calore animata, noctu quidem ex nebula superne cadente cibum cepisse: interdum autem ab æstu solidata esse: postremò iis, quæ in vteris terræ inoluisse, iustum incrementum consecutis, membranisque perustis, ac perfractis, extitisse, atque exortas esse omnis generis animalium formas: Horum autem ea quidem, quæ plurimum caloris acta fuissent, ad superna loca abiisse, volatilia facta: ea autem quæ terrenam retinuisse soliditatem, in reptilium, & aliorum terrestrium ordine esse numerata: quæ verò naturâ humidam maxime haberent, ad locum eiusdem generis concurrisse, natatilia nominata. Idem ibidem quosdam Euripidis versus ex Menalippa profert ab hac sententia non discrepantis: Ὡς ἔγενός τε, γαῖάντ' ἦν μορφή μίαν: Ἐπειδ' ἔχων ἔδωσαν ἀλλήλων δίχρα, Τίθησι πάντα, χερνέδωκαν ἐς φάος, Δένδρη, πετεινὰ, ψίχρας, ἔς θ' ἄλλων τρέφει, Γένος τε θνητῶν. id est, Nam terra, cælumque vna forma erant simul: Sed alterum postquam seorsum ab altero Iunctum est, peperere cuncta, & edidere in luminis Oras, ut arbores, feras, atque alites. Et quas alit mare, & genus mortaliū. EX CLVS AE.] proprie, & vsitate dixit. Gallinas enim & ceteras aues pullos ex ouis excludere dicimus. FOLLICVLOS VTNVN C] tunicas appellauit supra lib. 4. non longè à principio. vt olim Cum veteres ponunt tunicas æstate cicada. TVM TIBI TERRA] sic habent aliquot libri vulgati: quibuscum consentiunt tres manu scripti. alij Tunc ibi. AT QVE VBI QVABQVE] sic restitui, cum in lib. manuscriptis scriptū reperissem partim Hoc ubi, partim Ecce ubi, partim Ac tibi, partim Heccubi. CRESCEBANT VTERI] profert hunc versum Firmianus lib. 2. de org.

erroris cap. 12. totamque hanc de prima animalium origine sententiam refellit his verbis. *Aiunt certis conversionibus cali & astrorum motibus maturitatem quandam exitisse animalium serendorum: itaque terram novam semen genitale retinentem, folliculos ex se quosdam in veterum similitudinem protulisse, de quibus Lucret lib. 5. Crescebant veteri & c. eosque cum maturassent, natura cogente ruptos animalia tenera profudisse: deinde terram ipsam humore quodam, qui esset lacti similis, excubasse, eoque alimento animantibus esse nutritos: & c. nam satis est mihi locum indicasse. eodem pertinet illud M. Tull. lib. 1. de legib. Nam cum de natura omni quaeritur, disputari solent nimirum ista, sicut disputantur perpetuis cursibus, & conversionibus celestibus exitisse quandam maturitatem generis humani, quod sparsum in terras, atque factum, diuino auctum sit animorum munere. TERRAE RADIC. APTI] id est inhaerentes, & affixi terrae radicibus. SVGENS HYMOREM] sic restitui, cum in omnibus libris legatur fugiens, planè mendosè. Nam cum sententia, tum locus ille Lucr. Fir. quem paullo antè protuli, facile ostendunt ita legendum esse. AVRA'S QVE PETESSENS] sic habent tres libri manuscripti. dictum autem petesso, ut capeffo, laceffo, arcesso: nisi quis malit reponi petissens: cui facile assentiar. Sic enim Festus. *Petissere antiqui pro petere dicebant ea forma verbi qua sunt laceffere, & incessere. Sed (ut mihi videtur) eo significabant sapius petere, ut petissant, sapius petant.* Hactenus Festus. vitur hoc verbo & M. Tull. lib. secundo de Consulatu. *Monteque divina caelum, terrasque petissit.* CONVERTEBAT IBI] sic quidem habent omnes libri & manuscripti, & vulgati. Verum tamen *ibus* legendum puto, ut intelligamus naturam conuertisse foramina terrae ad infantibus, seu potius ad uteros illos tempore maturo patefactos. *ibus* autem antiquum pro *is* teste Nonio. Plautus Milite. *ibus denumerem stipendium.* Pomponius. *Nunc quando voluisti facere, fac voluptati sisibus.* AT NOVITAS MUNDI] hoc pertinet ad id quod quis obiicere poterat, neque omisit Firmianus: sic enim ille eo, quem paullo antè indicavi, loco. *Quomodo autem vim frigoris, aut caloris ferre, aut vitare potuerunt, aut omnino nasci, cum sol exiret, frigus astringeret? Non erant (inquiunt) à principio mundi hiems, & aestas, sed perpetua temperies, & ver aequabile. Cur ergo nihil horum fieri etiam nunc videmus? & c.* QVARE ETIAM. AT QVE ETIAM] sic supra paullo antè. *Linqvitur ut merito, & c.* QVOD IN MAGNIS BAGCHATVR M. P.] id est quod passim per montes bacchantium in morem vagatur. DESTITIT VT MVLIER] sic sup. lib. 2. in extr. *Iamque adeò affecta est atas, affectaque tellus: Vix animalia parua creat, & c.* EXCIPERE OMNIA] sublequi omnia, *et c.* succedere omnibus. NANQVE ALIVD PVTRASCIT, & c.] sic sup. lib. 2. princip. *sic rerum summa novatur Semper, & inter se mortales mutua viuunt. Augescunt alia gentes, alia minuuntur, & c.* eod. lib. *miscetur funere vagor, quem pueri tollunt visentes luminis oras, & c.* AEVO DEBILE] atate, atque annis debilitatū & confectum.*

*Multaque tum tellus etiam portentosa creare
Conata est, mira facie, membrisque coorta.*

*— Androgynum inter vtrū, nec vtrunque, & vtrinq; remotum,
Orba pedum partim, manuum viduata vicissim:
Multaque sine ore etiam, sine volu caca reperta,
Vinctaque membrorum per totum corpus adhaesu,
Nec facere ut possent quicquam, nec cedere quoquam,
Nec vitare malum, nec sumere, quod foret vsus.
Cetera de genere hoc monstra, ac portenta creabat:
Nequicquam, quoniam natura absterruit auctum,
Nec potuere cupitum atatis tangere florem,
Nec reperire cibum, nec iungi per Veneris res.
Multaque videmus enim rebus concurrere debere,
Ut propagando possint procudere saecula:
Pabula primum ut sint, genitalia deinde per artus
Semina qua possint membris manare remissis:
Feminaque ut maribus coniungi possit, habendum,
Mutuaqueis nectant inter se gaudia vtrisque.
Multaque tum interiisse animantum saecula necesse est,
Nec potuisse propagando procudere prolem.
Nam quaecumque vides vesci vitilibus auris,
Aut dolus, aut virtus, aut denique mobilitas est
Ex incunte aeo genus id tutata reseruans,
Multaque sunt nobis ex utilitate sua quae
Commendata manent tutela tradita nostrae.
Principio genus acre leonum, saeuoque saecula
Tutata est virtus, vulpeis dolus, & fuga ceruos.
At leuisomna canum fido cum pectore corda,
Et genus omne, quod est veterino semine partum,
Lanigeraque simul pecudes, & bucera saecula,
Omnia sunt hominum tutela tradita, Memmi.
Nam cupidè fugere feras, pacemque secuta
Sunt, & larga suo sine pabula parta labore:
Quae damus utilitatis eorum praemia causa.
Atqueis nil horum tribuit natura, nec ipsa*

*Sponte sua possent ut viuere, nec dare nobis
Vtilitatem aliquam, quare pateremur eorum
Præsidio nostro pasci genus, esseque tutum:
Scilicet hæc aliis prædæ, lucróque iacebant,
Indupedita suis fatalibus omnia vinculis:
Donicum ad interitum genus id natura redegit.*

ANDROGYNUM INTER VTROS, &c.] hunc versum delendum cenleo, ut spuriam, hoc primùm. deinde cum variè legatur in codicibus & manu sc. & vulgatis, eam potissimum lectionem secutus sum, quæ mihi minus inepta visa est. Omnino ego arbitror hunc versum ab aliquo nugatore esse inculcatum. ORBA PEDVM, &c.] vel ex hoc versu apparet versum *Androgynum, &c.* esse alienum. MVLTASINEORE] quidam lib. habent: *Muta sine ore.* non probo. ADHÆS V] vsus est hac voce supra lib. 3, *Nam neque pulueris interdum sentimus adhaesum,* & item alibi. QVOD FORET VSVS] sic reposui coniectura ductus, cum reperissem in vno codice manu sc. *quod fouet vsus.* NEC POT. CVP. AET. T. FLOR.] id est nec potuere ad iustum ætatis robur, & vigorem peruenire. lib. 1. *summum ætatis peruadere florem.* ibid. paullo post. *Stare, quibus possint aut contingere florem.* MVLTAVID. ENIM] versus est hypermeter. sententia autem est hæc: multa concurrere debere, ut animantes genus suum propagare possint, primùm ut sint pabula: deinde ut viæ quædam sint, per quas semina vim gignendi habentia manare possint, membris per rem veneream laxatis & remissis: postremò ut mas & fæmina membra habeant, quibus ambo inter se per rem veneream iungi, & communem inter se voluptatem capere possint. SEMINA QVA POSSINT] sic legendum potius, quàm *quæ possint.* nam hic ordo est, deinde ut sit via, quæ genitalia semina per artus membris relaxatis manare possint. HABENDVM, MVTVAQVEIS, &c.] secutus sum hinc cod. Florentinos, & nonnullos alios. nam altera scriptura ægrè defendi potest. hanc autem sic explico. Et ut fæmina cum maribus iungi possit, habendum est vtrisque: id est vtrosque scilicet mares & feminas habere oportet membra, quibus mutua gaudia inter se nectant. VESCI VITALIBVS AVRIS] Virgil. lib. 1. *Æneid. Quem si fata virum seruant: si vescitur aura Aetheria,* &c. idem lib. 4. *Quid puer Ascanius? superatne, & vescitur aura?* AVTDOLVS, AVTVIRTVS, AVTDEN. &c.] quæcunque (inquit) animalia vides viuere, ea aut dolo, aut virtute, aut celeritate salutem suam tutata sunt. sic Tyrius Max. *διὰ τῆς Σοφίας ἐρωπιῆς, ὡς περ γὰρ ἄλλο ἄλλο ζῷον ἀλέξεται ἢ κεν παρὰ τῆς φύσεως εἰς τὸν αὐτῆς βίον, ὅφ' οὐ σώξει, λέουσι ἄλλὰ, ἐλάφοις δ' ἐμοί, θῆραι κνσί: ἢ τῷ εὐθ' διεγὼ γῆραι αὐ νίξεις, τῷ δ' μετρησῶ αὐ πησίεις, τῷ ἰλυσσω μὲν οἱ φάλοισι* &c. quemadmodum enim aliud alij animali à natura vitæ præsidium, & munimentum datur, à quo seruatur: leonibus robur, cervis cursus, canibus venatio: & generi aquatili natationes, volatili volatus, reptili latebræ, &c. MVLTAQVE SVNT EXVTIL.] ut bo-

ues, oues, capræ, equi, muli, &c. quæ animantes partim ad vescendum, partim ad vehendum, partim ad corpora vestienda nobis sunt vtilis. SAEVA QVE SAECLA] & genera animantium iracunda. AT LEVISOMNA] sic habent codices aliquot vulgati: in his Veneti, & Florentini, & ita legendum. non *Et leuisomna.* nã hic versus refertur, & pertinet ad ea quæ sequuntur. leuisomnos autem canes appellat, quasi leuena somnum dormiētis, & qui facile è somno excitentur. vigiles ab Horatio dicuntur oda 16. lib. 3. *vigilum canum Tristes excubie.* QVOD EST VETERINO] *Veterina* (inquit Nonius) *animalia dicuntur omnia, quæ vehere quid possunt.* Lucret. *Et genus omne, quod est vet. sem. p. & Festus. Veterinam bestiam* (inquit) *tumentum Cato appellauit à vehendo.* Opilius *veterinam dici putat, quasi venerinam, vel vterinã, quod onus ad ventrem religatum gerat.* ET BVCERA SAECLA] bucerum pecus de bubus dicimus, inquit Festus. idem Lucret. lib. 2. *Buceriãq; greges, & equorum duellica proles.* QVARE] id est propter quam rem, seu propter quam vtilitatem. nam *quare* hic non interrogat, sed enunciando referendi vim habet. SCILICET HÆC] refer ad illa superiora: quibus nihil horum tribuit natura. ita ut nec ipsa, &c.

*Sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in vlllo
Esse queat duplici natura, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta potestas,
Hinc illinc par vis ut non pari esse potis sit.
Id licet hinc quamuis hebeti cognoscere corde.
Principio circum tribus actis impiger annis
Floret equus, puer haud quaquam quin saepe etiam nunc
Vbera mammaram in somnis lactantia querit.
Post ubi equum valida vires ætate senecta,
Membræque deficiunt fugienti languida vita:
Tum demum pueris æuo florente, iuventas
Occipit, & molli vestit lanugine malas:
Ne fortè ex homine, & veterino semine equorum
Confieri credas Centauros posse, neque esse:
Aut rapidis canibus succinctas semimarinis
Corporibus Scyllas, & cetera de genere horum,
Inter se quorum discordia membra videmus:
Quæ neque florescunt pariter, nec robora sumunt
Corporibus, neque proficiunt ætate senecta:*

Nec simili Venere ardescunt, nec moribus vnis
 Conueniunt, neque sunt eadem iucunda per artus.
 Quippe videre licet, pinguescere, sepe cicuta
 Barbigeras pecudes, homini quæst acere venenum.
 Flamma quidem verò cum corpora fulua leonum
 Tam soleat torrere, atque vrere, quàm genus omne
 Visceris in terris quodcunque & sanguinis extet:
 Quis fieri potuit, triplici cum corpore vt vna
 Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimera
 Ore foras acrem efflaret de corpore flammam?
 Quare etiam tellure noua, celòque recenti
 Talia qui fingit potuisse animalia gigni,
 Nixus in hoc vno nouitatis nomine inani:
 Multa licet simili ratione effutiat ore:
 Aurea tum dicat per terras flumina vulgò
 Fluxisse, & gemmis florere arbuta suesse:
 Aut hominem tanto membrorum esse impete natum,
 Trans maria alta pedum nisus vt ponere posset:
 Et manibus totum circum se vertere calum.
 Nam quòd multa fuere in terris semina rerum,
 Tempore quo primùm tellus animalia fudit:
 Nil tamen est signi, mistas potuisse creari
 Inter se pecudes, compactaque membra animantum,
 Propterea, quia quæ de terris nunc quoque abundant
 Herbarum genera, ac fruges, arbutaque leta,
 Non tamen inter se possunt complexa creari.
 Res sic quæque suo ritu procedit: & omnes
 Fœdere naturæ certo discrimina seruant.

SED NEQVE CENTAVRI FVERVNT] animantes ex homine & equo compacti. sic sup. lib. 4. Nam certè ex viuo Centauri non sit imago, Nulla fuit quoniam talis natura animati Verum ubi equi, atque hominis casu conuenit imago, Hærescit facile extemplo, quod diximus ante. Virgil. lib. 6. Æneid. facit Centauros & Scyllas in vestibulo inferorum stabulare cum somniis. quam sedè somnia vulgò Vana tenere serunt, solisq; sub omnibus hærent: Multaque præterea
 variarum

variarum monstra ferarum Centauri in foribus stabulant, Scyllaque bifformes. DVPLICI NVTVRA] humana, & equina. POTESTAS] dubius, potentia. HINC ILLINC PAR VIS VT NON PARI,] si huius versus varias scripturas lectori proponere vellem, totam paginam implem: factis erit mihi eas referre, quæ reperiuntur in lib. manuscriptis, vt videat lector, me ita hunc locum restituisse, vt tamen ab iis non longè discefferim. sic igitur habet Vaticanus, Hinc illinc par vis vt non sint pars esse potis sit. Scipionis & Faerni sic: Hinc illinc paribus vt non sit pars esse potis sit. Bertinianus & Memmianus sic: Hinc illinc par vis vt non sit par esse potis sit. quæ scripturæ cum sint vitiosæ, ego sic reposui, Hinc illinc par vis vt non pari esse potis sit: quæ scriptura ferè in Venetis recentioribus, & Lugdunensibus reperitur. sic enim in eis legitur Hinc illinc par vis vt non par esse potis sit. Sententia autem huius scripture, si cui forte obscurior videatur, hæc est. Non potest esse natura seu potestas aliqua ex alienigenis membris, vt humanis & equinis compacta, & conflata, ita alienigenis (inquam) vt vis par pari esse, id est par pari respõdere non possit. de versus autem ratione non est quòd quisquam dubitet, propter vocem pari, in qua voce syllaba, ri, non eliditur, & corripitur. nam hoc esse Lucretio vsitatum alibi ostendimus. ID LICET] id, nempe in Centauro non posse hinc illinc parem pari vim esse. CIRCVM] circiter, vel dic potius circumactis, vt sit timesis. FLORET] ἀνακαίσει, viget. hoc modo ostendit Centauros esse nõ posse. non potest vnum animal ex inæqualibus, disparibus, disconuenientibus potestatibus, & membris esse conflatum. Nam ita pars altera erit imbecilla, altera firma: hæc diuturna, & viuax: altera vitæ breuis, & ad mortem præceps: & quo tempore altera erit ætate corroborata atque adulta, vt equus, qui tribus annis exactis, viget: altera vix dum ab vberis matris erit depulsa, vt puer: & contra quo tempore pars humana erit valida, ac robusta, cum equina erit senectute confecta. Postremò non iisdem voluptatibus ducuntur, neque iisdem molestiis afficiuntur homo & equus. Idem de Scylla canibus succincta, sentien dum: de qua etiam mox dicet. QVIPPE ETIAM NVNC] id est, quippe etiam cum treis annos natus est. sed videtur legendum: quippe etiam tunc. LACTANTIA] lac suppeditantia. FUGIENTI LANGV. VITA] sic dixit vitam fugientem, vt Latini dicunt vinum fugiens, & litteras fugientes. PVERIS] aliàs puerili. ego tamen malo pueris. IVENTAS] iuuentutis Dea, & ipsa iuuetata. ET MOLLI VESTIT LANGV.] sic sup. eod. lib. mollem vestit dixit, pro molli pilo, & lanugine. & impubem molli pubescere veste. NE FORTE EX HOMINE] hunc versum profert Nonius. ne forte autem, id est hæc dixi, vt ne forte credas, &c. CONFIER] id est, confici. vtitur eod. verbo sup. lib. 3. Id quoque enim sine pernicie confiet eorum. & sæpe Virg. vt lib. 4. Æneid. nunc qua ratione quod instat, Confieri possit, &c. & Cæf. lib. 7. de bello Gall. postquam id difficiliter confieri animaduertit, &c. AVT RAPIDIS CAN. SVCC.] Scyllam sic describit Hom. ἄδυσ. μ. Ἐνθα δὲ εἰς Σκύλλην γαίης δεινὸν ἀλακίαια: Τῆ ἠτοι φωνὴ μὲν ὄση σιλόλακος γεογαλλῆς Γίνεται, ἀπὸ δὲ αὐτῆ πέλαρ κερκὸς, ἢ καὶ τίς μιν Γινώσκειν ἰδὼν, ἢ δ' εἰ θεὸς ἀπίσκειν, &c. M. Tull. Verr. de suppliciiis: hoc infestior nautis Verres, quàm Scylla, quòd multo se pluribus, & maioribus

canibus succinxerat. QUIPPE VIDERE LICET P. S. CIC.] sic lib. 4. de veratro. Præterea nobis veratrum est acre venenum: At capris adipēs, & cornuicibus auget. FLAMMA QUIDEM VERÒ] Probat nunquam fuisse Chimæram etiam hoc argumento, quod cum poëta fabulentur eam flammam ore efflare, constet autem ex leone, dracone, capra, seu ipsa chimæra: leones proinde ut cetera animantes, à flammis læduntur, & torrentur. Sed non dissimulabo nonnullos libros habere, Ignea flamma quidem. PRIMALEO, POSTR. DR.] sic Hom. Æ. & Hesiod. theogon. Πέδον λέων, ὄμιον δ' ἄγριον, ἕκαστον δὲ χιμαιρά. ORE FORAS ACREM EFFLARET DE CORP. F.] hanc potissimum scripturam secutus sum ut & maxime probabilem, & maxime cum libris antiquis consentaneam. sic fere loquitur lib. 6. Spiritus ore foras tetrum voluebat odorem. EFFVIA T] Nonius docet effutire idem valere, quod cum mēdacio dicere, & profert hunc locum. animaduerti autem hoc verbum in quibusdam lib. scribi duplici t. AVT HOMINEM TANTO M.] quamobrem hoc non potuerit initio efficere natura, causam affert lib. 1. Denique cur homines tantos natura parare non potuit, pedibus qui pontum per vada possent Transire, & magnos manibus diuellerē montes, Multaque viuendo vitalia vincere sacra, Si non, materies quia rebus reddita certa est Gignendis? &c. RES SIC QUAEQUE SVO, &c.] cum in omnibus lib. & manuscr. & impressis, præterquam in Florent. sic reperissem scriptum: Sed sic quaque suo ritu procedit, & omnes Fœdere natura certo discrimine seruant, à me impetrare non potui, ut in quattuor vocibus, quaque, &, omnes seruant, mendum subesse existimarem, sed in aliqua alia potius. Itaque Florentinam lectionem reieci, quæ talis est. Sed sic quodque suo ritu procedit, ut omnia Fœdere natura certo discrimine seruent. suspicatus autem primam vocem versus esse deprauatā, sic reposui, Res sis quaque suo ritu procedit, & omnes, &c.

*Et genus humanum multo fuit illud in aruis
Durius, ut decuit, tellus quod dura creasset:
Et maioribus, & solidis magis ossibus intus
Fundatum, & validis aptum per viscera neruis:
Nec facile ex aestu, nec frigore quod caperetur:
Nec nouitate cibi, nec labi corporis vlla.
Multaque per cælum solis voluentia lustra
Volginago vitam tractabant more ferarum.
Nec robustus erat curui moderator aratri
Quisquam: nec scibat ferro molirier arua,
Nec noua defodere in terram virgulta, neque altis
Arboribus veteres decidere falcibu' ramos.
Quod sol, atque imbres dederant, quod terra crearat*

*Sponte sua, satis id placabat pectora donum.
Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerunque, & quæ nunc hiberno tempore cernis
Arbuta pœniceo fieri matura colore,
Plurima tum tellus etiam maiora ferebat.
Multaque præterea nouitas tum florida mundi
Pabula diua tulit, miseris mortalibus ampla.
At sedare sitim fluuij, fontesque vocabant:
Ut nunc montibus è magnis decursus aquarū
Clarior accitat sitientia sæcla ferarum.
Denique noctinagi siluestria templa tenebant
Nympharum, quibus exhibant humore fluenta
Lubrica, proluuie larga lauere humida saxa:
Humida saxa super viridi stillantia musco:
Et partim plano scatere, atque erumpere campo:
Nec dum res igni scibant tractare, neque uti
Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum:
Sed nemora, atque cauos montes, siluasque colebant,
Et frutices inter condebant squallida membra,
Verbera ventorum vitare, imbreisque coacti.
Nec commune bonum poterant spectare, neque vllis
Moribus inter se scibant, nec legibus uti.
Quod cuique obtulerat prædæ fortuna, ferebat,
Sponte sua, sibi quisque valere, & viuere doctus.
Et Venus in siluis iungebat corpora amantum,
Conciliabat enim vel mutua quanque cupido,
Vel violenta viri vis, atque impensa libido,
Vel pretium glandes, atque arbuta, vel pira lecta.*

[ET GENVS HVMANVM, &c.] Nunc de primis hominibus verba facere incipit. DVRIVS, VT DECVIT, TELL. Q. D. C.] sic ferè Virgil. Georg. 1. Vnde homines nati durum genus. NEC LABI] id est, nec labe, ut alibi parti, contagi, voci, & multa alia, pro parte, cōtage, voce, &c. VITAM TRACTABANT] id est, vitam trahebant, seu traducebant. quidam tamē

legendum putat *tolerabant*: quibus propemodum assentior. MOLIER] moliri dicimur quicquid cum labore facimus, aut agimus. moliri igitur arua hoc loco positum est pro eo, quod est, agros colere, seu ex campis, & locis inaratis, agros cultos magno labore efficere: vel agros laboriosa cultura meliores reddere. Neque verò me fallit, legi in quibusdam libris vulgatis, *mollirier arua* gemino ll. sed *mollirier vnico l.* magis probo. NEC NOVA DEFODERE INT. V.] infra eod. lib. extr. *Vnde etiam libitum est stiperis committereramis, Et noua defodere in terram virgulta, &c.* QVOD TERRA CREARAT SP. S.] ad hunc locum illustrandū pertinet illa Titiij Maximi, *ὡς ἐρωτος. Ησαν δὲ πικρὰ καὶ τὸν Ἐπιχόρου φασὶ βίον, αἰτησὸς τοῖς ἀνθρώποις φησὶ, ὅτι οὐκ ἔστι καὶ διὰ τὸ ἐπιχόρου φέρειν ἡγῆ τὸν ἄριστον αὐτομάτως, ὅτι ἀπὸ τοῦ ἐδὲν ἔδει γεωργίας ἐξ αὐτοῦ βιοτεύουσι.* id est, Viuebant autem scilicet (qualem victum adama- bat, vt aiunt, Epicurus) primi homines glandibus, & piris agrestibus. Atque iccirco fama est, tum terram fructus tulisse sponte sua veniente: quia nihil eis opus erat agri cultura, aut labore rustico, cum victu vterentur sponte sua nato. ARBUTA] rubra poma siluarū: quæ Plin. *vnedones* appellat. Virgil. Georg. I. *atque arbua sacra Deficerent silua.* PŒNICEO] sic habent libri manuscripti non, vt vulgati *puniceo*. Veteres enim in multis nominibus æ pro u. usurpabant. ita *mœnera* & *pœnire* dicebant pro *munera* & *punire*, vt suprâ admonuimus ad illum locum lib. I. *fera mœnera militiã.* & ad illū lib. 3. *Purpura, puniceusque color clarissimū multo, &c.* vbi etiam malim legi *pœnicis* que color, vt est in lib. manuscr. PABULA DIUA TVLIT MIS. MORT. A.] si legimus, vt habent nonnulli libri vulgati, *Pabula diua tulit, &c.* sic explicabo: pabula tulit dura quidem illa, & agrestia, sed tamē primis illis hominibus ampla, id est, *ἄριστον*, & *ἡγῆ*: id est, quibus illi erant contenti, vel quæ illis satis erant: Sio, vt habent tres libri manuscripti, & docti viri magis probant: *Pabula diua tulit*: seu *Pabula dia tulit, &c.* *diua*, seu *dia* pabula interpretabor, sua sponte, & sine labore, & quasi diuinitus venientia, ac nascencia. FONTE S QVE VOCABANT] sic habent omnes libri & manuscr. & typis excusi, præter Florent. in quibus legitur, *fontesque docebant*. ego *vocabant* probo, & interpretor, inuitabāt. DECURSUS AQUA I] id est, aqua decurrens, quod est ex loco decliui fluens. sup. eod. lib. nō longè à princip. *magnus decursus aquarum Vndique declarat.* CLARIOR ACCITAT SITIENSIA S. F.] clarior aqua, quàm aliis in locis, *accitat*, id est inuitat sitientis feras. sed nō celabo lectorem in quibusdam libris manuscr. ita scriptum esse. *Claritate sitientia, &c.* quæ scriptura sine dubio mendosa est. veruntamen cōsideret eam lector ingeniosus. SILVESTRIA TEMPLA] id est antra, & Nympharum domos. QVIBVS EXIBANT] ex quibus ibant: ex quibus manabant. HVM. FL. LVBR.] ordo est, fluenta, humore lubrica, id est fluenta humida, & liquida. LAVERE] *lubrica lauere*, id est lubrica ad lauandū, vel vt lauarent. licet etiã coniungere cum verbo *exibant*, vt sit, *exibant lauere*, id est, vt lauèrent, quemadmodum loquebantur veteres. ET PARTIM] *partim* hîc solum positum, quemadmodum. & alibi referendū est autem ad versum illum superiorem: *Lubrica proluvie larga lauere, &c.* SCATERE] *scatere* à verbo *scato* is. it. tertiæ inflexionis. sic lib.

6. *Quod genus in du mari spirat fons dulcis aquæ, Qui scatit. ibid. Et scatere illa foras in stuppam semina.* NEC DVM RES IGNI SCIB. TR. Calis enim, & pellibus repertis, certis matrimoniis institutis, & receptis, ignis vsu cognito, tum ingenium hominum mollius esse cœpit, vt dicit nō ita multis post versib. PELLIBVS] quæ inuentori ipsi, eique qui primus gessit, inuidiosa, & pestifera fuerunt, vt dicit inf. eod. lib. extr. ibi. *Pellis item cecidit, &c.* NEC COMM. BON. POT. SP.] hac de re inf. eod. lib. ibi. *Candere cœperunt vrbeis, &c.* Aliquot versuum, qui deinceps sequuntur, ordinem nescio quorum hominum culpa perturbatum restitui. ET VENVS IN SILVIS IVNGEBAT, &c.] in quibusdam libris manuscr. reperi scriptum: *Et Venus in siluis lucebat.* ex qua vitiosa scriptura putabam legendum: *Et Venus in siluis lucebat.* Veruntamen receptam lectionem probo.

*Et manuum mira freti virtute, pedumque,
Consectabantur siluestria sacra ferarum
Missilibus saxis, & magno pondere clauæ:
Multaque vincebant, vitabant pauca latebris:
Setigerisque pares suis siluestria membra
Nudabant terræ nocturno tempore capti,
Circum se foliis ac frondibus inuoluentes.
Nec plangore diem magno, solémque per agros
Querebant pauidi, palantes noctis in umbris,
Sed taciti respectabant, somnóque sepulti,
Dum rosea face sol inferret lumina celo.
A paruis quod enim consuerant cernere semper
Alterno tenebras, & lucem tempore gigni,
Non erat, vt fieri posset, mirarier vnquam,
Nec diffidere, ne terras æterna teneret
Nox in perpetuum detracto lumine solis:
Sed magis illud erat curæ, quod sacra ferarum
Infestam miseris faciebant sæpe quietem:
Eiectique domo fugiebant saxea tecta
Spumigeri suis aduentu, validique leonis:
Atque intempesta cedebant nocte pauentes
Hospitibus seuis instrata cubilia fronde.
Nec nimio tum plus, quàm nunc, mortalia sacra*

Dulcia linquebant lamentis lumina vitæ.
 Unus enim tum quisque magis deprensus eorum
 Pabula viua feris præbebat dentibus haustus:
 Et nemora ac monteis gemitu, siluâsque replebat,
 Viua videns viuo sepeliri viscera busto.
 At, quos effugium seruarat: corpore adeſo
 Posterius tremulas super vlcera tetra tenentes
 Palmas, horriferas accibant vocibus Orcum:
 Donicum eos vitæ priuarant vermina seu
 Experteis opis, ignaros quid volnera vellent.
 At non multa virum sub signis millia ducta
 Vna dies dabat exitio: nec turbida ponti
 Aequora ledebant naueis ad saxa, virôsque.
 Sed temerè, in cassum mare fluctibus sæpe coortis
 Senubat, leuiterque minas miscebat inaneis.
 Nec poterat quenquam placidi pellacia ponti
 Subdola pellicere in fraudem ridentibus vndis.
 Improba nauigij ratio tum cæca iacebat.
 Tum panuria deinde cibi, languentia leto
 Membra dabat: contra nunc rerum copia mersat.
 Illi imprudentes ipsi sibi sæpe venenum
 Vergebant: nunc dant aliis sollertius ipsi.

MVLTAE QVE VINCEBANT] multa viribus corporis obtinebant:
 raro fugiebant, raroque metu perterriti latebras quærebant, & latebrarum
 præsidio periculum vitabant. A PARVIS] quidam libri habent A prævis.
 NON ERAT, VT FIERI, &c.] ordo est. non erat eis curæ mirari quo-
 modo id fieri posset: nec curabant diffidere: id est non veniebat eis in men-
 tem diffidere, ne certa tenebris sempiternis obsessa permaneret. INFES-
 STAM M. F.] infestam faciebant: id est, vt M. Tull. loquitur, infestam ha-
 bebant: atque, vt planius dicam, infestabant. SAXEA TECTA] antra, saxea
 domos. sup. siluestria templa. HOSPITIBVS SÆVIS] suis silue-
 stribus, leonibus, lupis, vrsis, & similib. feris. AT QVE INTËPËSTA]
 Intempestam noctem Aelius dicebat, (vt refert Varro lib. 5. de ling. Lat.) cū tem-
 pus agendi est nullum: quod alij concubium appellarunt, quod serè omnes tum cuba-
 rent: alij verò ab eo quiddam siletium noctis: quod idem tempus Plautus conti-
 cinium. NEC NIMIO TVM PLYS] quamuis homines tum sæpe à fe-

ris dilacerabantur, ac deuorabantur: non tamen tunc multo magis, quam
 nunc, moriebantur. DVLCIA LINQ. LAMENTIS LVMINA] sic
 quidem habent omnes libri & manuscr. & typis excusi: Sed placet mihi
 M. Antonij Mureti coniectura: qui legendum putat labentis lumina vitæ. Nā
 quòd ira quiddam declarant, vitam relinquebant lamentis: id est cum lam-
 entis: sententiam quidem afferunt probabilem, & huic loco consentaneam:
 sed inusitato loquendi genere expressam. MAGIS] quàm nunc. VIVA
 VIDENS VIVO] non temere harum syllabarum conplosionem quæsi-
 uit, Viua vi. viuo. Quòd autem ad huius loci sententiam attinet, cum eo cõ-
 gruit illud Ennianum: Vultus in siluis miserum mandebat hominem. Heu, quàm
 crudeli condebat membra sepulcro! HORR. ACC. V. ORC.] horribilibus
 vocibus mortem vocabant dolore cruciati. DONICVM EOS] id est, do-
 nec eos &c. sic autem habent duo libri manuscrip. reliqui Denique, & item
 quidam vulgati: quòd deprauatum est ex recto Donicum. VERMINA]
 dolores ex vermibus membra corrodentibus, ac depascentibus. consule
 Festum. QVID VOLN. VELLENT] id est, quid vulnera postularent:
 seu quæ remedia vulneribus sanandis essent adhibenda. AT NON MVLT-
 A VIRVM] At non multa virorum millia vno die in proelio cadebant.
 Dicæarchus libro de interitu hominum (vt refert M. Tull. lib. 2. de Offic.) collectis
 ceteris causis, eluisionis, pestilentie, vastitatis, belluarum etiam repentina multitudi-
 nis, earum impetu docet quaedam hominum genera esse consumta: deinde comparat,
 quanto plures deleri sint homines impetu, id est bellis, aut seditionibus, quàm omni re-
 liqua calamitate. NEC TURBIDA PONTI] nec mare ventis turbatum,
 & concitatum naueis ad scopulos allidebat, & ita frangebat. SED TEME-
 RE, IN CASSVM MARE FLUCTIBV' S. C.] id est, sed mare flucti-
 bus coortis, & tempestate commota, temere & frustra sæuibat, seu irasce-
 batur, nempe quia nemo tum nauigabat. mendosè in quibusdam lib. vulgatis
 legitur Nec temere in cursu, &c. Licet autem etiam ita legere: Sed temere
 in cassum frustra mare sæpe coortum, &c. vt habeat libri Parisienses, & Veneti
 vtrique, & Basilienses. LEVITER QVE MINAS MISCEBAT] & le-
 uiter: id est sine periculo mortalium, minas inaneis miscebat, id est frustra
 minabatur fluctibus. in quibusdam vulgatis legitur, minas ponebat inaneis:
 quam lectionem si quis probabit, sic interpretabor: ponebat leuiter minas,
 &c. id est, desinebat minari. PELLACIA] id est fallacia, & fallax æquoris
 tranquillitas, quæ postea in magnos, & horribileis fluctus verti solet. sup.
 lib. 2. Subdola cum videt placidi pellacia ponti. PELLICERE IN FRAV-
 DEM] suis blanditiis in fraudem allicere. sup. lib. 4. Quæ lacere in fraudem
 possent, vincitque tenere. RIDENTIBVS VNDIS] placidis, & lenibus. nā
 ῥέλος δαδάων, id est risus matis, pro tranquillitate maris ponitur à poëtis.
 CÆCA] cur cæcam nauigiorum rationem appellat? an quòd tunc erat igno-
 rata? an quòd ab hominibus cæcis, id est imprudentibus atque inconsidera-
 tis, postea excogitata & inuenta est? VERGEBANT] infundebant. ver-
 gendi verbo utebantur in sacrificiis. SOLLERTIVS] ingeniosus.

Inde casus postquam, ac pelleis, ignemque pararunt:

Et mulier coniuncta viro concessit in unum:
Castaque priuatæ Veneris connubia læta
Cognita sunt, prolemque ex se videre creatam:
Tum genus humanum primum mollescere cœpit.
Ignis enim curauit, vt alia corpora frigus
Non ita iam possent cæli sub tegmine ferre:
Et Venus imminuit vireis, puerique parentum
Blanditiis facile ingenium fregere superbum.
Tunc & amicitiam cœperunt iungere habentes
Finitima inter se, nec lædere, nec violare.
Et pueros commendarunt, muliebræque sæclum
Vocibus, & gestu, cum balbè significarent,
Imbecillorum esse æquum misererier omnium.
Non tamen omni modis poterat concordia gigni:
Sed bona, magnaque pars seruabant fœdera casti.
Aut genus humanum iam tum foret omne peremptū:
Nec potuisset adhuc perducere sæcla propago.

AC PELLEIS] primum enim pellibus corpora texerunt homines: de-
 inde elegantiore, atque operosiore vestitum repererunt. Itaque Her-
 cules pelle amictus fingitur ac pingitur, vt homines antiquum vestiendi
 corporis morem memoria repetant. Quod cōfirmat Diodori Siculi aucto-
 ritas lib. 1. his verbis. Ομοίως ἢ τὸ, τὴν ῥόπαλον, ἢ πλὴν λεοντῶν τὴν παλαιὰν πρέσβην
 Ηρακλῆς, διὰ τὸ κατ' ἐμύνην τοὺς χεῖρας μὴ ποτὶ ὄπλων οὕτω ἄλλω τοὺς ἀνδράσιν τοῖς
 μὲν ἑλκῶσι ἀμύνεσθαι τοῖς ἀντιπαραπύλλοις, ταῖς ἢ δεξιῖς τῶν θηρίων σκεπασθεῖσιν χεῖρσιν.
 id est similiter autem clauam, & pellem leoninam antiquo Herculi conue-
 nire, propterea quòd i temporibus illis homines nondum armorum vsu re-
 perto vim aduersariorum suorum lignis propulfabant, pellibus autem cor-
 pora tegebant. CVRAVIT] effecit. tralatio est. sic lib. 3. calidique vaporis
 Semina curare, in membris vt vita moretur. & lib. 4. Quod ne miremur, sapor, atque
 obliuia curant. ALSIA CORPORA] sic legi debet, & ita habent libr. ma-
 nuscr. sunt autem alsij, & alsiosi, qui frigus ferre non possunt. Varro lib. 2.
 de re rustica cap. 3. de capris. stabulatur pecus melius, ad hibernos exortus si spe-
 ctat, quòd est alsiosum. CAELI SVB TEGMINE] sub diuo. HABEN-
 TES FINITIMA] id est finitimi, seu finitimos agros habentes. ἴμοσι
 non est autem quòd quenquam moueat duorum manuscriptorum libro-
 rum scriptura, auentes. erratum enim est libratorum, qui sæpe scribebant u.
 pro b, & contrà b. pro u. & item sæpe aspirationis notã omittebant. MI-
 SERERIER OMNIUM] sic habent omnes ferè lib. vulgati. manuscripti
 autem

autem omni. ex quo suspicantur nonnulli legēdum *omnis*, seu *omneis*. Omni-
 no scriptura vulgata tolerabilis, & probabilis est. Nam in voce *omnium* fit
 σμιζμοσι, seu συμφώνησι, vt apud Virgil. lib. 1. Æneid. dependent lychni laqueari-
 bus aureis. & apud Catull. carm. de nuptiis Pelei & Thet. *Qualis adest Theti-
 di, qualis concordia Peleo.* SED BONA, MAGNAQVE PARS] si non
 omnibus modis poterat cōcordia gigni: at bona, & magna pars fœdera ser-
 uabat. A D H V C] vsque ad hoc tempus.

At varios linguæ sonitus natura subegit
Mittere: & utilitas expressit nomina rerum,
Non alia longè ratione, atque ipsa videtur
Protrahere ad gestum pueros infantia linguæ,
Cum facit, vt digito, quæ sint præsentia, monstrent.
Sentit enim vim quisque suam, quam possit abuti.
Cornua nata prius vitulo quàm frontibus extent,
Illis iratus petit, atque infensus inurget.
At catuli pantherarum, scymni que leonum
Vnguibus, ac pedibus iam tum, morsuque repugnant,
Vix dum cum ipsis sunt dentes, vnguesque creati.
Alituum porro genus alis omne videmus
Fidere: & à pennis tremulum petere auxiliatum.
Proinde putare aliquem tum nomina distribuisse
Rebus: & inde homines didicisse vocabula prima:
Desipere est, nam cur hic posset cuncta notare
Vocibus, & varios sonitus emittere linguæ:
Tempore eodem alij facere id non quisse putentur?
Præterea, si non alij quoque vocibus vsi
Inter se fuerant: vnde insita notities est
Vilitatis? & vnde data est huic prima potestas,
Quid vellet, facere, vt scirent, animoque viderent?
Cogere item plureis vnus, victosque domare
Non poterat, rerum vt perdiscere nomina vellent:
Nec ratione docere vlla, suaderæque surdis,
Quid sit opus facti, faciles neque enim paterentur:
Nec ratione vlla sibi ferrent amplius aureis

Vocis inauditos sonitus obtundere frustra.

AT VARIOS LINGVAE SONITVS] Nunc de principio & origine sermonis humani. ET UTILITAS] lege etiam hac de re Diod. Sic. initio lib. I. SENTIT ENIM VIM Q. S. QVAM P.] cum in omnibus ferè lib. vulgatis legeretur, quod possit abuti, ego quoad reposueram, ut sit hæc sententia. sentit quisque vim suam, quousque ea vi abuti possit. nam quoad vnius syllabæ est per synizesin, ut sup. lib. 2. Quoad licet, ac potis esse vivere inolentis olivi, &c. Sed cum in vno, atque altero lib. manuscripto reperissem, quam possit abuti, hanc scripturam secutus sum, ut longè omnium optimam. AT CATVLI PANTH. SCYMNIV] profert hunc versum Nonius in voce catuli. Iam scymni græca vox est, idemque valet quod Latina catuli. VIX DVM CVM IPSIS SVNT] in quibusdam libris manuscriptis desideratur vox ipsi, ut fortasse legendum sit, Vix dum etiam cum sunt dentes, unguis que creati. Codices quidem Florentini sic habent: Vix etiam cum sunt, &c. ALITVVM PORRO GENVS] profert hunc versum Nonius, cum eo, qui proxime sequitur, in voce auxiliatus. alituum autem pro alitum positum. Virgil. lib. 8. Æneid. Alituum, pecudumque genus sopor alius habebat. & Lucretius paullo post. Postremò genus alituum, &c. PROINDE PVTA RE ALIQVEM] Hæc contra Platonem dicuntur: qui in Cratylo. docet nomina consultò rebus esse imposita, eumque, qui primus nomina fabricatus sit, ὄνομα τῶν πραγμάτων: id est nominum opificem, & ὄνομα τῶν πραγμάτων, id est nominum impositorem, seu conditorem nominat. TEMPORE EODEM ALII, &c.] proinde ac si dicat. si quis vnus potuit nomina rebus imponere, & res vocabulis notare: idem & alius eodem tempore facere potuit. PRAETEREA SI NON ALII QVQVE] huius loci hæc sententia est. Præterea si non etiam alij homines inter se oratione vsi fuerant: vnde huic vni nata est cognitio utilitatis, quæ ex sermone percipitur? & vnde ei data est potestas faciendi, ut alij scirent, atque intelligerent, quid sibi vellent? SVADERE QVE SVRDIS] id est suadere non intelligentibus, seu iis qui intelligere non curarent.

*Postremò quid in hac mirabile tantoperè sit re,
Si genus humanum, cui vox, & lingua vigeret.
Pro vario sensu varias res voce notaret,
Cum pecudes mutæ, cum denique sæcla ferarum
Disimileis soleant voces, variasque ciere,
Cum metus, aut dolor est, & cum iam gaudia gliscunt?
Quippe etenim id licet è rebus cognoscere apertis.
Inritata canum cum primum magna Molo sum
Mollia ricta fremunt duros nudantia dentes:
Longè alio sonitu rabie districta minantur:*

*Et cum iam latrant, & vocibus omnia complent.
At catulos blandè cum lingua lambere tentant,
Aut ubi eos iactant pedibus, morsuque petentes
Suspensis teneros imitantur dentibus haustus:
Longè alio pacto gannitu vocis adulant:
Et cum deserti haubantur in adibus, aut cum
Plorantes fugiunt summissò corpore plagas.
Denique non hinnitus item differre videtur,
Inter equas ubi equus florenti ætate iuuenens
Pennigeri sæuit calcaribus ictus amoris,
Et fremitum patulis sub naribus edit ad arma?
Et cum sis aliàs concussis artubus hinnit?
Postremò genus alituum, variæque volucres,
Accipitres, atque ossifraga, mergique marinis
Fluctibus in salis victum, vitamque petentes,
Longè aliàs alio iaciunt in tempore voces:
Et cum de victu certant, prædæque repugnant,
Et partim mutant cum tempestatibus vnà
Raucisonos cantus: cornicum vt sæcla vetusta,
Coruorumque greges, ubi aquam dicuntur, & imbreis
Poscere, & interdum ventos, auræque vocare.
Ergo si varij sensus animalia cogunt,
Muta tamen cum sint, varias emittere voces:
Quanto mortaleis magis equum sit tum potuisse
Disimileis alia, atque alia res voce notare?*

POSTREMÒ QVID IN H.] postremò (inquit) quid mirum est homines, quibus natura præcipuè vocem, & linguam dedit, potuisse suo cuiusque arbitrato, ac pro suo cuiusque sensu, qui est varius, & multiplex, singulas res notare, cum muta animalia suos affectus, qui sunt admodum pauci, dissimilibus tamen vocibus notare possint, ac soleant? Nam animantes rationis expertes dolorem duntaxat, & voluptatem, & ceteros affectus, qui his duobus subiiciuntur, voce inarticulata quidem illa, sed tamen dissimili significant. GAVDIA GLISCUNT] sic loquitur Pacuvius, sed nescio quid nam sit animi. horrescit, & gliscit gaudium. gliscere (inquit Nonius) est congelasce- re, & colligi, vel crescere, vel ignescere. INRITATA CANVM CVM PR.]

ordo & sententia horum verborum hæc est. Cum primùm ricta magna, & mollia canum Molossorum: id est ex Epiro, irritata, dyros nudantia dentibus tremunt, seu fremunt: id est, cū primùm canes magni Epirotici rictu diducto, & dentibus nudatis irritati tremunt: longè alio sonitu rictibus ira districtis minantur, atque cū iam latrant, & omnia vocibus cōplent. *tremunt* autem initio reposueram, Nonium secutus, qui in voce *rictus* proferens hunc locum, ita videtur legisse, nisi corruptus est. Sed docti quidam, quibus assentior, malunt legi *fremunt*, ut est impressum in codicibus Parisiensibus, & antiquis Aldinis: quanquam *tremunt* non reiicio. Præterea *districta* excudendum curavi, adductus auctoritate librorum veterum, cum in vulgatis legatur, *districta*. rictus us, autem, & rictum i. pro eodem usurparunt veteres teste Nonio. Lucret. lib. 6. *inhorreat rictum, frons tenta minebat.* AT CATV. LOS] sic legendum: & ita scriptum est in quattuor libris manuscriptis, & in antiquis Venetis. AVT VBI EOS] secutus sum codices antiq. Aldinos: in quibus ita legitur, nam ceteri sunt mendosi. IACTANT] sic legendum, non *lactant*. significat enim tempus illud, quo tempore canes ludibundæ suos catulos aut pedibus iactant, aut moriunculis appetentes, non valide impressis dentibus, sed sustentatis, & suspensis, & faucibus temerè ad motus eos quodammodo haurire velle videntur, ita tamen ut illas suis catulis nocere nolle, facile appareat. LONGE ALIO FACTO] hunc versum profert Nonius, quanquam corruptum. ADVLANT] adalantur adulationem propriè canum esse docet Nonius in voce *adulatio*. M. Tull. de nat. Deor. lib. 2. *canum tam amans dominorum adulatio.* BAVBANTVR] latrant. Verbum factū à voce canum (inquit Nonius.) PENNIGERI] alibi, *pinnigeri*. cur Cupido fingatur pennatus, consule Propertium lib. 2. eleg. 12. ET CVM SIS ALIAS, &c.] sic restitui, cum in libris omnibus legitur, *Et cum sic alias sis* autem, id est suis, ut sup. lib. 3. *Lumina sis oculis etiam bonus Ancu reliquit.* AD ARMA] quæ nam arma? Martia ne, an Venerea? POSTREMÒ GENVS ALITVVM, &c.] sup. *Principid genus alituum, variæque volucres.* OSSIFRAGÆ] ossifraga aquilæ genus: de quo lege Plin. lib. 10. cap. 2. ET CVM DE VICTV, &c.] proinde ac si ita loquatur. Et mutant cantus partim cum de victu certant, prædæque repugnant, partim cum tempora mutantur. CORNICVM VT SAECLA VETVSTA, CORV.] Virgil. Georg. 1. *Tum Cornix plena pluuiam vocat improba voce, Et sola in sicca secum spatiatur arena.* Idem ibid. *Tum liquidas corui presso ter gutture voces, Aut quater ingeminant, & saepe cubilibus altis Nescio qua præter solitum dulcedine læti Inter se foliis strepitant.*

*Illud in his rebus tacitus ne fortè requiras:
Fulmen detulit in terras mortalibus ignem
Primitus: inde omnis flammaram diditur ardor.
Multa videmus enim caelestibus incita flammis
Fulgere, cum cæli donavit plaga vapores.*

*Et ramosa tamen cum ventis pulsa vacillans
Aestuat in ramos incumbens arboris arbor,
Exprimitur validis extrictus viribus ignis:
Et micat interdum flammæ feruidus ardor,
Mutua dum inter se rami, stirpèsque teruntur.
Quorum vtrunque dedisse potest mortalibus ignem.
Inde cibum coquere, ac flammæ mollire vapore,
Sol docuit, quoniam mitescere multa videbant
Verberibus radiorum, atque aestu victa per agros:
Inq̄ dies magis hi victum, vitamque priorem
Commutare novis monstrabant rebus, & igni,
Ingenio qui præstabant, & corde vigeabant.
Condere cæperunt vrbeis, arcemque locare
Præsidium reges ipsi sibi, perfugiumque.
Et pecudes, & agros diuisere, atque dedere
Pro facie cuiusque, & viribus, ingenioque.
Nam facies multum valuit, virèque vigeabant.
Posterius res inuenta est, aurumque repertum:
Quod facile & validis, & pulchris demisit honorem.
Diuitioris enim sectam plerunque sequuntur
Quamlibet & fortes, & pulchro corpore creti.
Quòd si quis vera vitam ratione gubernet:
Diuitiæ grandes homini sunt, viuere parcè
Aequo animo. neque enim est vnquàm penuria parui.
At claros se homines voluère esse, atque potentis,
Ut fundamento stabili fortuna maneret,
Et placidam possent opulenti degere vitam,
Nequicquã, quoniam ad summum succedere honorè
Certantes, iter infestum fecere viai.
Et tamen è summo quasi fulmen deiicit ictos
Invidia interdum contemptim in tartara tetra:
Ut satius multo iam sit parère quietum,
Quàm regere imperio res velle, & regna tenere.*

Proinde sine incassum defessi sanguine sudent
 Angustum per iter luctantes ambitionis:
 Invidia quorum ceu fulmine summa vaporant
 Plerunque, & quæ sunt aliis magis edita cunque:
 Quandoquidem sapiunt alieno ex ore: petuntque
 Res ex auditis potius, quam sensibus ipsis.
 Nec magis id nunc est, neque erit mox, quam fuit antè.

ILLVD IN HIS REBVS, &c.] Nunc ostendit vnde ignis in terras delatus sit. profert hūc locum Seruius lib. 1. Georg. ibi: *Et silicis venis absternum excuderet ignem.* MVLTAVID. ENIM] profert hunc versum cum eo qui deinceps sequitur, Nonius Marc. in verbo *fulgere* penultima correpta. Idem Lucret. lib. 6. *Fulgit item, nubes ignis cū lumina multa Excussere.* ET RAMOSA TAMEN CVM V.] significat etiam probabile esse primum ignē ex duabus arboribus inter se collisis & conflictis expressum fuisse: quod fieri solere dictum est sup. lib. 1. *At sæpe in magnis sit montibus (inquis) ut alius Arboribus vicina cacumina summa terantur, &c.* ET MICAT, &c.] Seruius hunc locum proferēs eodem, quem indicauimus, loco, legit Emicat: itaque legitur in quibusd. libr. manuscr. MUTVA DV M] mutua, id est mutuo: vt sup. lib. 2. *crebra reuist.* ibid. *& inter se mortales mutua viuunt.* VERBERIBVS RADIORVM] tralatio. sic sup. hoc lib. *Et radū solis coquebant vndique terram Verberibus crebris extrema ad limina aperti, &c.* ET CORDE VIGEBANT] id est & cordati erant: consilio, & mente præstabant. FACIES] species, & dōs. Etiam Aristoteles lib. 1. de rep. scribit, si qui reperiantur ea pulchritudine corporis præditi, quæ in deorum statuis cernitur, nemini dubiū futurum, quin ij aliis impetare debeant. Xenophon præterea in symposio ait pulchritudinem esse quiddam regium natura. Eodem pertinet hoc Euripidis, quod est apud Stobæū in iis quæ collegit de pulchritudine. *Ἰδοῦμαι δ' αὖ τῶν ἐν γῆν ἄρρεν' ἀρρένων, Πρῶτον ἰδὼ εἶδος ἀέλιος τυραννίδος. Πλεῖστον γὰρ ἀρετῆ τῶν ὑπάρχον ἐν βίῳ τὴν ἀξίωσιν τῶν χαλδῶν τὸ σῶμα ἔχειν.* VIRE S V E V I G E B.] id est, & qui viribus præstabant, erant in pretio, & aliis imperabāt. Sic Varro Margop. *Qui pote plus, viget: pisces vt sæpe mauros Magnū comest: vt auis enecat accipiter.* POSTERIVS RES INVENTA S T] res, id est pecunia, bona fortunæ. Horat. saty. 5. lib. 2. *Et genus & virtus, nisi cum re vilior alga est.* QVOD FACILE ET VAL: ET P.] Horat. saty. 3. lib. 2. *omnis enim res Virtus, fama, decus, diuina, humanaque pulchris Diuitiis parent.* DIVITIORIS] id est, ditioris. sic Terent. Phorm. *semper aliquid addant diuitioribus.* & M. Tull. 3. de Orat. *diuitior dithyrambus.* & offic. 11. *Mamercō homini diuitissimo.* CRETI] creati. DIVITIAE GRANDES HOM.] Cū sæpe habebat in ore Epicurus parsimoniam, continentiam, tenuitatem victus, animi denique æquitatem, tūm id quod verbis laudabat, aiunt eum perpetua vitæ constantia comprobasse. Verba autem eius hæc sunt apud Laërtium. *Καὶ τῶν αὐτῶν*

καὶ τῶν αὐτῶν μέγα νομίζουσι, ἢ χ' ἴνα πάντως τοῖς ἄλλοις χρώμεθα, ἀλλ' ὅπως, ἐὰν μὴ ἔχωμεν τὰ πολλὰ, τοῖς ἄλλοις χρώμεθα πεπεσιμένοι γασίως, ὅτι ἴδμεν πολυτελείας ἀπολαύσσειν, οἱ ἴκιστα ταύτης δεόμενοι. id est, & animi æquitatē nihil externi desiderātem, magnum bonum esse arbitramur, non vt prorsus modicis vtamur, sed vt, si non habeamus multa, paucis vtamur, verē persuasum habētes eos iucundissimē sumtuoso apparatu, victūque perfrui, qui eum minime desiderant. de eiusdem continentia sic M. Tull. lib. 3. Tuscul. *Negat Epicurus incun- de posse viui, nisi cum virtute viuatur. negat vllam in sapientem vim esse fortunæ: tenuem velleum antefert copioso.* DEGERE VITAM] sic habet quattuor lib. manuscripti. vulgati *ducere vitam.* CONTEMPTIM] duo libri manuscripti habent *contemptus*, planè mendosè. sed tamen de hac scriptura lectorem ce- latum nolui. PROINDE SINE INCASSVM] secutus sum scripturā vulgatam. nam nonnulli scripti habent, *Proinde fidei incassum*, planè mendo- sè. EX AUDITIS] id est, ex iis quæ audierunt, & acciperunt ab aliis, nō quæ ipsi suis oculis viderunt, aut vsu experti sunt. sic loquitur Plautus Bac- chid. *Quin ego quom peribat, vidi, non ego ex audito arguo.* VAPORANT] ar- dent, flagrant. ET QVAE SVNT ALIIS] sic legendum, non vt est in vulgatis, *altis.*

Ergo regibus occisis, subuersa iacebat
 Pristina maiestas soliorum, & sceptrā superba:
 Et capitū summi præclarum in signe cruentum
 Sub pedibus volgi magnum lugebat honorem.
 Nam cupidè conculcatur nimis antè metutum.
 Res itaque ad summam fecem, turbasque redibat,
 Imperium sibi cum, ac summatum quisque petebat.
 Inde magistratum partim docuere creare:
 Iuræque constituere, vt vellent legibus vti.
 Nam genus humanum defessum vi colere æuam,
 Ex inimicitis languebat: quo magis ipsum
 Sponte sua cecidit sub leges, arctaque iura.
 Acris ex ira quod enim se quisque parabat
 Vlsci, quàm nunc concessum sit legibus æquis:
 Hanc ob rem est homines prætesum vi colere æuam:
 Vnde metus maculat poenarum præmia vita.
 Circumretit enim vis, atque iniuria quenque:
 Atque vnde exorta est, ad eum plerunque reuertit:
 Nec facile est placidam, ac pacatam degere vitam,

*Qui violat factis communia fœdera pacis.
Et si fallit enim diuûm genus, humanûmque:
Perpetuò tamen id fore clam diffidere debet.
Quippe ubi se multi per somnia sæpe loquentes,
Aut morbo delirantes procraxe ferantur:
Et celata diu in medium peccata dedisse.*

SOLIORVM] sellarum regiarum. INSIGNE] diadema. ANTE METVTVM] id est, quod homines antè metuerunt. participium passiuum veteribus vsitatû, posterioribus obsoletum. ADSVMMA MFAECEM] ad infimam plebem, atque ad vulgus hominum. SVMMATVM] principatum, summum gradum, supremos honores. QVOMAGIS IPSVM SPONTE S. CEC. SVBL.] id est, quapropter tanto magis se subiecit legibus, & viribus. significat Lucretius leges esse ab hominibus acceptas, vt eis sine vi, sineque iniuriæ metu viuere liceret. sic fere Horat. saty. 3. lib. 1. *Iura inuenta mecu iniusti fateare necesse est, Tempora si, fastosque voles enoluere mundi.* sic apud Herod. lib. 1. Deioeces quidam magna de se opinione iustitiæ apud Medos excitata, cum de eorum controuersis vltro ad se delatis magna cum æquitate sententiã ferret, tyrannidem libentibus illis occupauit. ARCTA QVE IURA] codex Memmianus habet, *artque iura*: ex quã scriptura P. Paschalius vir eloquentissimus, historicus Regius, idemque mihi amicissimus suspicatur legendum *artque iura*. cui propemodum assentior. Nam apud M. Tull. crebrò reperitur hæc vox. vt iura populorum, scita ac iura nostra. VND E] ex legibus. nonnulli libri habent *inde*. PRÆMIA VITAE] dulcedinem vitæ: seu fructum, qui ex vitâ percipi debet. CIRCVRETIT ENIM] quia qui vim, & iniuriam infert alteri, legibus irretitus dat continuò, aut certè aliquando pœnas. NECFAGILE EST PLACIDAM, &c.] quia (vt ait M. Tull. *sua quæque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat.* ET SI FALLIT] & si latet. sic Horat. epist. ad Quinctium lib. 1. *Da mihi fallere: da instum, sanctumque videri: Noctem peccatis, & fraudibus obuiç nubem.* PERPETVÒ TAMEN ID F. CLAM] sic M. Tull. lib. 1. de Finib. *cuius in mente confedit temeritas, hoc ipso quòd adest, turbulenta non potest non fieri: & si verò molita quippiam est, quannis occulte fecerit, nunquam tamen confidet id fore semper occultum.* Plerunque improborum facta primò suspicio insequitur, deinde sermo atque fama, tum accusator, tum index: multii etiam, vt te consule, ipsi se indicauerunt. FORE CLAM] Terent. Adelph. *si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit.* QVIPPE VBI SEM. P. SOMN.] sic sup. lib. 4. *Multii de magnis per somnum rebu loquuntur: Indici- que sui facti persæpe fuere.* PROCRAXE] id est, palàm aperuisse, atque indicasse, & quasi in publico garruisse. Verbû est è Græco detortû *procraxo*, quod valet clamor, & vociferor. cuius præteritum *procraxi*. hinc verbum procraxo procraxi, procraxisse, & *procraxi*, vt sup. lib. 3. *abstraxe*. pro abstraxisse, & similia, quæquam hoc loco quidam malunt legi *procraxe*, vt ha-

bent

bent plerique libri vulgati: à quibus equidem inuitus dissentio. sed cû *procraxe* reperiatur in aliquot libris manuscriptis, & in antiquis Venetis, & probetur Hermolao Barbaro, & (quod caput est) longe significantius sit, quàm protraxe, illud potius, quàm hoc excudendum curauit.

*Nunc quæ causa deum per magnas numina gētis
Peruolgarit, & ararum compleuerit vrbeis,
Suscipiendaque curavit sollennia sacra,
Quæ nunc in magnis florent sacra rebu, locisque:
Vnde etiam nunc est mortalibus insitus horror,
Qui delubra deum noua toto suscitât orbi
Terrarum, & in festis cogit celebrare diebus:
Non ita difficile est rationem reddere verbis.
Quippe etenim iam tum diuûm mortalia sæcla
Egregias animo facies vigilante videbant,
Et magis in somnis miranda corporis auctu.
His igitur sensum tribuebant propterea, quòd
Membra mouere videbantur, vocèsque superbas
Mittere pro facie præclara, & viribus amplis.
Aeternamque dabant vitam, quia semper eorum
Suppeditabatur facies, & forma manebat:
(Et manet omnino) quos tantis viribus auctos
Non temere vlla vi conuinci posse putabant.
Fortunisque idè longè præstare putabant,
Quòd mortis timor haud quenquam vexaret eorum:
Et simul in somnis quia multa, & mira videbant
Efficere: & nullum capere ipsos inde laborem.
Præterea cæli rationes ordine certo,
Et varia annorum cernebant tempora verti:
Nec poterant quibus id fieret cognoscere causis.
Ergo per fugium sibi habebant omnia diuis
Tradere, & illorum nutu facere omnia flecti.
In cæloque Deum sedes, & templa locarunt,
Per cælum volui quia sol, & luna videtur:*

LLI

*Luna, dies, & nox, & noctis signa seuera,
Noctinagæque faces cæli, flammæque volantes,
Nubila, ros, imbres, nix, venti, fulmina, grando,
Et rapidi fremitus, & murmura magna minarum.*

NUNC QUAE CAUSA] Nunc docet quæ res opinionem deorum in animis hominum infecerit, & unde nata sit religio. QUAE N. IN M. R. s. R.] eam scripturam secutus sum, quæ reperitur in tribus libris manuscriptis, & in totidem vulgatis. neque est quod quæquam offendat vox sacra iterata. Nam hæc *ἐπιναφοῦς* valet ad ornatum ac venustatem. Si quis tamen alteram lectionem malet, non pugnabo: quæ talis est. *Quæ nunc in magnis florent rebusque, locisque, in magnis rebus* autem, verbi gratia in iis, quæ ad bellum, aut ad pacem pertinent, ubi vota pro rep. nuncupantur, & cum res magnæ suscipiuntur. quidam tamen hunc versum existimant non esse Lucretianum, sed inculcatum. CELEBRARE] colere, & celebria reddere: ANIMO FAC. VIG. VID.] id est animo depingebant, & informabant vigilantes: *ἐοικυῖα* *ζῶντο*. MIRANDO CORPORIS AVCTV] mira corporis magnitudine: miro augmento, seu augmine. in quibusdam libris scriptum reperi *auctus*: unde quis suspicari possit legendum *mirandos corporis auctus*, ut sit hæc sententia, & videbant magis in somnis, quam vigilantes, magnos corporis auctus: id est, ingentia corpora. AETERNAMQUE DABANT VIT.] id est & tribuebant ingentibus illis corporibus deorum immortalitatem: pulchra & valida illa deorum corpora, immortalia faciebant. (ET MANET OMNINO.)] ex voce, tamen, quæ erat corrupta, totidem litteris verbum *manet*, feci: quod huic loco prorsus conuenit. Nam huius loci hæc sententia est. diis tribuebant immortalitatem, quia semper eorum facies suppetebat, & forma permanebat: & planè permanet: & quia tantis, &c. FORTVNISQUE IDEÒ LONGE P.] id est & eò fortunatissimos & beatissimos esse putabant, quòd metu mortis vacarent. PRAETEREA CAELI] altera causa, quamobrem homines deos esse crediderint ex Epicuri sententia. At Stoici hoc maxime argumèto providentiam probari posse putabant, quòd essent certi cæli motus, rati astrorum ordines, & ab omni aternitate immutabiles cursus. ERGO PER FUGIVM, &c.] ergo cum rerum causas ignorarent, hoc perfugium habebant, ut omnia deorum arbitrio & providentiæ mandarent.

*O genus infelix humanum, talia diuis
Cum tribuit facta, atque iras adiunxit acerbis:
Quantos tum gemitus ipsi sibi, quantaque nobis
Volnera? quas lacrymas peperere minoribus nostris?
Nec pietas vlla st velatum saepe videri*

*Ventier ad lapidem, atque omneis accedere ad aras:
Nec procumbere humi prostratum, & pandere palmas
Ante Deum delubra, nec aras sanguine multo
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota:
Sed magis placata posse omnia mente tueri.
Nam cum suspicimus magni caelestia mundi
Templa super, stellisque micantibus æthera fixum:
Et venit in mentem solis, lunæque viarum:
Tunc aliis oppressa malis in pectore cura
Illa quoque expergefatum caput erigere infit,
Ecquæ fortè Deum nobis immensa potestas
Sit, vario motu quæ candida sidera verset.
Tentat enim dubiam mentem rationis egestas,
Ecquæ nam fuerit mundi genitalis origo:
Et simul ecquæ sit finis, quoad incenia mundi,
Et taciti motus hunc possint ferre laborem:
An diuinitus aeterna donata salute,
Perpetuo possint aui labentia tractu,
Immensi validas aui contemnere vires.
Præterea cui non animus formidine diuum
Contrahitur? cui non conrepunt membra pauore:
Fulminis horribili cum plaga torrida tellus
Contremit, & magnum percurrunt murmura cæli?
Non populi, gentesque tremunt? regesque superbi
Conripiunt diuum perculsi membra timore,
Ne quod ob admissum fædè, dictumve superbe
Pœnarum graue sit soluendi tempus adactum?
Summa etiam cum vis violenti per mare venti
Induperatorem classis super aquora verrit
Cum validis pariter legionibus, atque elephantis:
Non diuum pacem votis adit, ac prece quæsit
Ventorum pavidus paces, animasque secundas?
Nequicquam, quoniam violento turbine saepe*

Conreptus nihilo fertur minus ad vada letis
 Vsq; eadem res humanas vis abdita quaedam
 Obterit, & pulchros fasceis, seuásque secureis
 Proculcare, ac ludibrio sibi habere videtur.
 Denique sub pedibus tellus cum tota vacillat:
 Concussæque cadunt vrbes, dubiæque minantur:
 Quid mirum si se terminunt mortalia secla?
 Atque potestates magnas, mirasque relinquunt
 In rebus vireis diuim, quæ cuncta gubernent?

O GENVS INF. HVM.] *inobvna*. sic sup. lib. 2. princip. O miseris bo-
 minum menteis, o pectora cæca. ATQVE IRAS ADIVNXIT AC.] quod
 Epicurus dicebat alienum esse à præstantia naturæ diuinæ. sup. lib. 2. Ipsa
 suis pollens opibus, nihil indiga nostri, Nec bene promeritis capitur, neque tangitur
 ira. MINORIBV' NOSTRIS] posteris nostris. NAM PIETAS
 NVLLA'ST, &c.] hunc versum cum quattuor deinceps sequentibus pro-
 fert Firmianus lib. 2. de origine erroris. VELATVM] qui deos venerabā-
 tur, operto erant capite. cuius ritus rationem multis verbis reddit Plutarch.
 παυαίκοις. Plaut. Amphitr. Inuocat Deos immortalis vi sibi auxilium ferant, Ma-
 nibus puris, capite operto. VERTIER AD LAPIDEM] ad statuam mar-
 moream iacentem volutari. PANDERE PALMAS] tendere manus.
 quod item faciunt qui Deos orant. Virgil. Æneid. 1. Ingemit, & duplices ten-
 dens ad sidera palmas, &c. PLACATA P. O. MENTE] placata mente: id
 est, à τῆς ἡσυχίας. Laudabat autem, & crebrò habebat in ore Epicurus à τῆς ἡσυχίας
 illam: id est vacuitatem ab omni motu turbido, mentisque æquabilitatem.
 CAPVT ERIGERE] caput attollere. sic sup. de religione lib. 1. Quæ ca-
 put à celi regionibus ostēdebat Horribili super aspectu mortalibus instās. INFIT]
 incipit, vt sup. lib. 3. Commutare animū quicumque adoriatur, & insti. ECQVAE
 FORTE, &c.] pendent hæc ex iis quæ antecedunt. illa cura (inquit) caput
 erigere, id est, animos hominū sollicitare incipit, num forte aliqua sit Deo-
 rum potestas immensa, quæ mundum gubernet. RATIONIS EGE-
 STAS] ignoratio rationis & causæ. ECQVAENAM] num aliqua: vt lib.
 2. Nunc age summam æquanam sit finis eorum, &c. QVOD] vsque ad quam
 finem. CONREPUNT] contrahuntur, & in vnum coguntur. tra-
 latio est mirabilis, & audax. Idcirco docti quidam legendum censent, hor-
 rescunt, vt inf. lib. 6. In terra quoque vt horrescant, ac recta requirant. ego nihil
 mutandum censeo. CONRIPUNT] celeriter contrahunt, vt lib. 4. con-
 reptaluce diei. PERCVLSI] quidā lib. scripti habent percussit. NEQVOD
 OB ADMISSVM, &c.] ordo est. ne ob aliquod facinus fœdè admissum,
 aut ob dictum superbū graue tempus adactum sit, ad eos subaudi: id est,
 tempus eis aduenerit soluendi pœnarum, id est soluendi pœnas, aut soluendi
 darum pœnarum. sic loquitur Terentius prologo Heautont. Date crescendi

copiam, Nouarum qui spectandi faciunt copiam sine vitis. & M. Tull. de inuent.
 rhet. lib. 2. princip. nobis omnium quicumque fuerunt, ab vltimo principio huius
 præceptionis vsque ad hoc tempus expositis copiis quodcumque placeret eligendi pote-
 stas fuit. sic & Sueton. in Octauiano Augusto: sub exte. Isdem etiam epulum
 in conspectu suo præbuit permissa, immò exacta iocandi licentia, diripiendique pomo-
 rum, & obsoniorum, verumque missilium. VERRIT] impellit, iactat, agitat.
 tralatio est, qua vsus est & aliàs, vt lib. 1. Sunt igitur venti nimirum corpora cæ-
 ca, Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cæli Verrunt. QVAESIT] orat,
 vel quærit. Festus. Quæso significat idem quod rogo. quæ sere tamē Ennius pro qua-
 vere posuit. ANIMASQVE SECUNDAS] id est, & ventos secundos.
 sic Horat. od. 12. lib. 4. Impellit animæ linthea Thracia. PVLCHROS FASC.
 SAEVA'SQVE SEC.] per insignia magistratuū, & honorum, honores
 ipsos significat, vt sup. lib. 3. Qui petere à populo fasceis, seuásque secureis Imbibit.
 & Horat. epist. ad Quintium lib. 1. vt si Detuleris fasceis indigno. DENIQVE
 SVB PED. T. C. T. V.] terræ motū significat, ac describit. SIBTEM-
 NVNT] si sibi diffidunt, & ad deos confugiant suæ imbecillitati diffiden-
 tes. MORTALIA SAECLA] homines, genera humana.

Quod superest, æs atque aurum, ferrumque repertum est,
 Et simul argenti pondus, plumbique potestas,
 Ignis vbi ingentis silvas ardore cremarat
 Montibus in magnis, seu cæli fulmine misso,
 Sive quod inter se bellum siluestre gerentes,
 Hostibus intulerant ignem formidinis ergo:
 Sive quod inducti terræ bonitate, volebant
 Pandere agros pingueis, & pascua reddere rura:
 Sive feras interficere, & ditescere præda.
 Nam fovea, atque igni prius est venariæ ortum,
 Quàm sèpire plâgis saltum, canibusque ciere.
 Quicquid id est, quacumque è causa flammeus ardor
 Horribili sonitu silvas exederat altas
 Ab radicibus, & terram percoxerat igni:
 Manabat venis feruentibus in loca terræ
 Concaua conueniens argenti riuus, & auri,
 Aëris item, & plumbi: quæ cum concreta videbant
 Posterius claro in terris splendere colore:
 Tollebant nitido capti, læuisque lepore,
 Et simili formata videbant esse figura,

Atque lacunarum fuerant vestigia cuique.
 Tum penetrabat eos, posse hæc liquefacta calore
 Quamlibet in formam, & faciem decurrere rerum,
 Et prorsum quamuis in acuta, ac tenuia posse
 Mucronum duci fastigia procudendo,
 Ut sibi tela parent, siluâsque excidere possint,
 Materiem lauare, dolare, & radere tigna,
 Et terebrare etiam, ac pertundere, perque forare.
 Nec minus argento facere hæc, aurôque parabant,
 Quam validi primum violentis viribus aris,
 Nequicquam, quoniam cedebat victa potestas,
 Nec poterat pariter durum sufferre laborem.
 Nam fuit in pretio magis æs, aurumque iacebat
 Propter inutilitatem hebeti mucrone retusum.
 Nunc iacet æs, aurum in summâ successit honorem.
 Sic voluenda ætas commutat tempora rerum,
 Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore:
 Porro aliud succedit, & è contemptibus exit:
 Inq̄ dies magis appetitur, florêtque repertum
 Laudibus: & miro st̄ mortaleis inter honore.

QUOD SUPEREST, AES, &c.] Nunc docet quomodo aurum, argentum, æs & cetera metalla reperta sint. IGNIS VBI INGENTIS] Vult metalla esse primum reperta incendio siluarum. hanc sententiam confirmat id quod scribit Aristot. ἀπὸ δαυμας ἀκουσαι. his verbis. Ἐν τῇ ἰβηρίᾳ λέγεται τῶν θρυμῶν ἐμπροσθεν τῶν ἰσθμῶν ποταμῶν, ἃ τῆς γῆς διαστρωμασθεῖσιν ἰσθμῶν ἄλλης, φανερώς ἀργύρου ῥοῦται πῶν χρῶμα, ἃ μὲν χρῆσιν οὐρα μὲν ἐπιγυμνῶν, ἃ τῶν πῶν ῥαχῶν, πᾶσι πᾶσι πᾶσι ἀργύρου: ὃ δὲ ἃ Μαδαγασκάρης πᾶσι πᾶσι ἐπίσταν ἃ πῶν χρῶμα: id est. Aiunt in Hispania siluis incensis à quibusdam pastoribus & terra à materia concalesceta perspicue argentum in ea regione fluxisse, & aliquanto post tempore terræmotu subsecuto, & locis discissis, ingentem vim argenti coactam esse, quæ res etiam Malsiliensibus vectigalia peperit non parua. Sed de metallorum primis inuentoribus lege Georg. Agricolam lib. 1. de metallis. FORMIDINIS ERGÔ] id est terroris inferendi causa. ergô productum valet idem quod χρῆμα, ut docet Festus. SIL. EXED. ALTA S] sic habent tres libri manuscripti, Vatic. Tethian. Memmianus: & vulgati Veneti, Parisienses. alij aliis, ut cohæreat cum voce radicibus. TUM PENETRABAT EOS] tum veniebat eis in mentem: vel

tum sibi persuadebant. ET PRORSUM QUAMUIS IN AC.] ordo est, & penetrabat eos hæc prorsum posse duci procudendo in fastigia mucronum quamuis, id est quantumuis, acuta & tenuia. UT SIBI TELA PARENT] tela id est instrumenta apta ad dolandum, lauandum, radendum, perforandum, &c. sic infra eod. lib. Textile post ferris st̄, quia ferro tela paratur. MATERIAM LAEVARE, DOLARE, &c.] cum ego ita scriptum reperissem in quattuor codicibus. manuscriptis, Materiamque dolare, lauare, & radere tigna, conuerso ordine verborum sic restitui Materiam lauare, dolare & rad. tigna. Quanquam P. Paschalius censet legendum Materiam lauare, & lauia radere tigna. Iam vulgata scriptura, quæ reperitur in vtrisque codicibus Venetis, Florentinis, Parisiensibus. Lugdunenſi. Materiamque dolare, & lauia radere tigna, mihi non probatur. nisi quis eam ita leuiter immuter, & lauia redere tigna: quæ immutatio cum longius absit & ab antiqua, & à vulgata scriptura, proponenda illa quidem, sed non recipienda mihi visa est. DOLARE] vnde dolabra dicuntur. ET TEREBRARE] vnde terebrum, & terebellum. PERQUE FORARE] & perforare: tmesis, ut sup. disque supatis, inque pediri, conque globari, & similia sexcenta. POTESTAS] auri, & argenti. NAM FUIT IN P. M. AES] propterea quod solidius, & durius est auro. PROPTER INUTILITATEM] quia mollius est ære, & ferro. AVRUM IN SYMMVM SVC. H.] aurum merito ceteris omnibus metallis antepositum, propter eximium nitorem, & naturam ab igni & flamma, præterquam quod liqueſcit, vndique tutam, atque inuictâ. hoc etiam auri maxime proprium est, quod cum sit ære, ferro, atque aded argento mollius, malleo tamen omnium metallorum latissimè ducitur, ut ex auro leuissimi poderis nummo complures aureæ bractæ fieri possint. VOLVENDA ÆTAS] volubilis. sic Virg. princip. lib. 9. Turne, quod optanti diuim promittere nemo. Audeat, voluenda dies en attulit vltio. Idem lib. 1. Tringia magnos voluendis mensibus orbis Imperio explebit.

Nunc tibi quo pacto ferri natura reperta
 Sit, facile est ipsi per te cognoscere Memmi.
 Arma, antiqua, manus, ungues, dentesque fuerunt,
 Et lapides, & item siluanum fragmina rami.
 Et flama, atq̄ ignes, postquam sunt cognita primum.
 Posterius ferri vis est, ærisque reperta:
 Et prior æris erat, quam ferri cognitus vsus:
 Quo facilis magis est natura, & copia maior.
 A Ere solum terre tractabant, æreque belli.
 Miscabant fluctus, & volnera vasta ferebant:
 Et pecus, atque agros adimebant, nam facile ollis
 Omnia cedebant armatis nuda, & inerma.

*Inde minutatim processit ferreus ensis,
 Versaque in opprobrium species est falcis ahenæ,
 Et ferro cæpere solum proscindere terræ,
 Exæquatque sunt creperi certamina belli.
 Et prius est repperit in equi conscendere costas,
 Et moderarier hunc frenis, dextraque vigere,
 Quàm biugo curru belli tentare pericla.
 Et biugo prius est, quàm bis coniungere binos,
 Et quàm falciferos inuentum ascendere currus.
 Inde boues lucas turrato corpore tetros
 Anguimanos belli docuerunt volnera Pæni
 Sufferre, & magnas Martis turbare cateruas.
 Sic alid ex alio peperit discordia tristis,
 Horribile humanis quod gentibus esset in armis:
 Inq; dies belli terroribus addidit augmen.*

NUNC TIBI QVO FACTO] nunc docet, quomodo aurum repertum sit. POST QVAM SVNT] non enim ignis vna cū hominibus natis cognitus est, vt sup. Nec dum res igni scibant tractare, neque vt Pellibus, &c. ET PRIUS AERIS ERAT, &c.] sic Ouid. 4. Fast. *AEs erat in pretio, chalybis iam massa placebat. Eheu perpetua debuit illa regi.* Apud Homerum appellatione æris, quod Græci χαλκόν appellant, ferrum intelligitur, propterea qd veteres ære utebantur pro ferro, vt notat Eustathius ad illum locum *ἰλιάδ. α. σέ. γάρ φαεῖ χαλκός ἔλατ' αὐτὸν ἀπὸ λατὸς ἀφλοῖον.* quod item testatur Hesiodus hoc versu *χαλκὸν εἰρηλοῖον, μέλας δ' ἔσσι σιδῆρος.* VOLNERA VASTA SEREBANT] sic habent omnes libri, quos quidem viderim, quidam tamen *sefebant* legendum putant, vt *sefebant* pro *inferebant* positum esse intelligamus. VERSA QVE IN OPPROBR.] sic Virgil. lib. 8. Georg. in extr. *Et curuæ rigidum falces constantur in enses.* PROSCINDERE] sic sup. *bidenti Ingemere, & terrā pressis proscindere aratris.* & Lucill. *Tūne iugo iungas me autem, & succedere aratro Inuitum, & glebas subigas proscindere ferro?* CREPERI] profert hunc versum Nonius, & *creperum* interpretatur *ancēps*, dubium. Præterea Festus, *creperum dubium: (inquit) vnde increpitare, quia in alacritate ferē incerta, & dubia sunt.* Postremo Varro lib. 5. de lingua Lat. *Crepusculum significat dubium, ab eo res dubie dicuntur creperæ, quod crepusculum, dies etiam in hunc sit, iam nox, multis dubium est.* Attius, *Nunc tu in re crepera, quid capias consilij?* ET PRIUS EST REPERTVM IN EQVI] sic habent duo lib. manu ser. & ita legendum. BIUGO CVRRV] curru à duobus equis tracto: bigis. ET BIUGO PRIUS EST, &c.] id est & prius est inuentum curru

ru biugo belli pericula tentare, quàm quadrigis vti. FALCIFEROS] de falciferis curribus lege sup. ad illum locum lib. 3. *Falciferos memorant currus abscindere membra, &c.* INDE BOVES LVCA S] id est elephatos. Varro lib. 6. de ling. Lat. opinionē refellit & eorum, qui putant boues Lucos, siue boues Lucas à Lucanis dictas ab eo qd Romani cum maximā quadrupedē, quā ipsi haberent, vocarent bouem, in Lucania Pyrrhi bello primū elephatos apud hosteis vidissent: & eorum, qui à Libycis dictas volunt. ad extremum autem ait se arbitrari boues lucas ab luce potius dictas esse, quod longè relucebant propter inauratos regios clypeos, quibus eorum turres erant ornatae. Plinius tamen lib. 8. prioribus illis assentiens sic scribit. *Elephantos Italia primū vidit Pyrrhi regis bello: & boues Lucas appellauit in Lucanis visos anno vrbis CCCLXXII.* Ennius. *Atque prius pariet locusta lucam bouem.* TURRITO CORPORE] Plin. lib. 8. cap. 9. *turreis armatorum in hosteis ferunt.* TETROS ANGVIMANO S] elephatos: quibus proboscis flexilis, volubilis, & plicabilis loco manus est: atque aded manus appellatur à Latinis. M. Tull. lib. 2. de natura Deor. *Manus etiam data elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficileis aditus habebant ad pastum.* Anguimani igitur dicuntur quia manum habent anguis instar, volubilem. Hos (vt scribit Vegetius lib. 3.) contra Romanum exercitum primus in Lucania rex Pyrrhus eduxit: postea Annibal in Africa. ALID] aliud, à masculino *alis*, quo vltus est & Catullus. lege quæ annotata sunt sup. lib. 1. suprà lib. 1. *Quando alid ex alio reficit natura, nec vllam, &c.*

*Tentarunt etiam tauros in munere belli:
 Expertique suos sauos sunt mittere in hosteis:
 Et validos Parthi præ se misere leones
 Cum ductoribus armatis, sauisque magistris:
 Qui moderarier his possent, vincis que tenere,
 Nequicquam, quoniam permista cade calentes
 Turbabant seui nullo discrimine turmas,
 Terrificas capitum quatientes vndique cristas:
 Nec poterant equites fremitu perterrita equorum
 Pectora mulcere, & frenis conuerture in hosteis.
 Inritata læa iaciebant corpora saltu
 Vndique, & aduersum venientibus ora petebant:
 Et necopinanteis à tergo diripiebant:
 Deplexæque dabant in terram volnere vinctos
 Morsibus adfixæ validis, atque vnguibus vncis.
 Iactabantque suos tauri, pedibusque terebant,*

*Et latera, ac ventres hauribant subter equorum
Cornibus, ad terramque minanti mente ruebant.
At validis socios cadebant dentibus apri,
—Tela infracta suo tingentes sanguine seui:
In se fracta suo tingentes sanguine tela.
Permistasque dabant equitum, peditumque ruinas.
Nam transuersa feros exhibant dentis adactus
Iumenta aut pedibus ventos erecta petebant,
Nequicquam: quoniam à nervis succisa videres
Concidere, atque graui terram consternere casu.
Si quos antè domi domitos, satis esse putabant,
Efferuescere cernebant in rebus agundis,
Volneribus, clamore, fuga, terrore, tumultu:
Nec poterant vllam partem reducere eorum.
Diffugiebat enim varium genus omne ferarum:
Ut nunc sæpe boues Lucae, ferro male mactæ
Diffugiunt, fera facta suis cum multa dedere.
Sic fuit, vt facerent, sed vix adducor, vt antè
Non quierint animo presentire, atque videre,
Quàm commune malum fuerat, sædùmq; futurum.
Et magis id possis factum contendere in omni,
In variis mundis, varia ratione creatis,
Quàm certo, atque vno terrarum quolibet orbi.
Sed facere id non tam vincendi spe voluerunt,
Quàm dare quod gement hostes, ipsiq; perire,
Qui numero diffidebant, armisque vacabant.*

IN MVNERE BELLI] sic habent tres libri manuscripti, Vaticanus, Bertinianus, Memmianus: & typis excusi, Veneti antiquiores. alij *in munera belli*, quæ scriptura non est reiicienda. **PARTH]** sic habent tres lib. manuscripti, & totidem vulgati. alij vulgati, *partim*. **CVM DVCTORIBVS ARMATIS]** nihil muto, tamen negare non possim eam scripturam, quæ in duobus libris manuscriptis reperitur, *Cum doctoribus armatis*, ferri posse. **QVI MODERARIER HIS]** hanc lectionem probo, quamuis nonnulli libri habeant, *Qui moderarier hos possent*. **PERMISTA CAEDE GA-**

LENTE S] sic sup. lib. 3. *Sæpe ita desubito permistacade calentes*. **TERRIFICAS CAPITVM, &c.]** sic sup. lib. 2. *Terrificas capitum quatitentes numine cristas*. **PECTORA]** leonum pectora, equorum hinnitu, & fremitu perterrita. **LEAE]** leonum fæminæ. **ORA PETEBANT]** sic legendum, non *patebant*. **DEPLEXAE QVE]** sic habent omnes libri & manuscripti, & typis excusi, quæ scriptura si recta, & vera est, *deplexæ*, hoc est, deligatæ, & solute: quidã legi volunt, *depexæ*, id est, horridæ, seu laceræ, *ατ' ἀπὸ τοῦ ἐξον*: vt apud Terent. *Heaut. adeo exornatum dabo, Adeo depexum, vt dum viuat, meminerit semper mei*. Nam *depexus* comtum, & cultum significat. nonnulli *deuexæ*: id est, pronæ & deorsum ruentes. **DABANT IN TERRAM]** ad terram affligebant. **VOLNERE VINCTOS]** sic legi debere, & duo libri manuscripti declarât, & ratio euincit. sic sup. lib. 1. *æterno deuinctus volnere amoris*. **RUEBANT]** proruebant. **IN SE FRACTA S. TINGV. SANG. TELA]** ante huc versum scriptus est in lib. manuscriptis versus alter eiusdem ferè sententiæ. *Tela infracta suo tingentes sanguine seui*: qui reperitur etiã in lib. Parisiensib. & nonnullis aliis impressis. ego (vt dicam, quod sentio) neque hunc, neque alterum Lucretianum esse puto. hunc tamen illo tolerabiliorem esse arbitror. **EXIBANT DENTIS ADACTVS]** id est, effugiebant, euadebant. sic lib. 6. *Aut procul absiliebat, vt acrem exire odorem*. ibid. citrà, *Profluum porrò qui tevi sanguinis acre Exierat, &c.* **SI QVOS** fortasse legendum, *Sic, quos*. **DOMI DOMITOS]** *domi, domi* compositio, & compositio binarum syllabarum. **EFFERVESCERE]** quidam libri habent *Efferuiscere*. quod probo: & vbique malim ita legi *feruiscit, & feruiscere*. **FERRO MALE MACTAE]** sic legendum, & ita habent quattuor libri manuscripti. & aliquot typis excusi: *mactus* autem (vt docet Festus) idem valet, quod *magis auctus*. ex quo *mactare*. iam *malè mactus*: id est non auctus, læsus: vel *mactæ ferro* sic dictum, vt *mactare* infortunio, cruce, cruciatu apud Plautum. **DIEFVGIVNT]** sic habent omnes ferè libri manuscripti, & aliquot impressi, alij *Effugiunt*. **FERA FACTA]** sic habent omnes libri, quos quidem viderim. quidam legi volunt *fera fata*. **SIC FVIT, VT]** id est, sic fieri potuit, vt facerent: contingere potuit, vt ita facerent. **AT QVE VIDERE]** atque prauidere. nam *præpositio præ* repetenda est. **QVAM COMM. MAL. FVERAT]** quàm valde sibi cum aduersariis hoc malum fuerat commune futurum: vel quàm æqualiter & peræquè hæ animantes fuerant sibi & aduersariis exitio futura. **DARE QVOD GEMERENT]** dare propter quod gement: dare ploratus hostibus: *δοῦναι δι' ἰσχυρῶς*. sic Terent. *Phorm. Vin' primū hodie facere, quod ego gaudeā Nausistrata, Et quod tuo viro oculi doleāt?*

*Nexilis ante fuit vestis, quàm textile tegmen:
Textile post ferrum st: quia ferro tela parantur.
Nec ratione alia possunt tam leuia gigni
Insubula, ac fusi, radij, scapique sonantes.
Et facere antè viros lanam natura coëgit,*

Quàm muliebre genus. nam longè præstat in arte.
 Et sollertius est multo genus omne virile:
 Agricola donec vitio vertere seueri,
 Vt muliebribus id manibus concedere vellent:
 Atque ipsi potius durum sufferre laborem:
 Atque opere in duro durarent membra, manúsque.

QVIA FERRO TELA PARANTVR] textile (inquit) fuit post vsum ferri repertum, quia tela, seu instrumenta, quibus textilis vestis conficitur, ferro parantur & componuntur. hunc locum sic restituit Adr. Turnebus. Nam in omnibus fere libris legitur *tela paratur*. quasi *tela* sit numeri singularis feminini generis: quod est falsum. est enim numeri multitudinis, *tela, orum*. NEC RAT. AL.] quàm ferro. IN SVBVLIA] sic legendum esse iudicavi ex Isidoro, qui docet, insubula esse textoris instrumeta, dicta quòd infra & supra sunt, vel quia insubulantur. FVS] κλωστής. Catull. de Pelei & Ther. nuptiis. *Libratum tereti versabat pollice fustum*. ET RADII] κλαδίς. Virg. 9. *Aeneid. Excubi manibus radij, reuolutaq; pensa*. SCAPIQVE] ἀσπίς instrumenta textoris, quorum pulsu tela coarctatur, & condensatur. ATQVE IPSI POTIVS D. S. L.] *repete ἀπὸ κωνίῃ vellent*. OPERE IN DURO] in opere rustico faciendo, in agro colendo. DURARENT] dura & callosa redderent. sic habent tres libri manu scripti, & Veneti antiq.

At specimen sationis, & insitionis origo,
 Ipsa fuit rerum primùm natura creatrix.
 Arboribus quoniam bacæ, glandesque caducæ
 Tempestiua dabant pullorum examina subter:
 Vnde etiam libitum est stirpeis committere ramis:
 Et noua defodere in terram virgulta per agros.
 Inde aliam, atque aliam culturam dulcis agelli
 Tentabant, fructusque feros mansuescere terra.
 Cernebant indulgendo, blandèque colendo.
 Inq; dies magis in montem succedere siluas
 Cogebant, infráque locum concedere cultis:
 Prata, lacus, riuos, segetes, vinetaque læta
 Collibus, & campis vt haberent: atque olearum
 Cæcula distinguens inter plaga currere posset
 Per tumulos, & conualleis, campósque profusa:

Vt nunc esse vides vario distincta lepore
 Omnia, quæ pomis intersita dulcibus ornant:
 Arbustisque tenent felicibus obsita circum.

AT SPECIMEN SATIONIS] Nunc docet vnde didicerint homines ferere, atque inferere. & ait specimen: id est exemplum, seu documentum sationis naturam dedisse, cum sub arboribus virgulta quædam tenera, & pulli arborum ex earum fructibus in terram delapsis nascerentur. CADVCAE] cadentes ex arboribus. PULLORVM EXAMINA] fetus arborum pullulantium. examina propriè de apibus dicuntur. STIRPEIS COMMITTERE RAMIS] quod vnum est ex pluribus insitionis generibus: de quo Virg. lib. 2. Georg. *Aut rursum enodes trunci refecantur, & alitè Finditur in solidum cuneis via: deinde feraces Plantæ immittuntur, &c.* ET NOVA DEFODERE, &c.] sup. eod. lib. *Nec noua defodere in terram virgulta, &c.* INDVLGENDO] tralatio. Virgil. Georg. 2. *Indulge ordinibus*. IN MONTEM SVCCEDERE] sursum cedere. INFRAQVE LOCVM] & locum qui infra esset, seu locum inferiorem. talia sunt illa *nuper notitia* apud Terent. Heaut. & *semper amicitia* apud Propert. in quibusdam libris tamen legitur: *infráque situm*. id est situm inferiorem. INTER PLAGA CURRERE] intercurrere. tmesis.

At liquidas auium voces imitari ore
 Antè fuit multo, quàm læua carmina cantu
 Concelebrare homines possent, aureisque iuuare.
 Et Zephyri caua per calamorum sibila primùm
 Agresteis docuere cauas inflare cicutas.
 Inde minutatim dulcis didicere querelas:
 Tibia quas fundit digitis pulsata canentum,
 Auia per nemora, ac siluas, saltusque reperta,
 Per loca pastorum deserta, atque ocia dia.
 Sic vnum quicquid paullatim protrahit etas
 In medium, ratioque in luminis eruit oras.
 Hæc animos ollis mulcebant, atque iuuabant
 Cum satiate cibi. nam tum sunt omnia cordi.
 Sæpe itaque inter se prostrati in gramine molli
 Propter aquæ riuum, sub ramis arboris altæ
 Non magnis opibus iucundè corpora habebant:
 Præsertim cum tempestas ridebat: & anni

Tempora pingebant viridanteis floribus herbas.
 Tum ioca, tum sermo, tum dulces esse cachinni
 Consuerunt. agrestis enim tum musa vigeat.
 Tum caput, atque humeros plexis redimire coronis,
 Floribus, & foliis lasciuia leta monebat:
 Atque extra numerum procedere membra mouenteis
 Duriter, & duro terram pede pellere matrem:
 Vnde oriebantur risus, dulcesque cachinni:
 Omnia quod noua tum magis hæc, & mira vigeant.
 Et vigilantibus hinc aderant solatia somni,
 Ducere multi modis voces, & flectere cantus:
 Et super à calamos vnco percurrere labro.
 Vnde etiam vigilantes nunc hæc accepta tuentur:
 Et numerum seruare genus didicere: neque hilo
 Maiore interea capiunt dulcedine fructum,
 Quam siluestre genus capiebat terrigenarum.
 Nam, quod adest præstò (nisi quid cognouimus antè
 Suauius) in primis placet, & pollere videtur.
 Posteriorque ferè melior res, illa reperta
 Perdit, & immutat sensus ad pristina quæque.
 Sic odium cepit glandis: sic illa relicta
 Strata cubilia sunt herbis, & frondibus aucta.
 Pellis item cecidit, vestis contempta ferina:
 Quam reor inuidia tali tunc esse repertam,
 Vt letum insidiis, qui gessit primus, obiret:
 Et tandem inter eos distractum sanguine multo
 Dispersisse, neque in fructum conuertere quisse.

AT LIQUIDAS] Nunc de musica origine. AVREISQUE IUVARE] aureis delectare. CICUTAS] calamos, cannas. Virgil. Alex. Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula. sup. lib. 4. Vnco saepe labro calamos percurrit hianteis. qui versus statim iteratur. VNUMQUICQUID] vnum quicquæ. HAEC ANIMOS OLLIS, &c.] id est, his rudes illi homines mulcebantur, ac delectabantur eo ipso tempore, quo epulabantur, & satiabantur: vel vnà cum cibo, quo satiabantur, agresti musica animos suos oblecta-

bant. NAM TUM SVNT OMN.] quidam legunt, nam tum hæc sunt omnia cordi. CVM TEMPESTAS RIDEBAT] cum per anni tempus licebat: cum anni tempestas non erat turbida, aut frigida, sed serena, & tepida. Idem Lucret. lib. 2. princ. Præsertim cum tempestas aridet, & anni tempora, &c. ATQUE EXTRA NUMERUM PROC.] non in numerum, vt sup. lib. 4. Quid porò, in numerum procedere cum simulacra Cernimus in somnis & mollia membra mouere? DVRI TER] antiquum, teste Charisio. Ennius Phœnisis. Quæ tibi ex ore orationem duriter dictis dedii? Terent. Adelph. Ruri agere vitam, semper parè, ac duriter sese habere. ET DVRO TERR. P. PELL. M.] & salutare duriter, & quasi terram λακίσειν: id est calcibus petere, atque insectari. HINC] ex eo quod sequitur, Ducere multi modis voces, &c. SOLATIA SOMNI] secutus sum codicem Vaticanum. significat autem eos, qui dormire nequirit, variis cantibus, & vocibus in somniam solatos esse. ET SUPERA] id est & supra, seu in superiore parte calamos. sic supra lib. 4. Vnco saepe labro calamos percurrit hianteis. TERRIGENARVM] id est primorum illorum hominum è terra natorum: γῆγον, terræ filiorum. POSTERIORQUE FERERE, &c.] id est & ferè euénit, vt res posterior melior, priora reperta perdat, atque ex animo delectat: & immutat sensus ad pristina, id est faciat vt pristina nõ equè sint grata, neque iucunda sensibus, atque antea fuerat. SIC ODIUM CEPIT GL.] ex quo illud, Hæc dicitur: satis quercus. & M. Tull. orat. perf. Quæ est in hominibus tanta peruersitas, vt inuenis frugibus glande vescantur? PELLIS ITEM] quæ fuit inuenta à primis illis hominibus, vt sup. Inde casus postquam ac pelleis, ignemque parauerunt, &c. cecidit autem pellis, & contemni cœpta est post usum vestium è lana nexilium, aut textilium aut sutilium repertum. QVAM REOR IN V.] id est, quam puto ita fuisse inuentori ipsi inuidiosam, vt is, qui primus eam gessit, per insidias ab aliis interfectus fuerit. ET TANDEM INTER EOS DISTRACTVM SANG. M. DISPERSISSE] secutus sum codices manuscriptos. nam vulgati habent Dispersisse, mendosè. huius igitur scripturæ, hæc sententia est. Et reor eum, qui primus gessit vestem ferinam, inter eos, à quibus per insidias interfectus est, distractum, dispersisse, id est, diuersis in partibus contaminasse sanguine multo, subintellige vestem. licet etiam legas distractam, vt habent libri vulgati. distractam vestem scilicet.

Tunc igitur pelles: nunc aurum, & purpura curis
 Exercent hominum vitam, belloque fatigant,
 Quo magis in nobis (vt opinor) culpa residit.
 Frigus enim nudos sine pellibus excruciat
 Terrigenas: at nos nil lædit veste carere
 Purpurea, atque auro, signisque ingentibus apta:
 Dum plebeia tamen sit, quæ defendere possit.
 Ergo hominum genus in cassum, frustra que laborat.

Semper, & in curis consumit inanibus ævum:
Nimirum, quia non cognovit, quæ sit habendi
Finis, & omnino quoad crescat vera voluptas:
Idq̄ minutatim vitam prouexit in altum:
Et belli magnos commouit funditus æstus.
At vigiles mundi magnum & versatile templum
Sol & luna suo lastrantes lumine circum,
Perdocuere homines annorum tempora verti:
Et certa ratione geri rem, atque ordine certo.
Iam validis septi debebant turribus ævum:
Et diuisa colebatur, discretæque tellus.
Tum mare veliuolum florebat nauibu' pandis:
Auxilia, & socios iam pacto fœdere habebant:
Carminibus cum res gestas cœpere poëta
Tradere: nec multo priu' sunt elementa reperta.
Propterea, quid sit prius actum, respicere etas
Nostra nequit, nisi quæ ratio vestigia monstrat.
Nauigia, atque agri culturas, mœnia, leges,
Arma, vias, vesteis, & cetera de genere horum
Premia, delicias quoque vitæ funditus omneis,
Carmina, picturas, & dædala signa polire,
Vsus, & impigre simul experientia mentis
Paullatim docuit pedetentim progredientis.
Sic vnum quicquid paullatim protrahit etas
In medium, ratiôque in luminis eruit oras.
Nanque alid ex alio clarescere corde videbant
Artibus, ad summum donec venère cacumen.

CVLPA RESIDIT] sic legendum, à verbo *resido* dis: quo utitur lib. 2.
 Et proiecta refrenatur, retroque residit non *resedit*, à verbo *resideo*. FRIGVS
 ENIM] necessitas primò vestium vsum reperit. frigoris enim depellendi,
 & iniuriæ cæli arcendæ causâ vestes repertæ sunt: deinde accessit luxus &
 voluptas, cum vesteis purpureas, & auro insignis, & acu pictas gestare vo-
 luerunt. IN CASS. FRVSTA QVE LAB.] quia non est contentus
 modico, & quia cupiditates habet infinitas, minimæque necessarias, & ut
 statim

statim subiungit, quia non cognovit, quæ sit habendi finis: id est, quid sit
 homini satis: vel si cognovit, eo non est contentus. sic Lucill. lib. 5. *Nam si*
quod satis est homini, id satis esse potesser, Hoc sat erat: nunc cum hoc non est, qui credi-
mu' parvò Duitias vllas animum mi explere potesse? Idem lib. 18. *Denique vti stulto*
nil sit satis, omnia cum sint. AT VIGILES MVNDI] dicit homines ex so-
 lis & lunæ cursu didicisse annorum tempora circumagi, atque in orbem
 redire, & statos, ac raros esse rerum ordines. IAM VALIDIS SEPTI]
 Tum cœperunt homines in turribus, atque in locis munitis habitare, vrbeis
 condere, agros limitibus distinguere, ac terminare, nauigare, &c. NAVI-
 BU' PANDIS] nauibus curuis. nonnulli libri habent *florebat propter odores,*
 sed, ut opinor, corruptè. NEC MVLTÒ PRIV'] quàm poëta res gestas
 carminibus persequi cœperunt. QVID SIT PRIVS ACTVM] prius
 quàm elementa litterarum essent reperta. RESPICERE] respicere dici-
 mur præterita. nam quæ præterita sunt, retro esse dicuntur. Horat. od. 29.
 lib. 3. *non tamen irritum Quodcunque retro est, efficiet: neque Dissinget, insectumque*
reddet. Quod fugiens semel hora vexit. PEDE TENTIM PROGREDIEN-
 TIS] sic sup. eod. lib. *sed quæ sit earum Præcipere, haud quaquam st pedetentim*
progredientis.

NNn

Dionysius Lambinus,

Io. Aurato S. D.

Vellem hoc natura rerum tulisset Ioānes Aurate, ut quem admodum eorum, quibus superiores libros dicavi, neminem eruditione, & doctrina tibi anteponeita pari omnium gradu, ordinēque servato, tibi & illis suum cuique librum dicare potuissim. Nā neque alios aliis antefereō, his iniuriā facere, ab illis inire gratiam voluisse visus essem: neque te, qui principem, aut certē proximum doctrinæ locum inter nostræ ætatis homines eruditos obtines, sexto loco locavissim. Nunc autem cum mihi ordo librorum servandus esset: ea autem numerorum sit natura, ut & quæ prima sunt, secundis, & quæ secunda, tertiis, & reliqua deinceps consequentibus ordine sint priora, priorēque loco ponenda: effugere non potui, quin, cum singulos libros singulis hominibus donare constituissem, alios aliis anteferrem. Quamvis enim negare non possim, à me etiam hominum dignitatis habitam esse rationem: spectavi tamen unā cum dignitate præcipuas quasdam, & peculiaris singularum personarum causas. Ne longius abeam: in eo, quod Errico Memmio primum librum dicavi: præter hominis dignitatem, atque amplitudinem summa eruditione coniunctam, primum spectata est à me duorum Memmiorum *δυναστεία*, seu gentilitatis, & nominis communitas: deinde referendæ gratiæ obligatio, utpote, qui in hoc negotio conficiendo plurimum à libro illo manuscripto, quem is mihi commodatō dedit, adiutus essem: deinde cetera, quæ in mea ad illum epistola à me sunt exposita. Secundum item librum ut Petro Ronfardo donarem, multæ, & magnæ me causæ impulerunt: quarum tu in primis conscius es. Quid dicam de Germano Pimpuntio Valente homine doctissimo, & singulari humanitate prædito, & de me optime merito? Quid de Mureto? quid de Turnebo? Quæ sint horum omnium causas, vides. Quinque igitur libris consumptis, atque exhaustis, restat sextus non ab aliis derelictus, aut reiectus: sed, ut omnium pulcherrimus, ornatissimus, accuratissimus tibi unī reservatus. Totā enim de rebus super-nis, & sublimibus, quas *μετεώρησις* appellant Græci, disputationē continet, ad quas accedunt incundissimæ de Aetnæ ignibus, de Nili incrementi causis, de auernorum ratione, de variis fontium, & puteorum naturis, de magnete, de pestilentia origine quæstiones: & quæ libri clausula est, Atheniensis illius pestilentia funestissima descriptio ex Thucydide pæne ad verbum expressa. Hunc igitur librum Aurate, tibi excepi, ac reservavi. Neque enim mihi fas fuit te præterire, primum collegam meum: deinde in ipsa collegij ne-

cessitudine easdem litteras docentem, ac profitentem: deinde, quod caput est, amicum. Et verò cum de eximia, ac, pæne dicam, diuina tui ingenij præstantia, singularique doctrina cogito, & cum tua scripta vel relego, vel memoria repeto, videor mihi felicibus illis, & fertilibus nobilium poetarum temporibus natus esse: ijs dico vel quibus Græci illi Simonides, Archilochus, Pindarus, Stesichorus, Alceus, Mimnermus, Callimachus, Theocritus: vel quibus Latini, Catullus, Virgilius, Horatius, Tibullus, Propertius, Ovidius florebat. Ceteros enim homines admiramur, & in doctis viris numeramus, qui veterum illorum siue Græcorum, siue Latinorum sententias sepe per obscuras, & æigmatum simillimas explicare, atque enodare possunt. Te autem quid dicam eam laudem esse consecutum, qui non solum antiquorū scripta vel obscura sic illustras, vel corrupta sic corrigis ac restituis, ut cum illis vixisse videaris: verum etiam scribendi similitudine proximè ad illos accedis? Cum enim dithyrambos scribendos suscipis: cum Pindaro ancipiti Marte certas, cum versus Lyricos scribis: cum eodem Pindaro, cum Simonide, Stesichoro, Alceo, Sapphone non sine vincendi spe contendere videris. Cum elegos decantas: Mimnermum, Callimachum, Philetam si non superas, at certe assequeris brevissimo proximus intervallo. Cum bucolica ludibundus componis: Theocrito nihil concedis. Quid de tuis scriptis Latinis dicam? Cum te ad epigrammata scribenda confers: Catullum spiras. Cū versus Lyricos canis, Lyram videris tractare Horatianam. Cum elegos amatorios ludis: Tibullum, & Propertium, & Ovidium exprimis. Denique veteres illos in singulis pœseos generibus elaborasse & præstitisse videmus: te unum & epicum, & melicum, & lyricum, & elegorum, & bucolicorum, & epigrammatum scriptorem optimum admiramur. Neque verò mihi reverendum est, ne, dum ego de te hæc prædico, tibi videar gratificari voluisse: cū hæc scribam iis vivis, qui me mentientem refellere, & coarguere possint. Veruntamen finem facere satius est, ne in re nota, clara, & tot hominum conscientia, sermonēque testata, nostræ quoque orationis testimonium minime necessarium adhibere voluisse videamur. Vale Lutetiæ, pridie idus Octob. anno CIO IO LXIII.

NNn 2

T. LVCRETII CARI
DE RERVM NATVRA,
LIBER SEXTVS.

Drimæ frugiferos fetus mortalibus ægris,
Dididerūt quondā præclaro nomine Athenæ:
Et recreauerunt vitam, legēsque rogarunt:
Et primæ dederunt solatia dulcia vitæ,
Cum genuere virum tali cū corde repertum,
Omnia veridico qui quondā ex ore profudit:

Cuius & extincti propter diuina reperta
Diuulgata vetus iam ad cælum gloria fertur.
Nam cum vidit hic, ad victum quæ flagitat vsus,
— Et, per quæ possent vitam consistere tutam,
Omnia iam fermè mortalibus esse parata:
Diuitiis homines, & honore, & laude potentes
Affluere, atque bona natorum excellere fama:
Nec minus esse dormi cuiquam tamen anxia corda,
Atque animum infestis cogi seruire querelis:
Intellexit, ibi vitium vas efficere ipsum,
Omniâque illius vitio corrumpier intus,
Quæ collata foris, & commoda cunque venirent,
Partim quod fluxum, pertusumque esse videbat,
Vt nulla posset ratione explerier vnquam:
Partim quod tetro quasi conspurcare sapore
Omnia cernebat, quæcunque receperat, intus.
Veridicis igitur purgauit pectora dictis:
Et finem statuit cuppedinis, atque timoris,
Exposuitque bonum summum, quod tēdimus omnes,
Quid foret, atque viam monstrauit tramite prono,
Quæ possemus ad id recto contendere cursu,
Quidve mali foret in rebus mortalibus passim,

Quod flueret natura vi, varièque volaret,
Seu casu, seu vi, quod sic natura parasset:
Et quibus è portis occurri cuique deceret.
Et genus humanum frustra plerunque probauit
Voluere curarum tristeis in pectore fluctus.
Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quàm
Quæ pueri in tenebris pauitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebrâsque necessest
Non radij solis, nec lucida tela diei
Discutiant, sed naturæ species, ratióque:
Quo magis inceptum pergam pertexere dictis.

PRIMÆ FRUGIFEROS] sic M. Tull. orat. pro Flacco. *Ad sunt Athenienses, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges orta, atq. in omnis terras distributa putantur.* & Diodorus Siculus lib. 13. *Καὶ τὸ εἶπνον ἄλλων, Ἀθηνῶν ἄξιόν ἐστιν εὐτραπέλιον μὲν τὸ τῆς πλείους ἀξίωμα, χράειν δ' αὐτοῖς ἀπομαρτυροῦν τῶν εἰς ἀνθρώπων εὐεργετημάτων. ἔτσι γὰρ εἰσιν οἱ ποῦτοι τροφῆς ἡμέρη τοῖς ἔλλησι μεταδόντες, ἢν ἰδίᾳ παρὰ θεῶν λαβόντες τῆ χρεῖα κοινῶ ἐποίησαν. ἔτσι νόμος εὐεργ, δι' ἧς ὁ κοινὸς βίος ἐκ τῆς ἀρχῆς ἐξ ἀδύτου ζωῆς, εἰς ἡμέρον ἐξ ἀνάγκης ἐλύθη συμβίωσιν:* id est, Etenim si quorum aliorum, Atheniensium ciuitatis dignitatem par est colere, & vereri, iisque beneficiorum quæ in homines contulerunt, gratiam referre. hi enim sunt, qui primè victum mansuerunt & civilem hominibus impertuerunt, quem propriè & priuatim à Diis consecuti, vsu cum omnibus communicauerunt. hi leges inuenerunt, quibus vita cõmunis ex vitæ cultu agrestis, atque iniusto, ad hunc humanum, ac iustum conuictum peruēnit. FRUGIFEROS] quidam libri habēt, *frugiparos.* MORTALIBVS AGRIS] hanc versus clausulam mutuatus est pluribus locis Virgil. vt Georg. 1. *duos mortalibus agris Munere concessa Diuum.* & lib. 2. *Aeneid. Tempus erat, quo prima quies mortalibus agris Incipit.* DIDIDERVNT] distribuerunt. ROGARVNT] tulerunt. CVM GENVERE VIRVM] erat enim Atheniensis Neoclis & Chærestrate filius, *ἐκ δὲ τῆς γαργηθῆς.* ET PER QVÆ POSSENT] hic versus hoc loco poni debet, nempe deinceps post versum, *Nā cum vidit hic, &c.* si modo Lucretianus est, *consistere* autem id est statuere, & stabilire. sed quidam putant non esse Lucretianum, atque iccirco delēdum censent: quibus planè assentior: nam primū superuacaneus est, præsertim quo ordine vulgò legitur: deinde illud, *vitam consistere tutam*, concoquere non possum: postremò in lib. Florent. legitur *consciscere*: adde quòd in Memmiano scriptum est, *Et per quam vitam possent consistere tutam.* PARATA]

quasi in medio posita, & parabilia. natura enim res paratu difficileis, & sumtuosas non desiderat, sed parabilibus contenta est. ATQUE ANIMVM INFESTIS COGISERVIRE Q.] hunc locum (absit verbo inuidia) perquam *ἰσοχως* restitui. Cum enim hic ita in omnibus libris scriptum esset, *Atque animi ingratis vitam vexare querelis Causam quæ infestis cogit seruire querelis*, nisi quod in nonnullis scriptis proximus sic legitur, *Pausa atque infestis*, &c. in Florentino autem, sic *Plurima, quæ infestis*, &c. ego qui animaduertentem (quod antea admonui) vbicunque duo versus, quorum alter alteri sit proximus, eodem nomine finirentur, alterum ferè esse alienū, & inculcatum: veram & rectam scripturam reposui. cuius sententiam, quavis planissima sit, mox exponam. INTELEXIT IBI VITIVM, &c.] *ἀντιπόδως*. Nam hic versus pendet ab illo, qui est suprà. *Nam cum vidit hic, &c. ut sit hæc totius huius loci sententia.* Nam cum vidit Epicurus, ea ferè omnia, quæ vsus & necessitas ad victum postulant, hominibus esse parata: homines, diuites, honoratos, potèteis esse, liberòsque habere populi iudicio probatos: neque idèò minus tamen quèquam eorū anxie viuere, animūmq; ipsorū cogi seruire & opprimi querelis molestissimis atq; acerbissimis: tum intellexit vas ipsum vitij causam esse, & omnia bona, quæcunq; extrinsecus & foris comportata, & congesta essent, illius vitio corrumpi. COLATA] id est, comportata. sic enim Horat. epist. 2. lib. 1. *valeat possessor oportet, si comportatis rebus bene cogitat uti.* PARTIM QVOD FLVX, FERT.] quale esse dolium Danaï filiarum ferunt. sup. lib. 3. *Et nō omnia pertusum congesta quasi in vas Commoda perfluxere*, &c. Quæ extant apud Festum de dolio pertuso, mutilata sunt. hæc tantū sunt integra, *Pertusum dolium dicitur, cum ventrem significat.* PARTIM QVOD TETRO] sic Horat. epist. 2. lib. 1. *Sincerū est, nisi vas, quodcūque insundis acefcit.* VAE CVN QVE RECEPERAT] post verbum *recepit*, distinctionis nota ponenda est, ut aduerbium *intus* cohæreat cū infinitiuo *conspurcare*. alioqui legendum esset *recepit intrò.* VERIDICIS IGITVR] hunc versum & quattuor deinceps sequèteis profert Luc. Firmianus lib. 7. diuin. inst. ET FINEM STATVIT CVPP.] Epicurus cupiditates necessitate & natura terminabat. eas autem quæ neque naturales essent, neque necessariæ, dicebat esse infinitas, & stultis conuenire. ATQUE TIMORIS] cum sustulit omneis religiones, & immortalitatem animorum. Ita enim docuit deos non esse timendos, ut qui non irascantur: & mortuos omni sensu carere, quippe cum homine mortuo sensus omnes extinguantur: in quibus tamen valde dissentimus ab Epicuro. TRAMITE PRONO] itinere facili & procliu. secutus sum autem nonnullos libros manuscriptos. nam vulgatorum alij habent *tramite paruo*, alij *limite paruo*. quarum duarum lectionū eam, quæ posterior est, non improbo. RECTO CONT. CVRSV] *ῥητ' ἐυδέειν, ῥητ' ἐυδουέειν*, non per ambages, mandros, & flexiones. QVOD FLVERET NATVRAE VI.] cum in cod. Vaticano, Bertiniano, & Memmiano, scriptum reperissem, *Quod flueret naturali, variè que volaret*, ego *natura vi* reposui: in ceteris codices manu scriptos secutus sum. vulgati habent *Quod flueret naturali viro*, atque *veniret*. ET QVIBVS E' PORTIS] quibus viis. tralatio

est à re militari. VOLVERE CVRAR, TRIST.] idem infr. *Constitues magnos irarum volvere fluctus*. quod mutuatus est Virg. lib. 12. *Aeneid. Irarum tantos voluit sub pectore fluctus.* NAM VELVTI] septem hi, qui deinceps sequuntur, versus iam antè lib. 2. non longè à principio, positi sunt. HVNC IGITVR TERR.] tres hi versus ordine sequentes, etiam lib. 1. vsurpantur sunt ferè in princip.

*Et quoniam docui mundi mortalia templa
Esse, & nativo consistere corpore cælum:
Et quæcunque in eo sunt, fierique necesse sit,
Pleraque dissolui: quæ restant percipe porrò:
Quandoquidem semel insignem conscendere currū
Vincendi exhortat à st. spes, atque obuia rursum
Quæ fuerant, sunt placato conuersa favore.
Cetera quæ fieri in terris, cæloque tuentur
Mortales, pauidis cum pendent mentibus sæpe,
Efficiunt animos humileis formidine diuim:
Depressosque premunt ad terram, propterea quòd
Ignorantia causarum conferre Deorum
Cogit ad imperium res, & concedere regnum.
Quorum operum causas nulla ratione videre
Possunt, ac fieri diuino numine rentur.
Nam, bene qui didicere Deos securum agere auum:
Si tamen interea mirantur, qua ratione
Quæque geri possint, præsertim rebus in illis,
Quæ supra caput aetheriis cernuntur in oris:
Rursus in antiquas referuntur religiones:
Et dominos acreis asciscunt, omnia posse
Quos miseri credunt, ignari quid queat esse:
Quid nequeat: finita potestas denique cuique
Quanam sit ratione, atque altè terminus hærens:
Quo magis errantes tota ratione feruntur.
Quæ nisi respicis ex animo, longè que remittis
Diis indigna putare, alienaque pacis eorum:
Delibrata Deum per te tibi numina sancta*

Sæpe aderunt, non quo violari summa deum vis
 Possit, ut ex ira pœnas petere imbibat acreis:
 Sed quia tute tibi placida cum pace quietos
 Constitues magnos irarum voluere fluctus:
 Nec delubra Deum placido cum pectore adibis,
 Nec de corpore quæ sancto simulacra feruntur
 In menteis hominum diuinæ nuncia formæ,
 Suscipere hæc animi tranquilla pace valebis.
 Inde videre licet, qualis iam vita sequatur.
 Quam quidem ut à nobis ratio verissima longè
 Reiciat, quanquam sunt à me multa profecta:
 Multa tamen restant, & sunt ornanda politis
 Versibus, & ratio cæli, specièsque tenenda:
 Sunt tempestates, & fulmina clara canenda,
 Quid faciant, & qua de causa cunq̃ ferantur,
 Ne trepides cæli diuisis partibus amens,
 Vnde volans ignis peruenerit, aut in vtram se
 Verterit hinc partem, quo pacto per loca septa
 Insinuarit, & hinc dominatus ut extulerit se.
 Quorum operum causas nulla ratione videre
 Possunt, ac fieri diuino numine ventur.
 Tu mihi suprema præscripta, & candida calcis
 Currenti spatium præmonstra callida Musa,
 Calliope, requies hominum, diuinæque voluptas,
 Te duce ut insigni capiam cum laude coronam.

ET QUONIAM DOCVI MUNDI] libro superiore. PORRO] porro tenus. QUANDO QUIDEM SEMEL] allegoria est ducta à certaminibus Circensibus. VINCENDI EXHORTATA EST SPES] cum in lib. Scipionis scriptum reperissem, Ventorum, ut habent ferè omnes libri, cum litura: & ad oram libri ascriptum Vincendi: in Memmiano autem existat spes, sic reposui: Vincendi exhortata est spes. ratione hæc scripturam flagitante. Nā primùm ventorum ab aliquo maleuolo, aut ineptè religioso substitutum est: deinde ex ventorum factum est notorum: quod vtrunq̃ à sententia alienum est, nisi quis dicat, per spem votorum significari spem potiendi

re optata: quod loquendi genus non videtur mihi Lucretio dignū. Confer autè cum hoc loco versus, qui sunt infra, nō longo post interuallo. Tu mihi suprema præscripta & candida calcis Currenti spatium præmonstra callida Musa, &c. Te duce ut insigni capiam cū laude coronam. AT QVE OBVIARVS. &c.] & quando quidem quæ mihi obstabant, sunt conuersa in fauorem secundum ac propitium. quidam vir doctus legendum putat, sunt conuerso placata fauore. EFFICIUNT ANIMOS] hunc versum, & partem eius, qui deinceps sequitur, profert Firmianus aduersus eos, qui statuas colunt, & venerantur: lib. 2. diuin. instit. efficiunt humileis autem, id est τρυφῶσα, ad terram abiiciunt: NAM, BENE QVI DIDICERE] hic versus cum octo deinceps sequentibus iam antè positi sunt lib. 7. SECVRYM AGERE AEVVM] hunc versum paullū immutatū mutuatus est Horat. lib. 1. ferm. saty. 9. Non ego: nanque deos didici securum agere æuum. QVID NEQVE AT, &c.] hic versus, & item qui proximè sequitur, lib. 1. positus est ferè in princip. QVO MAG. ERR. TOTA REGIONE] sic restitui: & ita sine dubio legendum. sic enim loquimur errare toto calo, tota via. iam tota regione, & tota via idem valent. Sæpe autem animaduerti à librariis in voce ratione peccatum esse, cum ratione scriberent, pro regione. si quis tamen malet legi caca ratione, ut habent nonnulli codices, non pugnabo. LONGE QVE REMITTI] & longè abs te reiciis ac repellis. DIIS INDI-GNA PVTA NDO] sic legendum, non ut vulgò putare. ALIENA QVE PACIS] aliena iunxit cum patrio casu. sic lib. 3. Aut quia non veniunt omnino aliena salutis. DELIBRATA] cum in aliquot libris manuscriptis reperissem scriptum deliberata, ego delibrata reposui. quod interpretor deminuta, & violata, & quasi detrita. delibrare enim valet corticem detrahere, ut supra ex Festo diximus. lib. 3. in extr. Nec prorsum vitam elucendo demimus hulum Tempore de mortis, nec delibrare valemus: nisi quis malit legi. & hic delimitata: & illic, nec delimitare valemus. VIOLARI] quod fieret si dij irascerentur, ira enim iratorū & animos, & corpora immutat. IMBIBAT] in animo habeat, vehementer cupiat. sic sup. lib. 3. Qui petere à populo fasceis, sauasque secures Imbibit. MAGNOS IR. VOLV. EL.] sic locutus est paullo antè, Voluere curarum tristeis, &c. & T. Livijs lib. 35. de Philippo. nosse se spiritus eius, nosse animum: scire ferarum modo, quæ claustris, aut vinculis teneantur, ingenteis iamdiu iras eum in pectore voluere. DIVINÆ NVNCIA FORMÆ] id est diuinæ formæ memoriā refricantia, vel potius diuinæ formæ imaginem perferentia. nuncia hoc loco nomen est adiectū, seu adiectiuum, nuncius a. um. ut sup. lib. 4. Nuncia præclari voltus, pulchrique coloris. SVSCIPERE HÆC] nec poteris (inquit) deorum simulacra & imagines, quæ proficiscuntur & fluunt ex eorum quasi corporibus, animo quieto concipere, seu in animum tranquillū recipere, id est cogitatione seu mente quietā & tranquilla complecti, non poteris de diis animo quieto & tranquillo cogitare: sed quoties ij tibi venient in mentem, tristibus curis sollicitabere, magnis timoribus terreberere. ET RATIO SVPERVM, CAELI QVE] sic restitui secutus auctoritatem librorum manuscr. Atque ut magis credas vulgatam scripturam esse corruptam, Memmianus sic habet: ratio cæli que re-

nenda. ex qua scriptura apparet omissam esse à librario vocem *superum*: deinde cum perspicue versus claudicaret, inculcatum esse nomen, *ratio*, per se. pera autem *ustris* et significat. CAELI DIVISIONIS PARTIBVS] hoc ad aruspicum, Etruscorumque disciplinam pertinet: de qua sic M. Tull. lib. secundo de diuin. calum in xvi. parteis diuiserunt Etrusci. facile id quidem fuit, quattuor, quas nos habemus, duplicare, post idem iterum facere, ut ex eo dicerent, fulmen qua ex parte venisset. VNDE VOLANS] hic versus cum duobus deinceps sequentibus posterius iterantur. IN VTRAM] dextram, an sinistra, dextræ autem partes sunt octo ab occasu: sinistrae totidem ab ortu. INSINVARI] insinuarit hoc loco absolute positum est, pro subierit, intrarit, introierit, penetrarit. QVORVM OPERVM CAVSAS] hi duo versus paullo ante positi sunt. PRÆSCRIPTA ET CANDIDA CALCIS.] id est calcem præscriptam, & candidam. talia sunt illa vera viat. vltima naturæ, carula cæli, & similia innumerabilia. quidam tamen legi voluit præscripta ad candida calcis, & cer. ut sit hæc sententia. tu mihi Musa currenti spatium ad calcem præscriptam & candidam, præmonstra eam calcem.

Principio tonitru quatiuntur carula cæli
 Propterea, quia concurrunt sublime volantes
 Aetheriæ nubes contra pugnantibus ventis.
 Nec fit enim sonitus cæli de parte serena:
 Verum, ubicunque magis denso sunt agmine nubes,
 Tam magis hinc magno fremitus fit murmure sæpe.
 Præterea neque tam condense corpore nubes
 Esse queunt, quàm sunt lapides, ac tigna: neque autem
 Tam tenues, quàm sunt nebulae, fumique volantes,
 Nam aut cadere abrupto deberent pondere presso,
 Ut lapides: aut, ut fumus, constare requirent,
 Nec cohibere niveis gelidas, & grandinis imbreis.
 Dant etiam sonitum patuli super æquora mundi,
 Carbasus ut quondam magnis intenta theatris
 Dat crepitum malos inter iactata, trabeisque.
 Interdum perscissa furit petulantibus Euris,
 Et fragileis sonitus chartarum commeditatur.
 Id quoque enim genus in tonitru cognoscere possis,
 Aut ubi suspensam vestem, chartasve volantes
 Verberibus venti versant, planguntque per auras.

Fit quoque enim interdum, ut non tam concurrere nubes
 Frontibus aduersis possint, quàm de latere ire
 Diuerso motu radentes corpori tractum:
 Aridus vnde aureis terget sonus ille, diuque
 Ducitur, exierit donec regionibus arctis.
 Hoc etiam pacto tonitru concussa videntur
 Omnia sæpe graui tremere, & diuolsa repente
 Maxima dissiluisse capacis moenia mundi:
 Cum subito validi venti conlecta procella
 Nubibus intorsit sese, conclusaque ibidem
 Turbine versanti magis ac magis vndique nubem
 Cogit, ut fiat spisso caua corpore circum.
 Post ubi commouit vis eius, & impetus acer:
 Tum perterrita crepo sonitu dat missa fragorem,
 Nec mirum, cum plena animæ vesicula parua
 Sæpe ita dat pariter sonitum displosa repente.

PRINCIPIO TONITRU QVAT.] vult tonitru fieri ex nubium concursu ventis contra pugnantibus. Aristot. lib. 2. *meteor.* air tonitru esse sonitum, aut crepitum plagæ, quam gignit calor per vim ruens & incidens in eas nubes, quibus inclusus continetur. SVBLIME VOLANTES] sic sup. lib. 2. *Nocturnasque facies cæli sublime volantes.* NEC FIT ENIM SONITVS] contra Horat. od. 34. lib. 1. *nanque Diespiter Plerunque per purum tonanteis Egit equos, volucrumque currum.* Idem Lucretius infra negat fulmina cælo sereno, aut leuiter densis nubibus mitti, ibi: *nam cælo nulla sereno Nec leuiter densis mittuntur nubibus vnquam.* DENSO SVNT AGMINE] denso actu, & quasi ductu. Idem lib. 5. *inde super terras fluit agmine dulci.* Virgil. lib. 3. *Georg. confertoque agmine cerui Torpent mole noua.* Idem lib. 2. *Aeneid. has seruant agmine densa.* NAM AVT CADERE ABRVPTO] sic reposui secutus & codices manuscr. & nonnullos vulgatos, in his Aldinos antiquiores, & Parisienseis. *abrupto pondere* autem sic dictum, ut illud Virgil. *Æn. 3. abrupti nubibus ignes.* sic Plin. lib. 2. cap. 48. *Desert hic aliquid abruptum è nube gelida conuolvens, versansque, &c.* & ipse Lucret. lib. 1. *Nunc hinc, nunc illinc abrupti nubibus ignes.* PATVLI SVPER AEQ. M.] super mundi planitiem. CARBASVS VT QVOND.] quemadmodum interdum velum theatris intentum sonitum edere solet, quidam legunt magnis intenta trachelis, existimantes Lucretium hoc loco vela significare autennis alligata (trachelum enim media pars mali est) cum ea vela significet potius, quæ solebant theatris prætendi solis, aut imbris arcendi causa, ut apparet ex illis

versibus, qui leguntur lib. 4. *Et volgè faciunt id huius, rursusque vela, Et ferrugi-
na, cum magnis intentis theatris Per malos, &cet.* Namque ibi confessum, &cet.
DAT CREPITUM MVRVS INTER] sic aliquot lib. manuscr. &
nonnulli vulgati: in his Veneti antiq. & Paris. Alij habent, malos inter.
PETVLANTIBVS EVRIS] alias petulantibus auris. COMMEDITA-
TVR] tralatio. sic Horat. od. 14. lib. 4. *horrendamque cultis Diluuiem medita-
tur agris. PLANGUNT] verberat. RADENTES CORP. TRACT.]*
sui corporis tractum, & extremitate radentes. ARIDVS VNDE AVR.]
profert hunc versum Nonius in voce aridus. EXIERIT DON. REG.]
donec calor ille & ignis compressus eruperit è nubibus. PROCELLA]
καταιγίς, vel ἀνεπίαις ἀέρος. NVBIBVS INTORSIT SESE] in nubis
sefe induit, atque insinuauit: sese nubibus inuoluit. EGIT, VTI SPIS-
SO CAVA, &c.] id est vno verbo, inflat. DAT MISSA] procella emis-
sa edit fragorem. NEC MIRVM, CVM PLENA] sic Varro Andabatis.
Anima vt conclusa in vesica quādo est arctè ligata, si perculeris, aëra reddet. Horat.
saty. 8. lib. 1. *Nam displosa sonat quantum vesica, pepèdi. Diffusa nate ficus.* Et Epi-
curus apud Laërt. *Βρονταὶ ἐν δὲ χεῖρας γίνεσθαι καὶ πνεύματος ἐν τοῖς κοιλώμασι τῶν νε-
φῶν αὐτοῖσιν, καὶ δὲ περὶ ἐν τοῖς ἡμετέροις ἀγγείοις παρὰ πύλῃσιν πνεύματα τοῖσιν βομβῶν
ἐν αὐτοῖσιν, &c.* id est tonitru autem fieri potest ex spiritu in nubis cauas in-
uoluto, atque intorto, quemadmodum in vas nostris ab igni inflatis edi spi-
ritum videmus. DISPLOS A] vltus est eadem voce Horatius cum de ea-
dem re loqueretur, in eò versu, quem proximè protuli: & idem Lucret. in-
frà. *displosa repente Opprimere vt cali videantur templa supernè.*

*Est etiam ratio cum venti nubila perflant,
Cur sonitus faciant, etenim ramosa videmus
Nubila saepe modis multis, atque aspera ferri.
Scilicet vt crebram siluam cum flamina Cauri
Perflant, dant sonitum frondes, rami que fragorem.
Fit quoque, vt interdum validi vis incita venti
Perfringat nubem perfringens impete recto:
Nam quid possit ibi flatus, manifesta docet res:
Hic, vbi lenior est, in terra cum tamen alta
Arbusta enolvens radicibus haurit ab imis.
Sunt etiam fluctus per nubila, qui quasi murmur
Dant infringendo grauiter, quod item fit in altis
Fluminibus, magnoque mari, cum frangitur aestu.
Fit quoque, vbi è nube in nubem vis incidit ardens
Fulminis, hæc multo si sorte humore recepit*

*Ignem, vt continuè magno clamore trucidet.
Vt calidis candens ferrum è fornacibus olim
Stridit, vbi in gelidum properè demersimus imbrem.
Aridior porrò si nubes accipit ignem,
Vritur ingenti sonitu succensa repente:
Lauricomos vt si per monteis flamma vagetur,
Turbine ventorum comburens impete magno.
Nec res vlla magis, quàm Phæbi Delphica laurus
Terribili sonitu flamma crepitante crematur.
Denique sæpe geli multus fragor, atque ruina
Grandinis, in magnis sonitum dat nubibus altè.
Ventus enim cum confereat, franguntur in arctum
Concreti montes nimborum, & grandine misti.*

CVR SONITVS F.] sic restitui, cum libri & manuscripti, & typis ex-
cusi mendosi essent, neque inter se congruerent. Est etiam ratio (inquit)
quam obrem venti cum nubis perflant, sonitus edant. hoc demonstrat à
simili. FLAMINA CAURI] Caurus, seu Corus ventus est spirans ab
occasu æstiuo: quem Græci ἀπὸ βύσσου appellant. VALIDI VIS INCITA
V.] vis incita, vis incitata. sic lib. 1. *Principio venti vis verberat incita pontum.* &
lib. 5. *Multa videmus enim cælestibus incita flammis Fulgere.* & hoc lib. infrà. *Est
etiam cum vis extrinsecus incita venti, &c.* IMPETE] impetu, vt lib. 2. *Trans-
mittunt valido quatientes impete campos: itemque supra & infrà complurib. lo-
cis. HIC VBILENIOR EST, &c.]* ordo est. Cum tamen hic nempe in
terra, vbi lenior est, quàm in regione aërea, & in partibus mundi supernis,
arbores radicitus euellat. cum iunxit cum indicatio: quod M. Tullio & bo-
nis scriptoribus vsitatum est: tamen si secus existimet vulgus. QVOD
ITEM FIT] nam in fluminibus magnis magni saepe fluctus excitantur.
MAGNO CLAMORE TRVC.] tralatio est, nisi forte legendum sit clan-
gore: quod quibusdam videtur. OLIM] aliquando. STRIDIT] Stridit à
strido is. tertiar. sic apud Horat. sat. vlt. lib. 2. *Stridere secreta diuisos aure susur-
ros.* ACCIPIT IGNEM] sic suprà lib. 5. locutus est. *Accipere ex vna scin-
tilla incendia passim.* LAURICOMOS] laurus vestitos & coopertos. NEC
RES VLLA MAGIS] *Laurus* (inquit Plin. lib. 15. cap. vlt.) *manifestè abdicat
igneis crepitu, & quadam detestatione interaneorum etiam vitià ligno torquente. Ti-
berium principem tonante cælo coronari ea solitum ferunt contra fulminum metus.*
DELPHICA LAVRVS] Duo laurus genera tradidisse Catonem scribit
eodem loco Plinius, Delphicam & Cypriam: Pompeium Lenæum adiecif-
se, quam mustacem appellauit. sed dici potest laurum Delphicam à Lucre-
tio appellari, quasi Apollineam, quod Apollini Delphico sacra sit. FLAM-

MA CREPITANTE] sic Virg. Georg. lib. 1. *Atque leuem stipulam crepitan-*
tibus vrere flammis. notat Macrobius Saturn. lib. 6. cap. 4. GELI] gelus li. & ge-
lu, lu. (inquit Non.) sic supra lib. 5. *Asiduus geli casus mortalibus aufert.* &
alibi. *Et vis magna geli, magnum duramen aquarum.* CONFERCIT] cōplet,
& condensat nubeis.

**Fulgit item, nubes ignis cum semina multa
Excussere suo concursu, ceu lapidem si
Percutiat lapis, aut ferrum. nam tum quoque lumen
Exilit, & claras scintillas dissipat ignis.
Sed tonitrum fit vti post auribus accipiamus,
Fulgere quàm cernant oculi, quia semper ad aureis
Tardius adueniunt, quàm, visum quæ moueant res.
Id licet hinc etiam cognoscere, cedere si quem
Ancipiti videas ferro procul arboris auctum:
Antè sit vt cernas ictum, quàm plaga per aureis
Det sonitum: sic fulgorem quoque cernimus antè,
Quàm tonitrū accipimus, pariter qui mittitur igni,
E simili causa, & concursu natus eodem.
Hoc etiam pacto volucris loca lumine tingunt
Nubes, & tremulo tempestas impete fulgit,
Ventus vbi inuasit nubem, & versatus ibidem
Fecit vt antè cauam docui spissescere nubem:
Mobilitate sua feruescit, vt omnia motu
Percalēfacta vides ardescere: plumbea verò
Glans etiam longo cursu voluenda liquefcit.
Ergo feruidus hic nubem cum percudit atram:
Dissipat ardoris quasi per vim expressa repente
Semina, quæ faciunt nictantia fulgura flammæ:
Inde sonus sequitur, qui tardius adlicit aureis,
Quàm quæ perueniunt oculos ad lumina nostros.**

FVLGIT ITEM] Nunc de fulgure, quod ἀστραβή nominant Græci.
Fulgit autem legendum, non fulget: & ita Nonius, sic lib. 5. *Multa videmus
enim cælestibus incita flammis Fulgere.* idem infra, *Fulgit item cum rarefcunt quo-
que nubila cæli.* IGNIS CVM SEMINA] Aristot. lib. 2. μετεωρ. fulgur

vult esse ventum è nubibus expressum, tenui & inualido incendio inflam-
marum. CEVLAPIDEM SI PERCVT. LAP.] (sup. lib. 1. *Cum lapidi la-
pidem terimus, mutare calorem.* quanquam Adrianus Turnebus in illo versu le-
ctiōnem vulgatā retinet, *manare cruorem*, & genus molēdi significari arbi-
tratur. SED TONITRVM FIT VTI, &c.] Aristot. eod. lib. γίνεται δὲ
μετὰ τὴν πληρῶν ἢ ὑπερῶν τῆς βροχῆς: ἀλλὰ φαίνεται περὶ πρῶτον διὰ τὸ τὴν ὑπερ-
βίην τῆς ἀκροῦς: id est, fit autem fulgur, seu fulgitrum post plagam, & posterius
quàm tonitru. sed cernitur prius propterea quòd videndi sensus celerior &
acrior est, quàm auditus. ADVENIVNT] res quæ auditu sentiūtur. CAE-
DERE SI QVEM] vitur alio exemplo Aristot. illo eod. loco, nempe re-
migationis, his verbis. ἀλλοὶ δ' ἡ εἰρησία τῶν τριήρων. ἥδη γὰρ ἀναφερόντων πάλιν τὰς
κάπας, ὁ πρῶτος ἀφικνεῖται. ἴσθρος τῆς κοπιλάσας. declarat autem triremium remi-
gium. Iam enim iterum remigibus remos attollentibus, primus ad aureis
sonitus peruenit. ARBORIS AVCTVM] arboris augmen: arborem.
PER AVREIS] alibi legitur *per auras.* BVLGOREM] fulgur. nam (vt
alibi diximus) alterum pro altero sumitur. PARITER QVI MITT.]
pariter igni, id est in eodem tempore, atque ignis. HOC ETIAM PA-
CTO] aliam causam affert fulguris. VOL. LOCA LVGINE TING.]
nubes tingunt loca lumine: id est illustrant, & quasi colorant. sic lib. 5. *Per-
ueniunt nostros ad sensus, & loca tingunt.* FECIT, VT ANTE CAVAM
DOC.] ordo est. fecit spissescere nubem, vt antè docui. hoc autem docuit
eod. lib. paullo antè. ibi *Cum subito validi venti conlecta procella Nubibus intor-
sit sese, &c.* PLUMBEA VERÒ GLANS ETIAM] sic infra. *Non alia lō-
ge ratione ac plumbea sape, &c.* VOLVENDA] volubilis, vel dū voluitur, vt
sup. lib. 5. *Ei voluenda atas commutat tempora rerum.* NICTANTIA] Nicta-
re (inquit Festus) est *oculorum & aliorum membrorum nisu sape aliquid conari.*
vide cetera apud eundem, & Paullum. Sed hinc nictantia translate positum videtur
pro micantia, seu vibrantia. ADLICIT AVR.] laecsisit & prouocat audien-
di sensum. OCVLVS AD LV. NOSTROS] ordo est, *quàm lumina,*
quæ ad oculos nostros perueniunt. sic autem legi debet, vt ego excudendum cu-
raui, non vt vulgò legitur, *oculorum ad lumina nostra.*

*Scilicet hoc densis fit nubibus, & simul altè
Exstructis aliis alias super impete miro.
Nec tibi sit fraudi, quòd nos infernè videmus,
Quàm sint lata magis, quàm sursum extructa quid extent.
Contemplator enim cum montibus adsimilata
Nubila portabunt venti transversa per auras:
Aut vbi per magnos monteis cumulata videbis
Insuper esse aliis alia, atque vrgere superna
In statione locata sepultis vndique ventis:
Tum poteris magnas moleis cognoscere eorum:*

Speluncasque velut saxi pendentibus structas
 Cernere, quas venti cum tempestate coorta
 Complerunt, magno indignantur murmure clausi
 Nubibus, in caueis que ferarum more minantur.
 Nunc hinc, nunc illinc fremitus per nubila mittunt:
 Quarentesque viam circumuersantur: & ignis
 Semina conuoluunt è nubibus: at que ita cogunt
 Multa, rotant que cauis flammam fornacibus intus,
 Donec diuolsa fulserunt nube corusci.
 Hac etiam sit uti de causa mobilis ille
 Deuolet in terram liquidi color aureus ignis,
 Semina quod nubeis ipsas permulta necessest
 Ignis habere, etenim cum sunt humore sine vilo,
 Flammeus est plerumque colos, & splendidus ollis.
 Quippe etenim solis de lumine multa necessest
 Concipere, ut merito rubeant, igneis que profundant.
 Hasce igitur cum ventus agens contrusit in vnum,
 Compresst que locum cogens: expressa profundunt
 Semina, que faciunt flammæ fulgere colores.
 Fulgit item, cum rarefscunt quoque nubila cæli.
 Nam cum ventus eas leuiter diducit eunteis,
 Dissoluit que: cadant ingratiis illa necessest
 Semina, que faciunt fulgorem. tum sine tetro
 Terrore, & sonitu fulgit, nulloque tumultu.

ET SIMVL ALTE EXTRUCTIS] id est, & simul alrè exaggeratis, & coaceruatis. sic loquitur inf. Fulmina gignier è crassis, altè que putandum est Nubibus extructis. NEC TIBI SIT FRAVDI, &c.] nec te decipiat, vel, & non te inducat, quòd ex locis infernis magis cernimus, quàm late pateant nubila, quàm quanta sint altitudine, & quàm in altum, & sursum versus exaggerata. inferne, id est ex terra, ex loco infimo, seu inferno: neque verò est, quòd quenquam moueat vltima syllaba correpta. est enim breuis: & ita de supernè sentiendum: vt lib. 4. & recta superne gubernata. Veruntamen non dissimulabo in quibusdam lib. legi inferni: quam lectionem si probabimus, paullo aliter hunc locum explicabimus. QVAM SVRSVM, &c.] ordo, quàm quid extent sursum extructa, id est, quàm quantum extent sur-

sum

sum versus spissa & densa. quòd si quis malet legi inferna, totum hunc locum sic declarabo. Et non te decipiat, quòd nos magis videmus, quàm sint lata inferna, id est infernæ nubium partes, quàm sursum extructa, id est ex partes que sunt sursum versus extructæ, quid extent, id est quantum eminent. CONTEMPLATOR ENIM] sup. lib. 2. Contemplator enim cum solis lumina cunque, &c. SPELVNCA S QVE VELVT SAX. P. STR.] M. Tull. lib. 1. Tuscul. quæst. ex nescio quo poeta: per speluncas saxi structas asperis pendentibus, maximis. TEMPESTATE COORTA] sic loquitur & Cæsar lib. 7. de bello Gall. quòd magna subito erat coorta tempestas. Idem Lucret. lib. 1. Aut ita diffugient, vt tempestate coorta, &c. idem infr. Vsq̄ue aded donec tempestas scna coorta sit. MAGNO INDIGN. MVRM. CL.] Virgil. lib. 1. Eneid. Illi indignantes magno cum murmure, montis Circum claustra fremunt. HAC ETIAM] alia causa fulguris, quia nubes multa in se ignis semina contineant. LIQVIDI] lucidi, vel puri, vel effusi & abundantis. Macrobb. lib. 6. Saturn. cap. 5. PLERVQVE COLOS] vtraque sunt vsitata color, honor, timor, labor, vapor, odor: colos, honos, timos, labos, vapos. Nonius in voce vapos, odos. QVIPPE ETENIM SOLIS DE LVM.] hanc sententiam tangit, & refellit Aristot. lib. secundo μεταωρ. Καίτοι τινες λέγουσιν, ως ει τῆς νέφουσι ἐγγινεῖ πῦρ. τὸ το δὲ Εμπεδοκλῆς μὲν φησὶν εἶναι τὸ ἐμπεδαμβαμβουον οὐ τὸ τῆς ἡλίου ἀκτῖνον: Ἀναξαγόρας δὲ τὸ ἀπὸ τῆς αἰθέρας, ὃ δὴ ἐκεῖνος καλεῖ πῦρ, κατερεχθέν ἀπὸ τῶν ἀστῶν. id est, Atqui aiunt nonnulli in nubibus ignem innasci. hunc autem ignem Empedocles quidem dicit esse eum, qui comprehenditur & concipitur ex radiis solis: Anaxagoras autè ex supremo æthere (quem ille ignè appellat) supernè deorsum delatum, &c. HASCE IGITUR] sic habent libri ferè omnes manuscr. & nonnulli vulgati: alij Has igitur. EXPRES-SA] ἐκπεδημένηα. FVLGIT ITEM] hunc versum profert Nonius in verbo fulgit. Alia causa fulguris, non cuiuslibet, sed eius, quod fit sine terrore. INGRATIIS] aduerbium, quod valet inuitè, & velint nolint: vt sup. lib. 3. in extr. ingratiis haret & angit. est autem vtrouique trisyllabum. apud Terentium autem Heautont. quattuor syllabarum Protervisti hinc. ea coacta in gratiis, &c.

Quod superest, quali natura prædita constent
 Fulmina, declarant ictus, & inusta vapore
 Signa, notæque graueis halantes sulfuris auras.
 Ignis enim sunt hæc, non venti signa, neque imbris.
 Præterea per se accendunt quoque tecta domorum:
 Et celeri flamma dominantur in adibus ipsis.
 Hunc tibi subtilem cum primis ignibus ignem
 Constituit natura minutis, mobilibusque
 Corporibus, cui nil omnino obsistere possit.
 Transit enim validè fulmen per septa domorum:

PPp

Clamor uti, ac voces: transit per saxa, per aera:
 Et liquidum puncto facit aë in tempore, & aurum.
 Curat item ut vasis integris vina repente
 Diffugiant: quia nimirum facile omnia circum
 Conlaxat, rareque facit lateramina vasis,
 Adueniens calor eius, ut insinuatur in ipsum: &
 Mobiliter soluens differt primordia vini:
 Quod solis vapor aetatem non posse videtur
 Efficere, usque adeo pollens feruore corusco:
 Tanto mobilior vis, & dominantior hæc est.

QVOD SVPEREST, QVALI] Nunc de fulminis natura, eiusque mobilitate. Et ait declarari fulmen natura esse ignea ex eo quod loca fulmine tacta odorem sulfuris mittant, & quod atra sint quasi calore inusta. hinc locum autem in integrum restitui partim offensus scriptura vulgata, quæ est, Quod superest quod sic: partim ab vno codice manuscr. admonitus, in quo scriptum reperi, Quod superest, quasi: ex quo feci Quod superest, quali, & c. quæ lectio sine dubio recta & vera est. NOTAE QVE GRAVEIS HALANTE] ordo: notæque halantes, id est exhalantes auras graueis & tetras, & sulfureas. vitiose autem habet quidam vulgati lib. halanteis. TRANSIT ENIM VALIDE] cod. Memm. habet Transit enim validum fulm. CLAMOR VTI, AC VOCE S] sic habent tres lib. manuscripti, Vaticanus, Terhianus, Memmianus: & ita legi debet: tantum apponendum est comma post nomen voces, ut verbum transit cohæreat cum voce fulmen, & sit ἐπὶ τῶν φωνῶν, hoc modo fulmen transit per septa domorum, trāsit per saxa, per aera, quemadmodum clamor & voces. ad hunc locum pertinent illa lib. i. Inter septa meant voces, & septa domorum Transuolitant. ibidem, Transit enim fulmen celi per septa domorum, Clamor uti, ac voces. Sed quæri potest quamobrem tanta vis insit in fulmine, tantæque mobilitas. primum ventus est. ventus autem mobilis est. deinde ventus est incensus: ignea autem omnia mobilia sunt. deinde è nubibus magno impetu exprimitur: at quæ exprimentur, quæ erumpunt, celerrime & validissimè euolant, ut quæ è tormentis missa ferri videmus: quod & Lucret. postertus testatur ibi. Inde ubi non potuit nubes capere impetis auctum, Exprimitur vis, atque idè volat impete miro, Vt, validis quæ de tormentis missa feruntur. motus autem calorem auget. Ita fit ut ignis fulmineus sit & subtilissimus, & celerrimus, & validissimus: saxa discutiat, aut penetret: æs & aurum & similia liquefaciat: solo denique contactu, atque adeo afflatu animanteis interimat, & similia auditu mira faciat. ET LIQUIDUM PUNCTO] Et clypei æs, aut ferrum liquefacit: lignum nullo damno afficit (inquit Aristot. lib. 3.) propterea quod natura ligni rara & mollis est: hæc metalla autem dura & solida sunt: fulmen autem per lignum & similia permeat ac permeat prius quàm in ea vim suam expromat: dura verò, & ob-

stantia, & remorantia vel discutit ac disturbat, vel consumit ac liquefacit. Plin. lib. 2. cap. 51. Aurum & æs, & argentum liquatur intus sacculis ipsis nullo modo ambustis. CVRAT ITEM] tralatio est. sic sup. lib. 3. calidique vaporis Semina curare in membris ut vita moveatur. VT VASIS INTEGRIS] sic & Plin. lib. eod. Tertium fulminis genus est, quod clarum vocant, mirifica maxime natura, quo dolia exhauriuntur intactis operimentis, nulloque alio vestigio relicto. DIFFUGIANT] tralatio illustris, & tamen vsitata, pro eo quod est diffusant, & dilabantur. idem lib. i. in extr. ad flammam transtulit. Ne volucrum ritu flammarum mœnia mundi Diffugiant subito, & c. in eodem libr. sup. ad fulmina, ad imbreis & ad ventos: Aut ita diffugient, ut tempestate coorta Fulmina diffugere, atque imbreis, ventisque videmus. LATRAMINA VASIS] cum sic habere animaduertierem libros omneis manuscriptos, vulgatos autem latera omnia, diu multumque dubitavi, vtram lectionem probarem. ad extremum lectionem veterem sequi malui, idque tutius esse iudicavi. Accessit quo facilius hanc scripturam probarem, quod vasa vinaria, cum sint fere rotunda, latera non habent: lateramina autem, id est lateres habent, cum sint fistilia, & ex terra cõsent. AVT IN SIN VATVR] id est vbi, vel cum insinuatur. AETATEM] longissimum tempus, diutissimè: sic Plautus Amphitr. eo modo, ut profecto viuas aetatem miser. idem Curculione, sed viues per me aetatem quidem. Idem Pseudulo. do Iouem testem tibi, te aetatem impune habiturum. Idem Pœnulo. Bono si quid malefacias, aetatem expetit. Sic & Terent. Eunu. an abiit à milite? C. Iandudum, aetatem. Idem Heautont. Quid? (malum) me aetatem censet velle id ad simularier? Vnus est dies, dum argentum eripio, pax, nihil amplius. vbi tamen vulgò legitur. Quid? malum, me tandem. idem Hecy. Nam neque ille hoc animo erit aetatem: neque pol tu eadè istac aetate. VSQVE ADEO POLLENS] sic restitui à quinque libris manu scriptis admonitus, in quorum tribus scriptum est tollens, in duobus tellem. ET DOMINANTIOR] & potentior, ἐγχατρεῖς ἐξ, κρείττων, κωειωτέα. HÆC] vis fulminis.

Nunc ea quo pacto gignantur, & impete tanto
 Fiant, ut possint ictu discludere turreis,
 Disturbare domos, auellere tigna, trabesque,
 Et monimenta virum demoliri, atque ciere,
 Exanimare homines, pecudes prosternere passim,
 Cetera de genere hoc, qua vi facere omnia possint,
 Expediam, neque te promissis plura morabor.
 Fulmina gignier è crassis, altèque putandum est
 Nubibus exstructis, nam calo nulla sereno,
 Nec leuiter densis mittuntur nubibus vnquam.
 Nam dubio procul hoc fieri manifesta docet res,
 Quòd tunc per totum concrescunt aëra nubes

Vndique, vti tenebras omneis Acherunta veamur
 Liquisse, & magnas cæli compleſſe cauernas:
 Vſque ad eam tetra nimborum nocte coorta
 Impendent atræ formidinis ora ſupernè,
 Cum commoliri tempeſtas fulmina cœptat.
 Præterea per ſæpe niger quoque per mare nimbus,
 Vt picis è cælo demiffum flumen, in vndas
 Sic cadit, & fertur tenebris procul, & trahit atram
 Fulminibus grauidam tempeſtatem, atque procellis,
 Ignibus, ac ventis cum primis ipſe repletus,
 In terra quoque vt horreſcant, ac tecta requirant.
 Sic igitur ſupera noſtrum caput eſſe putandum eſt
 Tempeſtatem altam. neque enim caligine tanta
 Obruerent terras, niſi in ædificata ſupernè
 Multa forent multis exempto nubila ſole:
 Nec tanto poſſent hæc terras opprimere imbri,
 Flumina abundare vt facerent, campôſque natæ,
 Si non extractis foret alæ nubibus æther.

AVELLERE TIGNA,] ſic reſpoſui ſecutus ſcripturæ veteris non obſcura veſtigia. nam libri vulgati habent ligna. MONIMENTA] vt ſtatuas, ſepulchra, tropæa, porticus, theatra, templa, arcus triumphaleis, & ſimil. DEMOLIRI] quidam libri ſcripti habent commoliri. ego ſcripturam vulgatam retineo. NE QVE TE IN PROMISSIS PL. M.] ſic ſup. lib. 5. Quod ſuper eſt, ne te in promiſſis plura moremur, &c. vbi admonuimus à quibusdam viris doctis legi, ne te promiſſis, &c. PLVRA] amplius. ALTE- QVE PVT. EST NVB. EXSTRVCTIS] ſic legendum, non vt in quibusdam lib. extractis, neque vt in nonnullis, extruſis. alæ extractis autem, id eſt, alte exaggeratis, & denſis. ſic M. Tull. dixit lib. 2. de leg. ſepulchrum alius extruere. idem 5. Tuſcul. tranſlatè menſe conquiſitiſſimis epulis extruebantur: & Horat. ſaty. 6. lib. 2. Quæ procul extruſtis inerat hæſterna caniſtris. NAM CÆ- LON. S.] nam eadem eſt venti, terræ motus, tonitrus, & fulminis materia, & (vt ita dicam) eſſentia, nempe ſicca exhalatio, vt ſcribit Ariſtoteles lib. 2. meteor. in extr. ex hac enim ſuper terram quidem fit ventus: in terra autè, ſeu ſub terra, terræ motus: in nubibus verò vel imber, vel tonitrus, vel procella, vel fulmen. VNDI QVE VTI TENEB. OMN.] quattuor verſus, qui deinceps ſequuntur, ſuprà poſiti ſunt lib. 4. non longè à princip. DEMISSVM FLVMEN] ſic legendum, non demiffum fulmen. nigrum enim

nimbium expreſſit ſimilitudine fluminis picis è cælo demiffi. HORRE- SCANT] homines AC TECTA REQVIRANT] immò etiam ſpe- cus ſubeant. quod de Tiberio traditum eſt. INAEDIFICATA] exagge- rata, & exſtructa. tralatio eſt. propriè uſurpauit Cæſar lib. 1. de bello ciuili. portas obſtruit, vicos, plateâſque inædificat, ſoſſas tranſuerſas in viis perducit. & M. Tull. orat. de aruſp. reſp. in domo tua eſt inædificatum ſacellum. quanquàm hoc proximum exemplum aliquantum à ſuperiore diſcrepat. NEC TANTO POSS. HÆC TERR.] ſecutus ſum codices vulgatos. nam manu ſcripti habent, Nec tanto poſſent venientes opprimere imbri: vnde quidam ſuſpiciantur legendum viuentis, id eſt animanteis. hæc autem, videlicet fulmina. ne illud quidem omittendum, quibusdam videri legendum & ſuprà, Obrueret terras, &c. vt ſubintelligatur vox, tempeſtas: & hîc, Nec tanto poſſet terras hæc oppr. imb. &c. & verſu ſeq. Flum. abund. vt faceret. CAMPÔS QVE NATARE] hoc eod. lib. infrà quid vndas Arguit, & liquidam molem, campôſque natanteis? & lib. 5. Augebat mare manando, campôſque natanteis.

His igitur ventis, atque ignibus omnia plena
 Sunt: idè paſſim fremitus, & fulgura fiunt.
 Quippe etenim ſupera docui permulta vaporis
 Semina habere cauas nubeis: & multa neceſſe eſt
 Concipere ex ſolis radiis, ardoreque eorum.
 Hic vbi ventus eas idem, qui cogit in vnum
 Forte locum quemuis, expreſſit multa vaporis
 Semina, ſèque ſimul cum eo commiſcuit igni:
 Inſinuatus ibi vortex verſatur in alto,
 Et calidis acuit fulmen fornacibus intus.
 Nam duplici ratione accenditur. ipſe ſua nam
 Mobilitate caleſcit, & è contagibus ignis.
 Inde, vbi percaluit vis venti, vel grauis ignis
 Impetus inceſſit: maturum tum quaſi fulmen
 Perſcindit ſubitò nubem, ferturque coruſcis
 Omnia luminibus luſtrans loca percitus ardor.
 Quem grauis inſequitur ſonitus, diſploſa repente
 Opprimere vt cæli videantur templa ſupernè.
 Inde tremor terras graniter pertentat, & altum
 Murmura percurreunt cælum. nam tota ferè tum
 Tempeſtas concuſſa tremit, fremituſque mouentur.

*Quo de concussu sequitur grauis imber, & vber,
 Omnis vti videatur in imbrem vertier aether:
 Atque ita præcipitans ad diluuiem reuocare:
 Tantus discidio nubis, ventique procella,
 Mittitur ardenti sonitus cum prouolat ictu.*

QUIPPE ET ENIM SUPRA] paucis antè versibus: ibi *Hac etiam fit vti de causa mobilis ille Denolet in terram, &c.* HIC VBI VENTVS, EAS IDEM] ordo: Vbi igitur hic idem ventus, qui eas in vnum quemuis locum fortè cogit, expressit, &c. SEQVE SIMVL CVM EO] in præpositione cum. m non eliditur. quod neque huic scriptori, neque aliis nonnullis est inusitatum, vt aliàs admonuimus. IPSE SVA NAM MOB.] libri vulgati habent: *ipse sua cum, &c.* quidam legunt *ipse sua que.* E] CONTAGIBVS] contagibus à singulari contages: quo vtitur sup. lib. 3. *Et mala multa animus contagi fungitur eius.* & 4. *Quæ contage sua palloribus omnia pingunt.* & infra. *contagibus ibant.* MATVRVM TVM QVASI] tum fulmen quasi maturum, quippe vbi ventus percaluit vel suo motu, vel igne foris concepto, (fulmè enim nihil ferè aliud est, quàm ventus incensus, vt suprà diximus) tum, inquam, percindit subito nubem, &c. QVO DE CONC. SEQ. GR. IMB. ET VB.] hunc versum profert Priscian. lib. 5. DISCIDIO] sic habent lib. manuscripti. discidium autem à verbo discindo natum est, de quo suprà diximus.

*Est etiam cum vis extrinsecus incita venti
 Incidit in validam maturo fulmine nubem:
 Quam cum percudit, extemplo cadit igneus ille
 Vortex, quod patrio vocitamus nomine fulmen.
 Hoc fit idem in parteis alias, quocumque tulit vis.
 Fit quoque, vt interdum venti vis missa sine igni,
 Ignescat tamen in spatio, longoque meatu,
 Dum venit, amittens in cursu corpora quadam
 Grandia: quæ nequeunt pariter penetrare per auras:
 Atque alia ex ipsi conradens aère portat
 Paruula, quæ faciunt ignem commista volando.
 Non alia longè ratione, ac plumbea sepe
 Feruida fit glans in cursu, cum multa rigoris
 Corpora dimittens, ignem concepit in auris.
 Fit quoque, vt ipsius plagæ vis excitet ignem:*

*Frigida cum venti pepulit vis missa sine igni:
 Nimirum quia cum vehementi perculit ictu,
 Confluere ex ipso possunt elementa vaporis:
 Et simul ex illa, quæ tum res excipit ictum.
 Vt lapidem ferro cum cædimus, euolat ignis:
 Nec quòd frigida vis sit ferri, hoc secius illa
 Semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum.
 Sic igitur quoque res accendi fulmine debet,
 Opportuna fuit si fortè, & idonea flammis.
 Nec temerè omnino planè vis frigida venti
 Esse potest, ex quo tanta vi immissa superne st:
 Quin prius in cursu si non accenditur igni:
 At tepe facta tamen veniat commista calore.*

EST ETIAM CVM VIS] est cum, est quando, more Græcorum dictum, *ἔστιν ὅτε*: quod valet aliquando, & interdum. hoc igitur dicit Lucretius. Interdum etiam vis venti extrinsecus incita: id est incitata, &c. IGNEVS ILLE VORTEX, QVOD P.] non temerè additum est igneus. nam si esset vortex sine igne è nube percussa abruptus, non esset fulmen, sed *ῥέπος*: id est vibratus *ἄνεμος*, seu vibrata procella: cui rei testimonio est Plin. lib. 2. cap. 43. his verbis. *Sin verò depresso sinu arctius rotati flatus nubem effregerint sine igne: id est sine fulmine, vorticem faciunt, qui typhon vocatur, id est vibratus ecnephus.* neque ab his admodum discrepant quæ leguntur apud Arist. lib. 3. meteor. cap. 1. QVOD PATRIO VOCIT.] cod. Memmianus habet quod Latio vocitamus nom. fulm. Græci autem *καεγωῦν* appellant. HOC FIT IDEM] sic complures lib. manuscripti, & aliquot vulgati: in his Parisienses. alij habent, *Hoc fit idem.* CONRADENS] colligens, sumens, conquiritens, petens. sic infr. *vortex Conradens ex aère semina nubis.* sup. lib. 1. translate posuit *fidè dictis conradere nostris.* NON ALIA LONGE R. AC PL.] sic sup. *plumbea verò Glans etiam longo cursu voluenda liquecit.* RIGORIS] id est rigoris, vt sup. lib. 5. *Brumaleis vsque ad flexus, gelidumque rigorem.* & inf. *Prima caloris enim pars, & postrema rigoris.* VT LAPIDEM FERRO CVM CAEDIMVS] sup. cod. lib. *ceu lapidem si Percutiat lapis, aut ferru.* OPPORTVNA FVIT S. F. &c.] si forte fuit apta ad ignem accipiendum. NEC TEMERÈ OMNINO, &c.] id est, nec omnino sine magna causa, aut ratione ventus frigidus esse potest, ex quo tempore, seu ex quo loco tanta vi immisus est.

*Mobilitas autem sit fulminis, & grauis ictus:
 Et celeri fermè pergunt sic fulmina lapsu,*

Nubibus ipsa quod omnino prius incita se vis
 Conligit, & magnum conamen sumit eundi.
 Inde, ubi non potuit nubes capere impetis auctum:
 Exprimitur vis, atque ideò volat impete miros:
 Ut validis quæ de tormentis missa feruntur.
 Adde quod è paruis, ac læuibus est elementis:
 Nec facile est tali naturæ obsistere quicquam.
 Inter enim fugit, ac penetrat per rara viarum.
 Non igitur multis offensibus in remorando
 Hæsitat, hanc ob rem celeri volat impete labens.
 Deinde, quod omnino natura pondera deorsum
 Omnia nituntur: cum plaga sit addita verò,
 Mobilitas duplicatur, & impetus ille grauescit:
 Ut vehementius, & citius quæcumque morantur
 Obuia discutiat plagis, itinèrque sequatur.
 Denique, quod longo venit impete, sumere debet
 Mobilitatem, etiam atque etiam quæ crescit eundo,
 Et validas auget vireis, & roborat ictum.
 Nam facit, ut quæ sint illius semina cunque
 E' regione, locum quasi in vnum cuncta ferantur,
 Omnia coniiciens in eum voluentia cursum.
 Forsan & ex ipso veniens trahat aëre quædam
 Corpora, quæ plagis intendant mobilitatem.
 Incolumèis que venit per res, atque integra transit
 Multa, foraminibus liquidis quia transuolat ignis.
 Multa que perfringit, cum corpora fulminis ipsa
 Corporibus rerum inciderint, qua texta tenentur.
 Dissoluit porrò facile æs, aurumque repente
 Conferuefacit, è paruis quia facta minutè
 Corporibus vis est, & læuibus ex elementis,
 Quæ facile insnuantur, & insnuata repente
 Dissoluunt nodos omneis, & vincla relaxant.

MOBI-

MOBILITAS] Nunc mobilitatis, quæ est in fulmine, causas affert. IN-
 CITA SE VIS] sic legèdum potius, quàm *insita*, si libris manuscr. fidem
 habemus. CONAMEN SVMIT] conatum sumit. sic loquitur, & infr. &
partem in quamquam conamina sumsit. IMPETIS AVCTVM] id est, im-
 petus magnitudinè, seu incrementum. EXPRIMITVR] eundè sèru. A D-
 DE, QVOD E' PARVIS, &c.] sic sup. lib. 2. *Dicere enim possis celestem ful-
 minis ignè Subtilè magis è paruis constare figuris, &c.* NEC FACILE EST TA-
 LIN. O.] sic paullo antè. *cui nil omnino obsistere possit.* PER RARA VIA-
 RV M] sic habent omnes libri vulgati: quibuscum congruunt quattuor libri
 manuscr. neque video quamobré quicquam immutare debuerit Marullus:
 qui reposuit *per opera viarum.* Nā significat (opinor) Lucretius fulmè pene-
 trare in corpora per raras vias, quæ scilicet insunt in corporibus nō solidis,
 sed raris, quale est lignum, nam quæ sunt solida, & dura vel discutit, & di-
 sturbat, vt saxa: vel liquefacit, vt aurum: vel comburit, vt ossa. DEINDE
 QVOD OMNINO, &c.] alia ratio mobilitatis fulminis: quæ sumitur ex
 eo quod supra probauit lib. 2. omnia corpora deorsum ferri, nulla sursum:
 ibi. *Nunc locus est (vt opinor) in his illud quoque rebus Confirmare tibi nullam rem
 posse sua vi Corpoream sursum ferri, sursumq; meare.* ITINERQVE SEQV.]
 profert hunc locum Notius in voce *itiner*: affertque testimonia aliorum
 antiquorum scriptorum, vt Turpil. in Thrasyl. *age, age, ingredere: atque vtinam
 istuc perpetuum itiner sit tibi.* & Pacuu. *Atalanta. dolet, pigetque magis, magisque
 me conatum hoc nequicquam itiner.* NAM FACIT] mobilitas. VT QVAE
 SINT ILL. S. CVN QVE] tmesis. quæcumque illius sint semina. illius,
 videlicet fulminis. E' REGIONE] directò, tollenda autem distinctio-
 nis nota est post vocem *regione.* OMNIA CONIIC. IN EVM V. C.]
 horum verborum ordo difficilis est. ego hunc esse puto. coniiciens ea (in-
 quam) mobilitas, omnia semina voluètia, id est volubilia, vt sit absolurum,
 quemadmodum lib. 5. *Multa que per calum solis voluentia lastra:* vel se conuol-
 uentia in eum cursum: vel sic: coniiciens omnia semina voluentia cursum,
 in eum locum. FORSAN ET EX IPSO] alia causa mobilitatis, nem-
 pe quia fulmè, dum fertur, quædam corpora ex aëre secum trahere potest,
 quæ augeant eius mobilitatem. At quæ alia ex aëre corpora trahere potest,
 quàm venti semina? Atqui Aristot. lib. 3. meteor. cap. 1. in extr. ait semper
 ventum esse comitem fulminis, sempèrque ei præire. cuius rei hoc argumè-
 tum affert, quod ea, quæ à fulmine iam iam tangenda sunt, prius quàm per-
 cutiantur, mouètur, vt pote vento prius in ea irruente. INTENDANT]
 amplificent, augeant. INCOLVMEIS QVE VENIT] nunc rationem
 exponit, quamobréin per quædam res integras & incolumèis transeat:
 quædam perfringat, ac disturber, aut liquefaciat ac dissoluat. vox *incolumèis*
 accusandi casus est, numeri multitudinis, non recti casus, numeri singularis.
 vt & *multa integra.* significat enim fulmen transire res multas integras. FO-
 RAM. LIQVIDIS] quia (inquit), ignis per foramina rerum liquida, id
 est patentia, & aperta transuolat: quod simile est, vt si diceret, ignem per
 res foraminosas, & raras transire, cuiusmodi sunt lignum, corium, vestis, &
 simil. Atque huius quidem scripturæ, quæ in omnibus ferè libris reperitur,

QQ 9

hæc sententia est. sed in quodam exemplo Basileæ impresso anno cio 10 xxxi, sic legitur, *foraminibus liquidus quia transuolat ignis*. quæ lectio si cui probabitur, hæc erit eius sententia, ignem liquidum, id est purum, & sincerum transire per foramina rerum, seu per res foraminosas, & minime solidas. Præterea non est celandus lector omneis libros manu scriptos habere, partim *quia transuolat ignis*, partim *quia trauiat ignis*. *MULTA QVE PERFRINGIT*] multa etiam perfringit fulmen, nempe dura, & solida, & resistentia: qualia sunt saxa, cum in talia corpora inciderit, qua parte texta cohærescunt. *QVA TEXTA TENENTVR*] id est, qua parte sunt densissima, ac solidissima. *DISSOLVIT PORRO FACILE AES*] ratio quamobrem æs & aurum à fulmine facile dissoluantur, & liquefiant. *VIS*] æris, & auri.

*Autumnôque magis stellis fulgentibus alta
Concutitur cæli domus vndique, totaque tellus:
Et cum tempora se Veris florentia pandunt.
Frigore enim defunt ignes, ventique calore
Deficiunt, neque sunt tam denso corpore nubes.
Inter vtrunque igitur cum cæli tempora constant:
Tum variæ causæ concurrunt fulminis omnes.
Nam fretus ipse anni permiscet frigus, & æstum.
Quorum vtrunque opus est fabricanda ad fulmina nobis,
Ut discordia sit rerum, magnôque tumultu
Ignibus, & ventis furibundus fluctuet aër.
Prima calor enim pars, & postrema rigoris,
Tempus id est vernum. quare pugnare necesse est
Dissimileis inter se res, turbareque mistas.
Et calor extremus primo cum frigore mistus
Voluitur, autumnî quod fertur nomine tempus.
Hic quoque confligunt hiemes æstatibus acres.
Propterea sunt hæc bella anni nominanda.
Nec mirum est, in eo si tempore plurima sunt
Fulmina, tempestasque cietur turbida cælo:
Ancipiti quoniam bello turbatur vtrunque
Hinc flammis, illinc ventis, humoréque misto.*

AUTVMNO QVE MAGIS] cur Autumnô & Vere crebriora sint tonitrua, & fulmina. *ALTA CONCUTITVR CÆLI DOMVS*] sup.

lib. 2. in extr. *Nubibus vt tenebras faciat, calique serena Concutiat sonitu*. *NAM FRETUS IPSE ANNI*] hunc versum profert Nonius, vt probet vtrûque esse vñtatam Latinis *fretum i.* & *fretus us.* mascul. gen. profert ille & hoc Varro. *Inter Italiam & Siciliam: qui est fretus inter Rhegium & Messanam.* restatur & Charisius, *hic fretus, huius fretus* vsurpatû esse ab antiquis: profertq; aliquot exempla ex Porcio Licinio, Messalla, & M. Tull. Idemque docet A. Gellius lib. 13. cap. 19. Errat igitur & Priscianus qui lib. 1. *fretu* positum esse à Lucretio pro *freto* scribit, quasi hic fretus, huius us, nõ sit in vsu, quod tamen idem fatetur lib. 5. & Marullus qui cum securus, legit hoc loco *Nang, frit ipse anni*. per fretum anni autem eas anni parteis, quæ sunt inter frigus & calorem interiectæ, significat, à similitudine maris angusti, inter duas terras, quod fretum propriè appellant Latini à feruendo: quia in talibus angustiis maximè mare efferuescit, atque æstuat. idem Lucret sup. lib. 1. *Angustoque fretu rapidum mare diuidit vndis*. *QVORVM VTRVNOVE OPVS EST*] opus est, id est necessarium est, vt lib. 2. *Scire licet nil principis opus esse colores:* & item sæpe. *PRIMA CALORIS ENIM*] prima calor pars à quo ætas incipit, & postrema rigoris: id est frigoris, in quod hiems definit, id ipsum tempus est vernum. legendum est autem, *Tempus id est vernum*, quemadmodum habent libri manuscripti, & aliquot vulgati emendationes, non, *Tempus adest vernum*. *ET CALOR EXTREMVS*] ætatis. *PRIMO CVM FRIGORE*] hiemis. *NEC MIRVM EST, IN EO SI TEMPORE*] sic habent quattuor lib. manuscripti: & ita legendum est. vulgati autem inter se dissentiunt, omniumque lectio inepta est. Iam ea scriptura, quæ reperitur in cod. Tethiano, *Nec mirum si in eo sic*, à recta paullum detorta est. nam si pro *st*: sic pro *si* subditum est.

*Hoc est igniferi naturam fulminis ipsam
Perspicere, & qua vi faciat rem quanque videre:
Non Thyrræna retro voluentem carmina frustra
Indicia occultæ diuûm perquirere mentis,
Vnde volans ignis peruenerit, aut in vtram se
Verterit hic partem: quo pacto per loca septa
Insinuarit, & hinc dominatus vt extulerit se:
Quidve nocere queat de cælo fulminis ictus.
Quod si Iupiter, atque alij fulgentia diui
Terrifico quatiunt sonitu cælestia templa,
Et iaciunt ignes, quo cuique est cunque voluntas:
Cur, quibus incautum scelus auersabile cunque est,
Non faciunt, icti flammis vt fulguris balent
Pectore perfixo documem mortalibus acre?*

*Et potius nullæ sibi turpis conscius rei
 Voluitur in flammis innoxius, inque peditur,
 Turbine caelesti subito conreptus, & igni?
 Cur etiam loca sola petunt? frustra que laborant?
 An tum brachia consuescunt, firmant que lacertos?
 In terraque patris cur telum perpetiuntur
 Obtundi? cur ipse finit, neque parcat in hosteis?
 Denique, cur nunquam cælo iacit vndique puro
 Iupiter in terras fulmen? sonitusque profundit?
 An simul ac nubes successere, ipse in eas tum
 Descendit, propè ut hinc teli determinet ictus?
 In mare qua porrò mittit ratione? quid vndas
 Arguit, & liquidam molem, camposque natanteis?
 Præterea, si vult caueamus fulminis ictum:
 Cur dubitat facere, ut possimus cernere missum?
 Si nec opinanteis autem vult opprimere igni:
 Cur tonat ex illa parte, ut vitare queamus?
 Cur tenebras antè, & fremitus, & murmura concit?
 Et simul in multas partes qui credere possis
 Mittere? an hoc ausis nunquam contendere factum,
 Ut fierent ictus vno sub tempore plures?
 At sæpè st numero factum, fierique necesse st,
 Ut pluere in multis regionibus, & cadere imbreis,
 Fulmina sic vno fieri sub tempore multa.
 Postremò cur sancta Deum delubra, suasque
 Discutit infesto præclaras fulmine sedeis?
 Et benefacta Deum frangit simulacra? suisque
 Demit imaginibus violento volnere honorem?
 Altaque cur plerunque petit loca? plurimâque huius
 Montibus in summis vestigia cernimus ignis?*

HOC EST IGNIFERI] *ἰγνίφερμα*. hoc est (inquit) naturam fulminis
 peruestigare, atque aded cernere, & qua potestate, seu facultate quidque
 faciat, videre, non reuoluentem, & replicantem Etruscorum aruspicum

carmina, id est, libros Tageticos (qui omnem Etruscorum disciplinam cō-
 tinebant, à Tagete illo puero Etrusco ex agro Tarquiniensi, cum terra ara-
 retur, edito: de quo lege M. Tull. lib. 2. de diuin.) non, inquam, Etruscorum
 libros consulentem, signa voluntatis deorum obscuræ, & incognitæ inda-
 gare: quod faciebant aruspices diuiso in aliquot parteis cælo, vt suprâ dixi-
 mus, ibi, *Ne trepides cæli diuissis partibus, &c.* Vnde Volans, &c.] hi tres
 versus deinceps sequentes iam antè positi sunt, statim post eum versum,
 quem modò protuli. INDICIA OCCULTAE] sic habent tres libri manu-
 scripti & Veneti recentiores, & Lugdunenses, & Basilienfes. duo manu-
 scripti. & Veneti antiq. & Paris. & Florent. *Judicia.* QVOD SI IUPI-
 TER] vult probare fulmina à Diis non mitti, sed ex certis & naturalibus
 causis nasci. ALII VULG. DIVI.] Plinius lib. 2. cap. 52. *Scribit ex Thusco-*
rum litteris nouem Deos fulmina emitte. QVOD CUIQUE EST CUNQUE
 VOLVNTAS] sic habent quattuor libri manuscr. & aliquot vulgati. alij
quò cuique est cunque voluptas: alij quò inducit quencque voluptas. SCELVS
 AVERSABILE] sic habent tres lib. manuscr. quibuscum congruunt Flo-
 rent. *auersabile* autem scelus interpretor, horrendum, fugiendum, & quod
 omnes auerfari debent. Itaque totum huic locum sic explico ac declaro.
 Cur dij non faciunt, vt quicunque à scelere nefario atque horrèdo sibi nō
 cauerunt, id est sese non abstinerunt, ij percussi balent fulguris flammæ,
 id est flammis conflagrent, quo sint ceteris mortalibus documento, atque
 exemplo? & potius homines innocentes & nullius turpitudinis sibi con-
 scij, fulmine icti exanimatur? sic Aristoph. *Νεφέλα.* Εἰς τὴν βάλαι τὸν ὀπίθευς, πῶς
 δῖος ἐχέσι μὲν ἐπέφρησεν, οὐδὲ κλεάνυμον, ἐδὲ θεόδορον, καί ποί σφὸ δ' ἐργ' εἰς ὀπίθευς.
 Ἀλλὰ τὸν αὐτὸν νεφὸν βάλαι, ἐξ οὐραίου ἀέρον ἀέτωδῶν, καὶ τὰς ἀρῆς τὰς μεγάλας, τί πάθων;
 ἢ γὰρ δὴ ἀρῆς ὀπιορκεῖ: id est, si Iupiter fulmine periueros petit, qui fit vt Simo-
 nem nō inflammaret, neque Cleonymum, neque Theodorum? Atqui val-
 de sunt periuri: sed templum suum petit, & Sunium Athenarum promon-
 torium, & quercus magnas? quamobrem? non enim quercus peierat. DO-
 CVM EN MORT.] esset acre mortalibus documentum, si improbi,
 & impij darent pœnas. nunc autem quia hoc non fit, Iarbas ille apud Vir-
 gil. lib. 4. *Æneid.* sic cum Ioue expostulat. *Aspicis hæc? an te genitor cum ful-*
mina torques, Nequicquam horremus? cæcique in nubibus ignes Terrificant animos,
& inania murmura misceni? ET POTIVS NULLAE SIBI TURPIS
 CONSCIV REI] sic restitui hunc versum, coniectura quidem ductus, sed
 tamen à veterè scriptura admonitus, quæ talis est, *nulla sibi conscius re.* ex hac
 enim suspicatus sum præpositiōnem in esse inculcatam, & ita à Lucretio
 scriptum esse, vt excudendum curavi, præsertim veritate hanc lectionem
 flagitante. sic enim Latini loquuntur. nullius rei turpis sibi conscius, non cō-
 scijs in re turpi. *nulla* autem in patrio casu, antiquum, & antiquis vsitatum,
 vt apud Terent. *Heaut.* *altera dum narrat.* lege quæ annotata sunt suprâ ad
 illum locum lib. 4. *vnâque figura.* LOCA SOLA] loca deserta, solitudi-
 nes. BRACHIA CONSVESCUNT] consuescunt pro consuefaciunt, id
 est exercent. CVR IPSÆ] pater Iupiter. NEQVE PARCIT IN H.]
 & cur non parcat suo telo in hosteis, id est ad hosteis suos perdendos? DE-

ptionis enim celeritas robur & vim efficit. Cum verò flatus sine igne erū-
pens ex nube, in alterius nubis flatum incurrerit, quemadmodum ventus
in portis, aut viis ex laxitate in angustias redactus, luctatur, & circumuer-
satur: tum fit vortex, qui typhon à Græcis appellatur, maxime si fragorem
edat. nam si stridorem potius mittat, quàm fragorem, turbo est. Quòd si
hic flatus postea exardescat, præster est. Si verò non posteaquàm è nube
erupit, ignem concipiat, sed cum primum è nube exprimitur: fulmen est,
quod Græci *καεζυωδης* vocant. Vbi autem non potest flatus nubem perfrin-
gere, neque ex ea erumpere, sed eam deorsum in terram, aut in mare depri-
mit, ita vt videatur vnda quædam densa, & rigida oblonga decidere: tū est
columna. BRACHI[QVE SVPERNE CONIECTV] mendosè ha-
bent quidam lib. vulgati *brachiisque*. CONCINNAT] efficit. sup. lib. 4.
in extr. *consuetudo concinnat amorem*. & infra. *magnū concinnat hiatus*. DE-
TRVSI] sic legendum, non *detrudit*. FIT QVOQVE] Nunc de vor-
tice: de quo sic Plin. lib. 2. *Sin verò flatus repentini depresso sinu arctius rotati*
nubem effregerint, sine igne, hoc est sine fulmine: vorticem faciunt. VT INVOL-
VAT VENTI SE NVBIBVS IPSE VORTEX] sic ex Aristotele, &
Plinio hunc locum restitui, cum antea legeretur. *ventis è nubibus*. venti au-
tem vortex dicitur, quia vortex nihil aliud est, quàm flatus circumactus, &
& circumvolutus. PRESTERA IMITETVR] à prestere hoc tantum
differat, quòd non sit accensus.

*Nubila concrefcunt, vbi corpora multa volando
Hoc super in cæli spatii coiere repente
Asperiora, modis quæ possint indupedita
Exiguus, tamen inter se comprehensa teneri.
Hæc faciunt primum paruas consistere nubes:
Inde ea comprehendunt inter se, cõnque gregantur,
Et coniungendo crescunt, ventisque feruntur
Vsq; eadem, donec tempestas seu coorta sit.
Fit quoque vti montis vicina cacumina celo
Quàm sint quæque magis, tanto magis edita fument
Assidue fuluæ nubis caligine crassa,
Propterea, quia cum consistunt nubila primum,
Antè videre oculi quàm possint tenuia, venti
Portantes cogunt ad summa cacumina montis.
Hic demum fit, vti turba maiore coorta,
— Condensa, ac stipata simul cernantur, & vdo
Vertice de montis videantur surgere in ætheram.*

Nam

— Nam loca declarat sursum ventosa patere
— Res ipsa, & sensus, montis cum ascendimus altos.
Præterea permulta mari quoque tollere toto
Corpora naturam, declarant littore vestes
Suspensa, cum concipiunt humoris adhaesum.
Quo magis ad nubis augendas multa videntur
Posse quoque è salso consurgere momine ponti.
— Nam ratio cum sanguine abest humoribus omnis.
Præterea fluuiis ex omnibus, & simul ipsa
Surgere de terra nebulas, æstūque videmus:
Quæ velut halitus, hinc ita sursum expressa feruntur,
Suffunduntque sua cælum caligine, & altas
Sufficiunt nubis paulatim conueniundo.
Urget enim quoque signiferi super ætheris æstus,
Et quasi densendo subtextit cærulea nimbis.
Fit quoque, vt hunc veniant in cætum extrinsecus illa
Corpora, quæ faciunt nubis, nimbosque volanteis.
Innumerabilem enim numerum, summamque profundi
Esse infinitam docui, quantæque volarent
Corpora mobilitate ostendi, quàmque repente
Immemorable per spatium transire solerent.
Haud igitur mirum est, si paruo tempore sæpe
Tam magnos montes tempestas, atque tenebræ
Cooperiant maria, ac terras, impensa supernè:
Vndique quandoquidem per caulas ætheris omneis,
Et quasi per magni circum spiracula mundi
Exitus, introitusque elementis redditus extat.

NVBILA CONCR.] Quo pacto nubes & nubilia fiant. COMPRES-
SA] sic potius legendum videtur, vt habent quidam lib. manuscr. quàm vt
est in aliis *compressa*. atque hanc lectionem confirmat versus sequens ab hoc
tertius, *Inde ea comprehendunt inter se*. dictum autem *comprehendunt inter se*, vt,
amant inter se. QVAM SINT QVÆQVE MAGIS] sic habet omnes
libri, nequis semidoctus putet legi debere *Quo sint quæque magis*. de quo lo-
quendi genere in scholiis lib. I. diximus. PROPTEREA QVIA CVM
RR r

CONSISTUNT N. P.] sic restitui trium lib. manuscriptorum auctorita-
te fretus. coniungendum est autem aduerbium, cum, vna cum aduerbio pri-
mum, vt sit, *cumprimum*. ANTE VID. OC. Q. P. T.] ante quam oculi
ea videre possint, vt pote tenuia, & tenuis halitus. CONDENSE ET
STIPATA SIMVL C. ET VDO] hunc versum sic emendarum re-
peri in margine vnus exempli Veneti ab Aldo impressi, quod mihi com-
modatò dederat Io. Pupperius Lugdunenſis. Sed neque eum, nec duos, qui
deinceps sequuntur à proximo, Lucretianos esse puto. IN AETHRAM]
id est, in aëra lucidum. nomen est Græcum, quo sæpe vtuntur & Latini.
Virg. *Æneid.* 6. *Nam neque erant aërorum ignes, nec lucidus aëtra Siderea polus.*
Idem lib. 12. *Namque volans rubra fuluus Iouis ales in aëtra,* &c. Hom. *Il.* p. Πόλι-
σόν δ' αἰθέρα, δὲ δ' ὀφθαλμοῖσιν ἰδέει. ad quem locum Eustath. αἰθέρα λέγει τὴν
λάμψην, τὴν εὐδίαν, τὴν αἰθέραν: id est aëthram dicit aërem lucidum, serenitatē,
& cælum purum. NAM LOCA DECLARAT] sic habent lib. quattuor
manuscripti. *loca sursum* autem interpretor, *loca superna*. quãquam non pro-
batur mihi hoc loquendi genus. RES IPSA, ET SENSVS] sic tres libri
manuscripti. quibuscum cõsentiunt antiqui Veneti, & Parisienses. ordo au-
tem verborum est. *res ipsa* & *sensus declarat*, *loca superna patere ventosa*,
cũm &c. Verũm (vt iam dixi) neque hic versus, neque superior, neque ille
Condensa, & stipata, &c. videntur mihi Lucretiani: neque denique horum
versuum sententia mihi placet. Quòd si operæpretium esset eos emẽdare,
sic legendos putarem: *Nam hoc loca declarant sursum ventosa, patetque sensibus
res ipsa montes cum ascendimus altos.* DECLARANT LITT. VEST-
S V S P.] sic supra lib. 1. *Denique stragula suspense in litore vestes vultum.*
AD HÆSVM] vtitur & alibi hoc nomine, vt lib. 3. *Nam neque pulueris in-
terdum sentimus adhaesum corpore.* MOMINE] si hæc scriptura placet, quæ re-
peritur in tribus lib. manuſc. & in omnibus vulgatis, *momen ponti* intelli-
mus agitationem, motum, & salum maris. sin cui suspecta est, videat præ-
stet ne legere *numine ponti*. nam in Memmiano, scriptum est *nomine*: quod
quidam putant deprauatum esse ex *numine*. omnino magis probo *momine*.
verũm tamen iudicet lector. NAM RATIO CVM SANG. ABEST
H.] Auancius scriptum reliquit, se, quid sibi hic versus velit, non videre. ego
ex verbis sententiam aliquã elici posse puto, sed quotum ponatur, aut quò
pertineat, excogitare nõ possum. Omnino si Lucretianus est, videtur alie-
no loco esse inculcatus, & supra potius post versum *Arguit & liquidam mo-
lem, camposque natantes*, esse collocandus: vt sit hic Lucretij sensus. quam-
obrem Iupiter in mare fulmen mittit? quid vndas arguit, & mare? nam ra-
tio, & sanguis, & sensus abest ab aquis. Licet igitur multi mortales in aquis
intereant, non tamen iccirco aquæ in crimen vocanda sunt, cum sint ratio-
nis & consilij expertes: peccatum autem non sit sine consilio & voluntate
nocendi. Sed non celabq lectorem in cod. Memmiano scriptum esse *Nam
ratio consanguinea se amoribus omnibus*: in vulgatis autem Florentinis, *Nam ra-
tio tum segnis abest humoribus omnis*: in Parisiensib. autem *Nam ratio cum san-
guine adest hum. omnis*. S V F F I C I V N T] suppeditant. AETHERIS
AESTVS] calor ætheris significari. iam æthera significum etiam supra dixit

lib. 5. *primus se sustulit aether Signifer.* DENSENDÒ] id est densando, vt
sup. lib. 1. *Denseri poterunt ignes, varique relinqui.* INNVMERABILEM
ENIM, &c.] lib. 1. *Omne quod est igitur nulla regione viarum Finitum est,* &c.
QVANTA QVE VOLARENT CORP.] lib. 2. *Nunc que mobilitas sit
reddita materiai Corporibus,* &c. IMPENSA SVPERNE] tempestas & te-
nebre, duo illa, impenſa, id est effusa, cooperiant maria ac terras è supera re-
gione. *impenſa* à verbo *impendor*, *eris*: id est profusa, effusa, magna. PER
CAVLA S] per inania, & cavitates, vt sup. lib. 2. *Differſamque furas per cau-
las eicit omnis.*

Nunc age, quo pacto pluuius concreſcat in altis
Nubibus humor, & in terras demiffus vt imber,
Decidat, expediam primũ iam ſemina aquarũ
Multa ſimul vincam conſurgere nubibus ipſis
Omnibus ex rebus, pariterque ita creſcere virunque,
Et nubeis, & aquam, quacunque in nubibus extat:
Vi pariter nobis corpus cum ſanguine creſcit:
Sudor item, atq; humor quicunque eſt denique mēbris.
Concipiunt etiam multum quoque ſæpe marinum
Humorem, veluti pendentia veller a lana,
Cum ſupera magnam venti mare nubila portant.
Conſimili ratione ex omnibus omnibus humor
Tollitur in nubeis: quò cum bene ſemina aquarum
Multa modis multis conuenere vndique adaucta:
Confert. & nubes vi venti mittere certant
Dupliciter. nam vis venti contrudit, & ipſa
Copia nimborum turba maiore coorta
Vrget, & è ſupero premit, ac facit effluere imbreis.
Præterea cum rareſcunt quoque nubila ventis,
Aut diſſoluuntur ſolis ſuper iſta calore:
Mutunt humorem pluuium: ſillantque, quaſi igni
Cera ſuper calido tabeſcens multa liqueſcat.
Sed vehemens imber ſit, vbi vehementer vtroque,
Nubila vi cumulat a premuntur, & impete venti.
At retinere diu pluuiæ, longũque morari

Consuerunt, ubi multa fuerunt semina aquarum:
 Atque aliis aliae nubes, nimbique rigantes,
 Insuper atque omni vulgò de parte feruntur:
 Terraque cum fumans humorem tota rebalat.
 Hinc ubi sol radiis tempestatem inter opacam
 Aduersa fulsit nimborum aspergine contra,
 Tum color in nigris existit nubibus arqui.
 Cetera quae sursum crescunt, sursumque creantur:
 Et quae concrescunt in nubibus omnia, prorsum
 Omnia, nix, venti, grando, gelidæque pruinae,
 Et vis magna geli, magnum duramen aquarum,
 Et mora, quae fluuios passim refrenat eunteis:
 Perfacile est tamen hæc reperire, animoque videre
 Omnia quo pacto fiant, quaræve creentur,
 Cum bene cognoris, elementis reddita quæ sint.

NVNC AGE, Q. P.] Nunc de aqua pluuiæ, & imbribus. DIMISSVS] quidam legunt demissus. VINCAM] firmissimis argumentis probabo. sic lib. 2. Quod quoniam vinco fieri, nunc esse docebo. sic Horat. saty. 3. lib. 2. Vincit enim stultos ratio insanire nepotes. SVDOR ITEM, ATQVE HVM.] hunc versum, ut spurium delendum censeo. CONCIPIVNT] alibi scribitur Confugunt. alibi Conciliant. VELLERA LANAE] vellus à vellèdo dictum esse docet Varro lib. 4. de ling. Lat. sic vtrunque coniungit Horat. od. 13. epod. Muricibus Tyriis iterata vellera lana Cum properabantur? MITTERE] aquas conceptas, & collectas. TURBA MAIORE COORTA] sic legèdum esse vincit versus, qui paullo antè positus est Hic demum fit uti turba maiore coorta, &c. FACIT EFFLVERE] sic loquitur sup. lib. 5. Qui faciant solè certa de surgere parte. STILLANTQVE] sic restitui, cum in omnibus libris tum manuscr. tum vulgatis, (præter Florent. qui habent, stillando) legatur stillante planè mendosè. Arbitror autem à Lucretio scriptum esse, stillantque, deinde à scriptore librario descriptum multis post sæculis, stillante. c pro qu. ut aca pro aqua. & terce casérce, pro térque, quatérque: postremò à nonnullis factum, stillante, detracto c. quòd eam litteram inanem, & superuacaneam putarint. ATRETINERÈ] Cur interdum longæ & diuturnæ sint pluuiæ. REHALAT] humorem è cælo delapsum iterum, atque iterum sursum halat. HIC VBI SOL RADII] Nunc de arcu, seu arco cælesti. ADVERSA FVLST] nam semper fit ex aduersa soli parte. Atque ex hoc probant iridem, seu arcum pluuium nihil esse aliud, quàm aspectus nostri refractionem, ad solem: quàm Græci ἀέρας appellat. TVM CO-

LOR IN] hunc versum profert Nonius in voce arcus, legitque hoc loco arqui, non arci, docens arquam, dici Irim: arcum, suspensum formicem. existunt porro, aut certè apparent tres colores in iride: puniceus, viridis, purpureus. MAGNUM DVRAMEN] aquæ duratæ, seu vis ea, quæ durat aquas, seu glaciæ. ET MORA, QVÆ FL.] idem dicit. glaciem enim significat, quæ fluuios moratur. sic Virgil. lib. 4. Georg. & glaciæ cursus frenaret aquarum. & Horat. epist. ad Iul. flor. Thracæne vos, Ebrusque nivali compede victus, &c. EVNTIIS] quidam libri habent, aquanteis: in his Florentini. REPERIRE] quidam legendum putant te per te, animoque videre.

Nunc age, quæ ratio terræ motibus extet,
 Percipe, & in primis terram fac ut esse rearis
 Subter item, ut supra sit, ventis, atque undique plenam
 Speluncis, multosque lacus, multasque lacunas
 In gremio gerere, & rupeis, disruptæque saxa:
 Multaque sub tergo terræ flumina tecta
 Voluere vi fluctus, submersæque saxa putandum sit.
 Undique enim similem esse sui, res postulat ipsa.
 His igitur rebus subiunctis, suppositisque,
 Terra superne tremis magnis concussa ruinis
 Subter, ubi ingentis speluncas subruit ætas.
 Quippe cadunt toti montes, magnoque repente
 Concussu latè dissipant inde tremores:
 Et merito, quoniam plaustris concussa tremiscunt
 Tecta viam propter non magno pondere tota.
 Nec minus exsultant, ubi currus cunque equitum vi
 Ferratos vtrinque rotarum succutit orbes.
 Fit quoque, ubi magnas in aqua, vastasque lacunas
 Gleba vetustate è terra prouoluitur ingens,
 Ut iactetur aqua fluctu quoque terra vacillans:
 Ut vas in terra non quit constare, nisi humor
 Destitit in dubio fluctu iactarier intus.
 Præterea ventus cum per loca subcaua terræ
 Conlectus parti ex vna procumbit, & vrget
 Obnixus magnis speluncas viribus altas,
 Incumbit tellus, quòd venti prona premit vis:

Tum, supera terram quæ sunt extructa domorum,
 Ad cælumque magis quanto sunt edita quæque,
 Inclinata minent in eandem prodita partem,
 Protractæque trabes impendent ire paratæ.
 Et metuunt magni naturam credere mundi
 Exitiale aliquod tempus, clademque manere,
 Cum videant tantam terrarum incumbere molem.
 Quod nisi respirent venti: non vlla refrenet
 Res, neque ab exitio possit reprendre euntem.
 Nunc quia respirant alternis, inque grauescunt,
 Et quasi conlecti redeunt, ceduntque repulsi:
 Sæpius hanc ob rem minitatur terra ruinas,
 Quam facit. inclinatur enim, retróque recellit,
 Et recipit prolapsa suas se in pondere sedeis.
 Hac igitur ratione vacillant omnia tecta,
 Summa magis mediis, media imis, ima perhilum.

NUNC AGE QVÆ RATIO] Nunc de terræ motibus, de quorum
 variis generibus lege Aristot. lib. de mundo. cap. 4. ET IN PRIMIS
 TERRAM F. VT] hæc sententia fuit Democriti, vt scribit Arist. lib. 2. de
 reb. superis. Δημόκριτος δὲ φησι πλήρη τῆς γῆς ὑδατος αἶψα καὶ πολλὰ καὶ ῥοαίῳ ἔτι-
 ὄμβρον ὕδατος, καὶ ἵσταν κινεῖται, πλείονός τε ἢ γινώσκουσιν, διὰ τὸ μὴ εἶχεσαι τὰς κοιλίας, ἀπο-
 βιάζουσαν πρὸς τὸν σεισμὸν, ἢ ἔκρουσιν ὕδατος καὶ ἐλατῶν εἰς τὸν κενὸν τόπον ἐν τῷ πάλι-
 ρεστέρῳ τὸ μεταβάλλον ἐπιπέδον κινεῖται. id est, Democritus autem ait terram cum
 sit aquæ plena, multamque aliam aquam pluuiam recipiat, ab hac moueri.
 Nam & cum hæc augetur, crescitque, propterea quæ lacunæ totam non reci-
 piunt, eam vi irrumpentē, terræ motum efficere: & terræ arescentem, atque
 in parteis inaneis è locis plenioribus attrahentē ab aqua locū mutare & il-
 labente moueri. MULTA QVÆ SVB TERGO] id est, & multa flumina
 sub terra latentia fluctuare, & laxa vnā secum rapere è locis plenioribus.
 SIMILEM ESSE SVI] terram. cod. Vatic. habet, simile esse & par res po-
 stulat ipsa. HIS IGTUR REB. SVBIYNT. SVPP.] τῶν δὲ ἄνω νε-
 μῶδων. TERRA SVPERNETREMIT] millies iam dixi vltimā syllabam
 aduerbij *superne*, breuē esse: itaque eos errare, qui hoc loco & similibus legi
 volunt *superna*, præsertim reclamantibus omnibus lib. & manuscr. & vulga-
 tis præter Venetos antiq. & Paris. DISSERPUNT] sic legendū, nō *disser-*
punt. *disserpunt* autem, id est, in diuersas parteis serpunt, & dimanant, & diua-
 gantur. QVONIAM NON MAGNO] argumentum à minori VIAM
 PROPTER] ἀσποδὴν: propter viā, id est prope viā. NEC MIN. EXVL-

TANT VBI CVRR. CVNQVE EQVIT. VI] secutus sum codices
 Florent. Lugdun. Venetos, Basilienses. nam alij vulgati habent, *Nec minus*
exultantia sunt, fortis quàm vbi equum vis. Memmianus autem manuscr. *Nec m.*
exultantes dupuisanque vim. cuius scripturæ ratio me fugit. FIT. QVO QVE
 VBI MAGNAS IN AQUAE.] sic restitui scripturæ veteris vestigia se-
 cutus. sic enim habent quattuor lib. manuscripti, *Fit quoque vbi in magnas*
aquæ. vulgati autem fœdè corrupti sunt, in quibus ita legitur, *Fit quoque vbi*
in magnas aquæ. Venetos antiq. & Parisienses, & Vicetinos excipio: in qui-
 bus est, *Fit quoque vbi magnas in aquas,* &c. quam lectionem non damno.
 VT IACTETVR AQVÆ FLVCTV Q. T. VACILLANS] secutus
 sum codices Parisienses. nam alij vulgati partim habent, *Vi iactetur,* *aqua*
fluctu quoque terra vacillet: partim *Vi iactentur aqua, fluctu quoque terra vacillet.*
 manu scripti autem etiam inter se dissentiunt, & alij cum his, alij cum illis
 vulgaris congruunt. Memmianus porro in eo quod habet *vacillans,* etiam
 cum Parisiensibus consentit. legendum fortasse est, *Vi iactetur aqua,* & *flu-*
ctu quoque terra vacillet. VT VAS IN TERRA, &c.] id docet à simili
 hoc modo. Quemadmodum (inquit) si aqua quæ est in vase, moueatur, mo-
 uetur & vas, neque prius moueri desinit, quàm aqua moueri desita sit. I A-
 CTARIER] in codice Vaticano scriptum est, *versariet.* PRAETEREA
 VENTVS] aliam rationem affert terræ motus. EXTRVCTA DOMO-
 RVM] talia sunt illa, *strata viarum, structa saxorum.* AD CAELVM] & quæ-
 ro quæque sunt editiora, & à terra remotiora edificia, tanto magis, tantòq;
 latius mouentur. MINENT] sic reposui, cum libri omnes & manuscripti,
 & vulgati habeant partim *micant,* partim *minant,* partim *manent,* partim hoc
 ipsum *minent.* *minent* autem verbum est simplex pro composito positum,
 imminent. atque ita habent codices Veneti anno cio cccc lxxxv im-
 pressi. PRODITA] sic habent omnes libri tū manuscr. tū vulgati, quos
 quidem viderim. quidam tamen in nonnullis scriptum dicunt esse *percita:*
 ex qua putat quidam amicus meus legendum *procita.* ego nil mutandū cen-
 seo. sic enim paullo post loquitur. *rerumq; sequatur prodita summa.* ET ME-
 TVNT M. N. C.] & homines metuunt vsque ad eod. vt credant exitium ali-
 quod, clademque mundo imminere. QVOD NISI RESP. VENTI:
 NON VLLA R.] si autem non respirarent venti: nulla res terram refre-
 naret, aut reprimeret, nullaque eam euntem, & pereuntem ab interitu reti-
 nere posset. REPRENDERE EVNTEM] sic habent aliquot libri ma-
 nuscripti. *euntes* autem factum ex *euntes* per z. z. autem scribebant librarij
 illi scriptores pro m. RETRÓQVE RECELLIT] id est *reclinat.* & ita
 Festus. ET RECIPIT PROL. SVAS SE IN POND. S.] ordo est.
 Et prolapsa se in suas sedeis pondere, id est per suum pondus recipit. PER
 HILVM] perpallum.

Est hæc eiusdem quoque magni causa tremoris,
 Ventus vbi, atque anima subito vis maxima quedam.
 Aut extrinsecus, aut ipsa à tellure coorta

In loca se caua terrai coniecit, ibique
 Speluncas inter magnas fremit ante tumultu:
 Versabundaque portatur post incita cum vis,
 Exagitata foras erumpitur, & simul altam
 Dissindens terram, magnum concinnat hiatus.
 In Tyria Sidone quod accidit, & fuit Aegis
 In Peloponneso, quas exitus hic animai
 Disturbat vrbeis, & terræ motus obortus?
 Multaque præterea ceciderunt moenia magnis
 Motibus in terris, & multa per mare pessum
 Subsedere suis pariter cum ciuibus vrbes.
 Quod nisi prorumpit, tamen impetus ipse animai
 Et fera vis venti per crebra foramina terre
 Dispertitur, vt horror: & inquit inde tremorem:
 Frigus vti nostros penitus cum venit in artus:
 Concutit inuitos cogens tremere, atque moueri.
 Ancipiti trepidant igitur terrore per vrbeis:
 Tecta superne timent, metuunt inferne, cauernas
 Terrai ne dissoluat natura repente:
 Neu distracta suum late dispandat hiatus:
 Idq; suis confusa velit complere ruinis.
 Proinde licet quamuis calum, terramque reantur
 Incorrupta fore æternæ mandata saluti:
 Attamen interdum præsens vis ipsa pericli
 Subditat hunc stimulum quadam de parte timoris,
 Ne pedibus raptim tellus subtracta feratur
 In barathrum, rerumque sequatur prodita summa
 Funditus, & fiat mundi confusa ruina.

EST HAEC EIVSDEM] alia causa terræmotus. ANIMAE SVB
 VIS] vis anime, id est vis flatus, vt sæpe aliàs. AVT IPSA A TELLVRE]
 sic legendum est, vel vt habent nonnulli alij lib. veteres ab tellure: quibus
 cum consentiunt cod. Florentini. CONCINNAT] efficit, vt sæpe aliàs.
 IN TYRIA SIDONE QVOD ACC.] Iustinus lib. 18. Tyriorum gens
 cœdita à Phœnicibus fuit, qui terræ motu vexati, relicto patriæ solo, Assyriam flagnum
 primò,

primò, mox mari proximum littus incoluerunt, condita ibi vrbe, quam à piscium vber-
 tate, Sidona appellauerunt. Nā piscem Phœnicis sidon vocant. ET FVIT AEGIS
 IN PELOP.] Aegis Achaïcis. hunc terræ motum fortasse significat Arist.
 lib. 2. meteor. cap. 8. ibi, ἐγένετο δὲ τὸ πρὸς Αχαιῶν, &c. nam satis est mihi locum
 indicasse. DISTVRBĀT VRBEIS] securus sum codices manuscri-
 ptos. neque verò est quòd quenquam moueat vltima syllaba verbi distur-
 bāt. est enim longa, pro præterito disturbauit posita, vt sup. lib. 1. Virtutem
 irritat animi, pro irritauit. Mendosi igitur sunt omnes libri vulgati, quo-
 rum alij habent Disturbauit res, vt Florent. alij Disturbatque vrbeis, vt Veneti
 antiq. alij Disturbans vrbeis: vt Veneti recentiores, & Lugd. & Basil. MVLT-
 TA QVE PRAET.] lege Plin. lib. 2. cap. 80. PESSVM] deorsum, & quasi
 sub pedes. nonnulli tamē lib. habēt passim. DISPERTITVR, VTHOR-
 ROR, &c.] sic ferè Aristot. lib. β. μετεωρ. δὲ τὸ γένεσθαι τὸν σάματι ἡμῶν,
 ἢ τέρμων, ἢ σφυγμῶν αἰπὸν ἔστιν ἢ τὸ πνεύματος ἀπολαμβάνουσα δύναμις, ἢ τὸ ἐν
 τῇ γῆ τὸ πνεύμα πνεύματα ποιεῖ, ἢ τὸν μὲν τῶν σεισμῶν, οἷον τέρμων εἶναι, τὸν δ' οἶον
 σφυγμῶν. id est intelligere enim oportet, quemadmodum in corpore nostro
 tremorum, & pulsuum causa est efficiens vis animæ, seu flatus, qui inter-
 cipitur, ita & in terra flatum simile quiddam efficere, & terræmotus alios
 esse veluti tremores, alios pulsibus consimileis. TECTA SVPERNE
 TIM. METVNT INFERNE] sic legendum, & ita scriptum est in co-
 dice Vaticano, Tethiano, & Memmiano. quibuscum congruunt codices
 Florentini, & Veneti recentiores. alij autem, in quibus suppositum est, su-
 perna, & interna, mendosi sunt, quippe corrupti ab iis, qui putarent in illis
 aduerbiis vltimam syllabam longam esse. quòd falsum est, vt sæpe iam di-
 ximus. subintellige autem in timent, metuunt, homines. SVBDITAT H.
 PTIM, &c.] sic lib. 1. extr. Terræque se pedibus raptim subducat, &c. PROIN-
 DE LICET QVAMVIS] id est quantumuis licet homines putent mū-
 dum esse immortalem; nunquàmque interitūrum: ipsa tamen periculi ma-
 gnitudo interdum eos timere cogit, ne terra sese eorum pedibus substrahat
 atque in barathrum præceps cadat.

Nunc ratio reddenda, augmen cur nesciat æquor.
 Principio mare mirantur non reddere maius
 Naturam, quò fit tantus decursus aquarum:
 Omnia quò veniant ex omni flumina parre.
 Adde vagos imbreis, tempestatésque volanteis:
 Omnia quæ maria, ac terras sparguntque, rigantque:
 Adde suos fonteis: tamen ad maris omnia summam
 Guttai vix instar erunt vnius ad augmen:
 Quo minus est mirum, mare non auferere magnum.
 Præterea magnam sol partem detrahit æstu.

*Quippe videmus enim vesteis humore madentis
 Exsiccare suis radiis ardentibus solem.
 At pelage multa, & late substrata videmus.
 Proinde licet quamuis ex vno quoque loco sol
 Humor parvam delibet ab aquore partem:
 Largiter in tanto spatium tamen auferet undas.
 Tum porro venti magnam quoque tollere partem
 Humoris possunt verrentes aquora pontis:
 Vna nocte vias quoniam persape videmus
 Siccari, mollisque luti concrecere crustas.
 Præterea docui multum quoque tollere nubis
 Humorem magno conceptum ex aquore pontis:
 Et passim toto terrarum spargere in orbe,
 Cum pluit in terris, & venti nubila portant.
 Postremo, quoniam raro cum corpore tellus
 Est, & coniuncta s't oras maris undique cingens:
 Debet, ut in mare de terris venit humor aquarum,
 In terras itidem manare ex aquore salso.
 Percolatur enim virus, retrorque remanat.
 Materies humoris, & ad caput amnibus omnis
 Confluit: inde super terras redit agmine dulci:
 Quæ via secta semel liquido pede detulit undas.*

NUNC RATIO REDD.] Cur tot fluuiis in mare decurrentibus, mare tamen nihilo maius fiat, quæsitum est ab antiquis, teste Arist. lib. 2. μεταωρ: cuius hæc verba sunt. τὸ δ' ζητεῖν πῶς ἀρχαῖα ἀποείαν διὰ τὴν ποσὸν τὸν πλῆθος ὕδατος ἐδαμῶ φάινεται (καὶ ἐκείνων ἡμέραν ποταμῶν ρέοντων ἀναιδήμων, καὶ τὸ μέγιστος ἀπλήτων ἔδην ἢ θαλάσσης γίνεται πλείων) τὸ δ' ἔδην μὲν ἀποπον ἀπορήσασί πηγαι, ἐ μὲν ἀποβλέψαντί γε, χαλεπὴν ἰδέειν. τὸ δ' αὐτὸ πλῆθος ὕδατος: εἰς πλάτος τε διαταθέν, & ἀδρόν, καὶ ἐν ἴσῳ χεῖρον ἀναξήραίνε, ἀλλὰ διαφέρει ποσὸν, ὡς τὸ μὲν διαμείναι ἀπὸ ἧλων πῶς ἡμέραν, τὸ δ' ἄσπερ εἶπες ἐπὶ τρεῖς πηζαν, μεγάλλω σφαιτείνεν ὕδατος κύαδον, ἀμα διανομήσει ἀφανιδεῖν πᾶν. ὃ δὲ καὶ σφαι τεὸς ποταμῶς συμβαίνει, συνεχῶς μὲν ἂν ρέοντων ἀδρόν αἰεὶ τὸ ἀφινέμενον εἰς ἀχανῆ καὶ πλατῆ τὸ πᾶν ἀναξήραίνεται ταχὺ καὶ ἀδύλας. id est Quære autē id de quo ab antiquis dubitatum est, quamobrem tanta aquæ multitudo nusquam appareat (innumerabilibus enim & immensis fluminibus quotidie in mare influentibus, id nihilo fit maius) hoc quidem non est absurdum si nonnulli dubitent, non est tamen si quis attendat, ra-

tionem videre difficile. Nam eadem aquæ magnitudo in latitudinem confertim effusa, non æquali tempore arefcit: sed hoc differt, quod pars quidem totum diem permanere possit, pars autem pūcto temporis evanescat, proinde ac si quis aquæ cyathum in magnam mensam profuderit, ac dilatarit. quod & hic accidit. Assidue enim & continenter & confertim influentibus in mare fluminibus, semper id quod delabitur in locum vastum, & latum, citò, & obscure arefcit. hætenus Aristot. Idem ibidem refellit sententiam Platonis in Phædone de Tartaro, quæ ille putat principium & fõteram esse omnium aquarum. DECURSUS AQUARVM] translatè, & tamen vñratè dictum est. sic lib. 1. *Montibus ex altis magnus decursus aquarum, &c.* AD MARI S OMN. SVMM.] id est si cum maris summa omnia comparètur. AD AVGMEM] ad augendū mare. PRAETEREA MAGNAM SOL.] alia ratio quamobrem mare non augeatur tot fluuiis in id influentibus. A T PELAGE MVLT A] Cum & in aliquot lib. manuscriptis reperissem scriptum *At pelagi multa, &* viderem scripturam vulgatam, *pelago,* ferri non posse, sic reposui, præsertim cum viderem codices Florent. sic habere, sciremque Marullum hanc lectionem probavisse. *pelage* autem, id est maria, quarti casus est, πλάγῃ, quo vñtur sup. lib. 5. princip. *Propter Atlantæum littus, pelagæque seuera.* vñtur & Catull. in Galliambo. *Rapidum salum tulistis, truculentæq; pelagæ:* quanquã non pugnè cum iis, qui apud Catull. lectionē vulg. malint *pelagi* in patrio casu. DELIBET] degustet, & ita detrahat, & deminuat. quidam tamen legendū etiam hoc loco putant *deliber:* nonnulli *delimer.* TVM PORRÒ] alia ratio. VERRENTE S] sup. lib. 5. *Partim quæd validi verrentes aquora venti deminunt, radiisque retexens ætherius sol.* PRAETEREA DOCVI] alia ratio. POSTREMÒ QVONIAM] postrema ratio, quæ est huiusmodi. quoniam (inquit) terra raro corpore est, & oras maris extremas omni ex parte cingit: quæadmodum aqua è terris in mare, ita è mari in terrâ manare debet. PERCOLATUR ENIM] hic versus & tres deinceps sequentes iam supra positi sunt lib. 5.

*Nunc ratio quæ sit, per fauceis montis vt AETNæ
 Exspirent ignes interdum turbine tanto,
 Expediam. neque enim media de clade coorta
 Flamma tempestas Siculùm dominata per agros
 Finitimis ad se conuertit gentibus ora,
 Fumida cum cæli scintillare omnia templa
 Cernentes pauida complebant pectora cura,
 Quid moliretur rerum natura nouarum.
 Hisce tibi in rebus late s't, aliæque videndum,
 Et longè cunctas in parteis dispiciendum,
 Vt reminiscaris summam rerum esse profundam,*

*Et videas calum summam totius unum,
 Quam sit paruula pars, & quam multesima constet:
 Et sit pars homo terram quota totius vnus.
 Quod bene propositum si planè contueare,
 Ac videas: planè mirari multa relinquant.
 Num quis enim nostrum miratur, si quis in artus
 Accepit calido febrim feruore coortam,
 Aut alium quemuis morbi per membra dolorem?
 Obturgescit enim subito pes, arripit acer
 Sape dolor dentes, oculos inuadit in ipsos,
 Existit sacer ignis, & vrit corpore serpens
 Quancunque arripuit partem, repitque per artus,
 Nimirum, quia sunt multarum semina rerum,
 Et satis hæc tellus nobis, calumque mali fert,
 Vnde queat vis immensi procreescere morbi.
 Sic igitur toti celo, terraque putandum est,
 Ex infinito satis omnia suppeditare,
 Vnde repente queat tellus concussa moueri,
 Perque mare, & terras rapidus percurrere turbo,
 Ignis abundare Aetnaeus flammescere calum.
 Id quoque enim fit, & ardescunt caelestia templa.
 Et tempestates pluuiæ grauiore coortu
 Sunt, vbi fortè ita se tetulerunt semina aquarum.
 At nimis est ingens incendij turbidus ardor.
 Scilicet & fluius, qui non est, maximus eii est,
 Qui non antè aliquem maiorem vidit, & ingens
 Arbor, homoque videtur: & omnia de genere omni,
 Maxima quæ vidit quisque, hæc ingentia fingit:
 Cum tamen omnia cum celo, terraque, marique,
 Nil sint ad summam summam totius omnem.*

NVNC RATIO QUAE SIT] Nunc de Aetna Siciliae monte, & de eius ignibus disputare parat. PER FAUCEIS MONTIS VT AETNAE &c.] fauceis appellat, quas Graeci *παρῆες* nominant, vt idem dicit paullo

potest tibi. In summo sunt vertice item crateres, vt ipsi Nominis at, nos quas fauceis perhibemus, & ora. NEQUE ENIM MEDIA DE CL.] huius loci hæc mihi videtur esse sententia. non enim ex aliqua clade media, coorta flamma per Sicularum agros diuagata, gæcis admiratione affecit, quo tempore omneis caeli partem scintillare cernentes magnopere erant sollicitæ, atque anxie, dubitantes quidnam rerum nouarum natura meditaretur: sed ex monte Aetna. Ad hunc locum pertinent illa M. Tullij lib. 2. de nat. Deorum. Nos autem tenebras cogitemus tantas, quanta quondam eruptione Aetnaorum ignium finitimas regiones obscurauisse dicuntur, vt per biduum nemo hominem homo agnosceret: cum autem tertio die sol illuxisset, tum vt reuixisse viderentur. HISCE TIBI IN REBUS] nunc demum incipit rationem horum ignium exquirere. VT REMINISCARIS] lib. 1. Omne quod est igitur nulla regione viarum Finituus: nanque extremum debebat habere, &c. & lib. 2. Et quo iactari magis omnia materia Corpora peruideas, reminiscere totius insum Nil esse in summa, neque habere vbi corpora prima Consistant, quoniã spatiũ sine fine, modoque est, &c. ET QUAM MULTESIMA CONSTET] & quam sit pars multesima, id est & quam sit parua pars, si cum toto comparetur. multesima pars est ea, cui multæ debent esse pares, aut similes ad constituendum totum: *πολλοσὸν μέρος* appellant Graeci. profert autem hunc versum Nonius in voce multesima. ET QUOTA PARS HOMO SIT TERRA TOT. VI.] Cum in omnibus libris manu scriptis scriptum reperissem, partim *Nec quota*, partim *Hæc tota*, partim *Et quota*, sic reposui. huius autem scripturae, quæ perspicuè vera, & recta est, hæc sententia est: Et vt videas quota, id est, quam multesima & parua sit pars totius terræ homo vnus, &c. OBTVRGESCIT] sic habent omnes libri & vulgati, & manuscripti, quos quidem viderim. Sed Auancius Veronensis legebat *Obbrutescit*, id est, obtupescit. quo verbo vsus est lib. 3. *An contractis in se partibus obbrutescat.* SACER IGNIS] Virg. lib. 3. Georg. *nec longo deinde moranti Tempore contactos artus sacer ignis cedeat. sacer ignis* (inquit Corn. Celsus lib. 5.) *malis vlceribus annumerari debet.* ET SATIS HAEC TELLVS NOBIS, CAEL.] secutus sum codices Florent. nam ceteri vulgati, cum quibus manuscripti congruunt, habent *Et satis hæc tellus morbi, cal.* SUPPEDITARE] sic habent quattuor lib. manuscripti, & vulgati Veneti antiq. quod probò. est enim absolute accipiendum. VT TEMPESTATES PL.] sic legendum, non vt vulgò, *Et tempestates pl.* GRAVIORE COORTVSUNT] id est maiores & grauiores sunt, seu maiore copia cadunt. TETVLERVNT] secutus sum cod. Parisiensis, Florentinos, Basilienfis, Venetos vtrosque, Lugdunensis maiores. nam minores mendose habent, *retulerunt.* manuscripti autem etiam corruptè *detulerunt.* iam tetuli pro tuli antiquum, quo & Terent. vtitur Andria. Nam *pol si scissem, nunquam huc tetulisset pedem.* & Plaut. Mostell. *Quia septem menses sunt, cum in hæc adeis pedem Nemo intro tetulit, semel vt emigrauimus.* AT NIMIS EST INGENS, &c.] occupatio est obiectionis. INCENDII] aliàs *incendi*, aliàs *incendij*: quod tamen intelligendum est pro *trisyllabo incendi* positum. SCILICET ET FLVIVS] solutio obiectionis à simili, hoc modo. scilicet & fluius, qui non est maximus, ei videtur maximus, id est,

eius iudicio, & sententia est maximus, qui aliquem antè maiorem non vidit: & item homo, & arbor non maximè, ei videtur maximè, qui nullos antè maiores vidit. ET INGENS, &c.] & ingens videtur arbor, homoque ei, qui maiorem arborem, maiorèmq; hominem non vidit. MAXIMA] id est, quibus maiora nunquam antè vidit.

Nunc tamen illa modis quibus inritata repente
 Flamma foras vastis Aetna fornacibus efflet,
 Expediam, primum totius subcaua montis
 Est natura, ferè silicium suffulta caavernis.
 Omnibus est porro in speluncis ventus, & aër.
 Ventus enim fit, ubi est agitando percitus aër.
 Hic ubi percaluit, calefecitque omnia circum
 Saxa furens què contingit, terramque: & ab ollis
 Excussit calidum flammis velocibus ignem:
 Tollit se, ac relictis ita faucibus eicit altè,
 Funditq; ardorem longè, longèque fauillam
 Differt, & crassa voluit caligine fumum,
 Extruditq; simul mirando pondere saxa:
 Ne dubites, quin hæc animæ turbida sit vis.
 Præterea magna ex parti mare montis ad eius
 Radices frangit fluctus, æstûmq; resorbet.
 Ex hoc vsque mari spelunca montis ad altas
 Perueniunt subter fauceis, hæc ire fatendum est,
 Et penetrare mare, & penitus se cogier arcto,
 Atque efflare foras: ideòque extollere flammæ
 Saxaque subiectare, & arenæ tollere nimbos.
 In summo sunt vertice item crateres, ut ipsi
 Nominant, nos quas fauceis perhibemus, & ora.
 Sunt aliquot quoque res, quarum unam dicere causam
 Non satis est, verum plureis, unde vna tamen sit.
 Corpus ut exanimum, si quod procul ipse iacere
 Conspecies hominis: fit ut omnes dicere causas
 Conueniat leti, dicatur ut illius vna.

Nam neque eum ferro, nec frigore vincere possis
 Interiisse: neque à morbo, neque forte veneno:
 Verum esse ex genere hoc aliquid, quod contio dicat,
 Scimus: item in multis hoc rebus dicere habemus.

NUNC TAMEN ILLA] Redit ad institutâ disputationem de Aetneorum ignium ratione: de quibus sic Virgil. Aeneid. 3. sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis: Interdumque atrum prorumpit ad aethera nubem Turbine fumantem piceo, & candente fauilla, Attollitque globos flammarum, & sidera lambit: Interdum scopulos, auulsâque viscera montis Erigit eructans, liquefactâque saxa sub auras Cum gemitu glomerat. de iisdem sic Aristot. lib. de mundo. Εμπεριχει δὲ καὶ πολλὰς ἢ γὰρ ἐκ αὐτῆς καὶ ἐκ τῆς ὑδατος, ἐκ τοῦ ἀέρος καὶ τῆς πυρρῆς πηγῆς. τῶν δὲ αἰσθητῶν ἁπλῶς εἰσὶν ἀόρατοι, πολλὰ δὲ ἀαπνοὺς ἔχει, καὶ ἀαφροσύσεις, ὅσπερ Λιπάρα, τε καὶ Ἄϊτνα, καὶ τὰ ἐκ Αἰόλου νόσους, ἀδὴν ἔχει πολλὰς ποταμῶν δὲ αἰσθητῶν, καὶ μὲν δὴ ἀαφροσύσεις διαπύουσι. id est, Cōtinet autem terra & multos in se ut aquæ, ita & flatus, & ignis fontis. Horum porro alij quidem sub terra sunt occulti, & obscuri, alij autem respiraciones & quasi reflaciones habet, ut Lipara, & Aetna, & loca in Aëoli insulis, qui sæpenumero & fluiuiorum modo fluunt, & flammæ, ac massas candentes prouomunt. de iisdem idem lib. καὶ θάλασσαν ἀκυσσι. PRINCIPIO TOTIVS] sic ferè Trogus lib. 4. ut est apud Seruium in tertium Aeneid. Sicilia terra est caavernosa & fistulosa: quo fit ut ventorum flatibus pateat, unde ignis concipitur. intrinsecus sulphur habet & bitumen: in qua ubi ventus per spiramenta caavernarum incubuit, diu luctatus ignem concipit. Sic Aetna durat incendium. motus ergo ventorum causa incendij est. VENTVS ENIM FIT VBI EST AGITANDO] Itaque quidam dicunt ventum nihil aliud esse, quàm agitatam aëra. TERRAM QVE] & ubi terram calefecit, quæ eam tangit. DIFFERT] in diuersas partes fert. ANIMAM] flatus, spiritus, πνοίματος. PRÆTEREA MAGNA] alia ratio horum ignium. PARTI] parte, ut sæpe aliàs. HÆC] per has speluncas fatendum est mare penetrare. ET PENIT. SE COG. ARCTO] & mare penitus in angustum cogi à seipso coarctato. sed non dissimulabo in aliquot lib. manu script. ita scriptum esse, Et penetrare mari penitus res cogit aperto. quibuscum consentiunt cod. Parisienses, & Veneti antiq. SVBIECTARE] sursum iactare. SVNT ALIQUOT QVOT QVQVE] ne quis miretur me multas horum ignium rationes afferre, quasi dubium atque incertum, sunt aliquot etiam res, quarum unam causam afferre non est satis, sed plures afferendæ sunt, ex quibus tamen unica causa sit. idque ostendit à simili. DICATUR UT ILLIVS VNA] id est ut causa illius leti, quo homo ille interiit, quæ vna est, dici possit. doctus quidam legendum putat, dicatur ut illius vera. VERVM ESSE EX GENERE HOC ALIQUID Q. C. CRE.] secutus sum cod. aliquot vulg. Nam quattuor manuscr. cum quibus consentiunt vulg. Veneti antiq. & Parisienses habent. Verum aliquid genere esse ex hoc, quod contio dicat. Memmianus autem manu script. sic. Vtrum genere aliquid esse ex hoc contio. quæ

scriptura quid sibi velit, non video. Omnino in hoc loco mendum subesse suspicor. CONTIO] turba, quæ circum stat, & quæ ad audiendū conuenit.

*Nilus in æstate crescit: campisque redundat
Vnicus in terris Aegypti totius amnis:
Is rigat Aegyptum medium per sæpe calorem:
Aut quia sunt æstate Aquilones ostia contra
Anni tempore eo, quo Etesia flabra feruntur.
Et contra fluum flantes remorantur, & vndas
Cogentes sursum replent, coguntque manere.
Nam dubio procul hæc aduerso flabra feruntur
Flumine, quæ gelidis à stellis axis aguntur.
Ille ex æstifera parti venit amnis ab Austro
Inter nigra virum, percoctaque sæcla calore,
Exoriens penitus media ab regione diei.
Est quoque, vti possit magnus congestus arena
Fluctibus aduersis oppilare ostia contra,
Cum mare permotum ventis ruit intus arenam.
Quo sit vti pacto liber minus exitus amni,
Et procliuus item fiat minus impetus vndis.
Fit quoque, vti pluuia forsitan magis ad caput eius
Tempore eo fiant, quo Etesia flabra Aquilonum
Nubila coniiciunt in eas tunc omnia parteis.
Scilicet ad mediam regionem eiecta diei
Cum conuenerunt, ibi ad altos denique monteis
Contrusa nubes coguntur, viq; premuntur.
Forsit et Aethiopum penitus de montibus altis
Crescat, vbi in campos albas descendere ningueis
Tabificis subigit radiis sol omnia lustrans.*

NILVS IN AESTATI.] Nunc cur Nilus in æstate crescat: qua de re sæpe quæsitum est ab antiquis: & Herodotus treis antiquorum opiniones refert, eamque refellit: quarum prima est ea, quæ in Etesias causam confert: secunda, quæ in Oceanum: tertia, quæ in niueis liquefactas: quartam affert suam, qua solem vult esse causam efficientem huius incrementi, nempe quia

sol brumæ tempore in Libyæ partibus cursum suum conficiens, multum ad se humorem è Nilo attrahat: atque iccirco Nilus hoc tempore præter naturam suam minor fiat: æstate autem aduentante, atque appropinquante sol discedens ad Septentriones, Græciæ fluuios siccat & minuat. idcirco Nilum videri æstate crescere, cum reuera hoc non fiat, sed potius hieme decrescat, sed hanc sententiam reprehendit Diod. Siculus lib. 1. quem legito si plura hac de re cognoscere cupis: & Herod. Euterpe: & Plin. lib. 5. cap. 9. & Melam lib. 1. cap. 9. & Solinū cap. 45. IN AESTATI] in æstate. IS RIGAT AEGYPT.] sic Virg. Geor. 4. *Et viridem Aegyptū nigra fecundat arena.* & M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. *Aegyptum Nilus irrigat, & cum tota æstate obrutam, oppletamque tenuerit, tum recedit, mollitōsque & oblimatos agros ad ferendum relinquit.* AVT QVIA SVNT AEST. AQ.] hanc rationem aiunt fuisse Thaletis, idque testatur & Diodorus Siculus lib. 1. his verbis, Θαλῆς μὲν οὖν εἶς τῶν ἐπιτὰ σφῶν ὄνομαζόμενος φησὶ τὸν Ἐπείρου ἀντιπρόσθεντα τῆς ἐμβολῆς τῆς ποταμῆς κωλύει εἰς δάλασσαν προχέειν τὸ ῥεῦμα, &c. id est, Thales vnus è septem sapientibus ait Etesias Nili ostiis reflanteis prohibere ne in mare profundatur. Etesias autem iidem sunt, atque Aquilones. flant enim à septentrionibus: hoc interest quod Aquilones qualibet anni parte potius, quàm æstate, & incertis anni temporibus spirant: Etesias autem sola æstate, nempe sub solstitium spirant. Itaque Etesias dicti sunt παρὰ τὸ ἔτος: quæ vox annum significat, quia certo anni tēpore flāt. de quibus sic Arist. lib. 2. de reb. superis. Οἱ δὲ ἑπτασίαι πῆσαι μετὰ τῶν πῶς ἐκ κινδύου ἐπιτολῶν, &c. id est, Etesias autem flant post solstitium, & canis ortum. QVO ETESIA FLABRA FERVNTVR] hanc esse puro veram, & rectam scripturam, non quod reperiatur in lib. manuscriptis expressa, sed quod propius absit ab antiqua. sic enim omnes fere libri veteres habent, quo etesia flare feruntur: Memmianus autem: *quo etesia efflare feruntur:* cum quo consentiūt aliquot vulgati: in his Parisienses, & Veneti antiquiores. QVAE GELIDIS A ST.] quæ flabra flant à septentrionibus. PERCOCTA QVE SAECLA CALORE] sic legi debet, & ita legitur infrā non longe ab extremo, ibi *Vsq; ad nigra virum, percoctaque sæcla calore.* adde quod Vaticanus codex habet *calore*, non, vt vulgati *colore.* significat autem Æthiopus. EST QVO QVE VTI MAGNVS] hanc rationem commemorat Pomponius Mela. OPPILARE] obstare tanquā multæ pilæ, seu columnæ confertim oppositæ. verbum est absolute positū hoc loco. sed M. Tullius vsus est participio patiente secunda Philipp. *negotiumque transegisses, nisi ille se sub scalas taberna libraria coniecisset, hisque oppilatis impetum tuum compressisset.* RVIT] ruit positum est ἐρεχθηκός, vt apud Virgil. Georg. 1. *cumulōsque ruit malè pinguis arena.* & 1. Æncid. *spumas salis aere ruebant.* & Lucrer. sup. lib. 1. *Quamlibet in partem tridunt res antè, ruantque Impetibus crebris.* ET PROCLIV V'S] sic habent tres libri manuscr. FIT QVO QVE VTI PL.] alia ratio, quam commemorat Plin. lib. 5. cap. 9. *Causas huius incrementi varias prodidere, sed maximè probabileis, Etesiarum eo tempore ex aduerso flantium repercussum vltro in ora actō mari: aut imbreis Aethiopia æstiuos, iisdem Etesias nubila illd ferentibus è reliquo orbe.* AD CAPVT EIVS] etiam de capite, & origine Nili valde dubitarunt veteres. exrat apud Hero-

dotum in Euterpe hac de re longissima disputatio, & item apud Diod. Siculum lib. 1. quos cum legeris, nihilo certiora de Nili fontibus cognoueris. Quia & Plinius eadem de re scribens lib. 5. cap. 9. nos æquè ferè incertos dimittit. sic autem ille. Nilus (inquit) incertis ortus fontibus, it per deserta & ardentia: & immenso longitudinis spatio ambulans, famâ que tantum quæsitus, sine bellis, quæ ceteras omnes terras inuenere, originem (vt Iuba rex potuit exquirere) in monte inferioris Mauritanie nõ procul Oceano habet, lacu protinus stagnante, quam vocat Nilidem. sic ferè & Solinus. Tum porro poëta ferè omnes Nili originem faciunt ignotam, vt Horat. od. 14. lib. 4. Te fontium qui celat originem Nilus. & Tibull. lib. 1. Nile pater, quamam possum te dicere causa, Aut quibus in terris occuluisse caput? & Lucanus lib. 10. Arcanum natura caput nõ prodidit vlli: Nec licuit populis paruum te Nile videre: Amouitque sinus, & genteis maluit ortus Mirari, quam nosse tuos. FORSIT ET ÆTHIOPVM] cum in duobus cod. manuscriptoris scriptum reperissem, Forsit at Æthiopum, Forsit &, reposui. forsit autè idem valet, quod forsan, & forsitan. quo vsus est Horat. sat. 6. lib. 1. & Virg. Æneid. 11. Postrema autem ratio est, quam obrè Nilus ætate crescat. CRESCAT] sic lib. Vaticanus, & vulgati Florentini: atque ita legendum. est enim hæc sententia. Forsitan etiam Nilus crescere possit de montibus Æthiopum. Fuit autem hæc opinio Anaxagoræ, & Euripidis, quæ eius discipulum fuisse ferunt: quam hoc vno argumento refellit Diodorus Siculus, quod fieri non potest propter immoderatos calores, vt in Æthiopia niues existant. DESCENDERE NINGVIBIS] ninguis, is, antiquum, pro nix, niuis. descendere autem legendum esse, nõ decedere, res ipsa loquitur. SVBIGIT] cogit, vt Virg. lib. 6. Æneid. Castigatque, auditque dolos, subigitque fateri. & Lucill. lib. 30. Tunc ingo iungas me autem, & succedere aratro Inuitum, & glebas subigas profcindere ferro?

*Nunc age, auerna tibi quæ sint loca cunque, lacusque,
Expeditam, quali natura prædita constent.
Principio, quod auerna vocantur, nomen id ab re
Impositum est, quia sunt auibus contraria cunctis,
E regione ea quod loca cum aduenere volantes,
Remigij oblata pennarum vela remittunt,
Præcipitesque cadunt molli ceruice profusa
In terram, si forte ita fert natura locorum:
Aut in aquam, si forte lacus substratus auerno est.
Qualis apud Cumas locus est, montemque Vesenum:
Oppleri calidis ubi fumant fontibus auctus.
Est & Athenæis in mœnibus, arcis in ipso
Vertice, Palladis ad templum Tritonidos alma,*

*Quò nunquam pennis appellant corpora rauca
Cornices, non cum fumant altaria donis:
Vsq; eadè fugitant non iras Palladis acreis
Peruigilij causa, Graiùm vt cecinere poëta,
Sed natura loci hoc opus efficit ipsa suavi.
In Syria quoque fertur item locus esse videri,
Quadrupedes quoque quò simulac vestigia primum
Intulerint, grauitè vis cogat concidere ipsa,
Mambus vt si sint diuis mactata repente.
Omnia quæ naturali ratione geruntur,
Et quibus è causis fiant, apparet origo:
Ianua ne his Orci potius regionibus esse
Credatur postea: hinc animas Acheruntis in oras
Ducere fortè Deos maneis inferne reamur,
Naribus alipedes vt cerui saepe putantur
Ducere de latebris serpentia sacra ferarum.
Quod procul à vera quàm sit ratione repulsum,
Percipe. nanque ipsa de re nunc dicere conor.*

NVNC AGE AVERNA] Nunc de auernis differere incipit. dicta autem sunt auerna, quasi ἀορνα, id est sine auibus, quia (vt ipse Lucretius statim dicit) sunt auibus contraria cunctis. de Auerna palude interiecta inter Misenum & Dicarchiam, id est Puteolos, lege Diod. Siculum lib. 4. Nā hoc loco Lucretius de genere ipso auernorum, non de vno auerno loquitur. Aristot. lib. 2. de τρωμασ. ἀερυστη. quandam auernam paludem describit non longè ab insulis Electridibus, fluuiòque Eridano: cuius paludis aquæ sint calidæ: odor ab ea exhalat grauis, & teter: ex ea nullum animal bibat: supra eam nulla auis volet: quod si forte volare conata sit, continuò in eam decidat, & intereat. Idem aliam non multis post versibus auernam paludè Cumæ vicinam commemorat his verbis. τὴν τὴν κύμην τὴν τὴν Ἰταλίαν, λίμνην ἐστὶν ἢ ποταμὸν ὑπονοούμενον ἀορνος, &c. Ad Cumas Italiæ urbè palus est quæ auerna appellatur, &c. PRINCIPIO, QUOD AVERNA] profert hunc versum Nonius, sed mendosè. QVIA SVNT AVIBVS C.] Virg. lib. 6. Spelunca alta fuit, vastòq; inamans hiatu, Scrupea, tuta lacu nigro, nemorùmque tenebris: Quam super haud vllæ poterant impunè volantes Tendere iter pennis: talis sese halitus attris Fauibus effundens supera ad conuexa ferebat: Vnde locum Graij dixerunt nomine auernum. E REGIONE EA QVOD] ordo est. quod cum è regione ad ea loca venère, &c. legendum

autem fortasse est aduenere: vel subintellige ad. sic Virg. lib. 1. *Aeneid.* *Deuenerere locos, ubi nunc ingentia cernes Mœnia.* REMIGII OBLITAE PENNARVM] sic Virg. lib. 6. *Aeneid.* tibi Phœbe sacravit Remigium alarū. SI FORTE ITA FERT] sunt enim quædam auerna sine aqua. SI FORTE LACVS SUBSTR.] si forte lacus est auernis subiectus. QVALIS APVD CVMAS LOCVS EST, MONTEM QVE VESEVVM.] Cum hic versus in cod. Vaticano ita legatur, *Is locus est ap. & Vesui per montis*: in Tethiano autem & Faern. *Is locus est Cumas apud, & Vesui per montis*: in Memmiano porrò: *Is locus est Cumas apud ecris ui per montis*: in vulgatis autem partim *Is locus Cumas est apud eius sub pede montis*, partim *Is locus est Cumas apud Etruscos per monteis*: partim *Etruscos & monteis*, partim *errisui per montis*: perspicuum sit autem Lucretium instituisse disputationem non de vno certo auerno, sed de omnibus, & de genere ipso auernorum: in hac sententia sum, à qua deduci non possum, neque hunc versum, neque eum, qui deinceps sequitur, esse Lucretianos, sed ab aliquo inepto inculcatos, & fortasse ex aliqua annotationiuncula ad oram libris ascripta natos. Quid enim ineptius, atque adeò absurdus, quàm posteaquam de toto genere Auernorum disputauit, vt dixi, hos versus subiungere, *Is locus est Cumas, &c.* quibus ostendat se de vno auerno locutum esse: vel igitur non sunt Lucretiani, (quod verius esse puto) vel principium versus ita est emendandum, quemadmodum excudendum curauit: vt intelligamus Lucretium auernorum genere explicato, singulari auerni, eiusque notitiam exemplum proponere voluisse. Hinc auernum autem non longè abesse à Vesuo, seu Vesuio monte, & Cumis constar. si quis tamen malet legi, *montemque Misenum*, non pugnabo. AVCTVS] id est scaturigines, & quasi incrementa aquarum. EST ET ATHENABIS] est etiam in mœnibus Atheniensibus, id est Athenis, in ipso arcis vertice, locus, ad quem nunquam cornices aduolant. NON CVM FVM. ALT.] ne tunc quidem cum verisimile erat eas maximè aduolaturas. TRITONIDOS] Pallas Tritonia, & Tritonis, & Tritogenia dicitur, quod ad amnè Tritonem nata sit. Virgil. lib. 2. *scenaq; petant Tritonidos arcem.* Aliæ tamè horum cognominum rationes afferuntur. VSQVE ADEO FUGITANT NON IR. P. ACR.] id est, non quòd fugiant grauis Palladis iras, sed quòd talis sit illius loci natura. Coronis, quæ postea in auem cornicem versa est, cum Erichthonium in cista inclusum, cistam aperientibus Pandroso, Herse, Aglauro, vidisset: rem ad Palladem detulit. Propterea è comitatu Palladis eiecta est. auis postea à Neptuno facta, ne tum quidè iras Palladis oblita, templum eius fugere, quasi irata fingitur. Ouid. *Metamorph. 2.* *Acta Dea refero: pro quo mihi gratia talis Redditur, vt dicar intela pulsa Minerva, &c.* PERVIGILII CAUSA] si legamus *Peruigili cura*, id est summo studio, accurate, assidua cura: coniungemus cum verbo *vitant*, vt sit *vitant peruigili cura*. Sin, vt in plerisque libris legitur, *Peruigili causa*: huius scripturæ rationem non erit facile explicare, nisi quis dicat iratam Coronidi fuisse Minervam *peruigili causa*, id est quia peruigilauerit, vt Erichthonium in ea cista inclusum videret. SED NAT. LOCI HOC OPVS] secutus sum codices Parisiensis, nam alij habent, *Sed nat. loci opus efficit*, quæ lectio si cui ma-

gis probetur, in voce loci, i, vocalis ante vocalem non elidetur, & producentur. sic apud Horat. epod. od. II. *Feruidiove meo arcana promorat loco.* s v a v i] sic legi debet, non vt vulgò *suapte*: quod natum est ex deprauata scriptura *suabi*. LOCVS ESSE VIDERI, QVADR. QVOQVE QVOD] Sic habent omnes libri & manuscripti, & vulgati, quos quidem viderim, præter Florentinos: in quibus ita impressum est, *locus esse, volantes, &c.* quarum lectionum neutra mihi admodum placet, nisi dicamus hanc receptam, quam secutus sum, sic explicari posse, In Syria etiam fertur esse locus, & videri, quòd etiam quadrupedes simulac, &c. vel sic in Syria fertur esse, id est, licere, videre, seu videri, &c. Ego sic putabam hunc locum emendandum, In Syria q. f. i. locus esse, volucres, Et quò quadrupedes simulac n. p. Per hunc locum autem, Plutonium significari puto, quod est in Hierapoli non procul à Laodicea: de quo sic Strabo lib. 13. τὸ δὲ πλετώσιον ὑπὲρ τῆς μικρῆς τῆς ἑσπερίας ὀρενῆς, σὺ μὲν ἔστι σύμμετρον ὅσον ἀνθρώπων δέξασθαι δύο ἄμβουσι, βεβάδουται δ' ὀππολὸν, &c. τὸ δ' εἴπω παρὲν τὴν ζῶον θάνατος παρὰ χεῖρμα ἕπαιται, ταῦτα γὰρ εἴπω χεῖρες πύπαι, καὶ ἑξέλιγονται νεκροί. ἡμεῖς δ' ἐπεὶ δία ἐπέμειλαμεν, καὶ ἕπεσον ἐκείνου ἐκπνεύσαντες, id est, Plutonium autem sub exiguo montis imminenti supercilio, os est ea amplitudine, vt hominem capere possit tantum, altitudine verò immensa &c. animanti autem eò ingresso mors præsens parata est. Tauri enim introducti, concidunt, & extrahuntur mortui. nos autem passerculos immisimus, & statim ceciderūt anima profusa, haec tenus Strabo. Est etiam Panium antrum in radice montis Libani: quod grauem, & mortiferum spiritum exhalat. CONSIDERE IPSA] mutat genus, subintelligendū enim est animalia, aut aliquid simile. MANIBVS VT SI SINT DIVIS] proinde ac si sint Diis Manibus repente immolata. IANVA NE HIS ORCI POTIVS R.] id est, hoc dico nempe hæc omnia naturali ratione geri, & causam apparere, quam obrem fiant, ne forte potius Orci ianua credatur his regionibus esse posita: vt vulgò creditur. CREDATVR POSTA] sic restitui, neq; verò dubium est quin ita sit legendum, *posta* autè id est posita, sita. HINC] ex hac Orci ianua. DUCERE] trahere. INFERNE] sic legendum, non inferna. infernè autem id est ex inferis, seu ex locis infernis. NARIBVS ALIPEDES] quemadmodum cerui alipedes, hoc est, quibus pedes alarum sunt loco, & pedum celeritate præstantes, naribus serpenteis è latebris ducere existimantur. Quod hic ceruis tribuit Lucretius, hoc idem elephantis attributum esse proditum est, teste Plinio lib. 11. cap. 53. *Elephantorum anima serpenteis extrahit, cervorum item vrit.*

*Principiò hoc dico, quod dixi saepe quoque antè,
In terra cuiusque modi rerum esse figuras:
Multa, homini quæ sunt vitalia: multaque morbos
Incutere, & mortem quæ possunt accelerare:
Et magis esse aliis alias animantibus aptas
Res ad vitæ rationem ostendimus antè,*

Propter dissimilem naturam, dissimileisque
 Texturas inter sese, primasque figuras.
 Multa meant inimica per aureis, multa per ipsas
 Insinuant nareis infesta, atque aspera tactu.
 Nec sunt multa parum tactu vitanda, neque autem
 Aspectu fugienda, saporéque tristia quæ sint.
 Deinde videre licet, quàm multæ sint homini res
 Acriter infesto sensu, spurcæque, grauésque.
 Arboribus primùm certis grauis umbra tributa est,
 Usque aded, capitis faciant ut sæpe dolores,
 Siquis eas subter iacuit prostratus in herbis.
 Est etiam in magnis Heliconis montibus arbor
 Floris odore hominem tetro consuetâ necare.
 Scilicet hæc idè terris ex omnia surgunt,
 Multa modis multis multarum semina rerum
 Quod permista gerit tellus, discretæque tradit.
 Nocturnumque recens extinctum lumen, vbi acreis
 Nidore offendit nareis, consopit ibidem:
 —Concidere vt pronos qui morbus mittere sœuit:
 Castoreoque graui mulier sopita recumbit:
 Et manibus nitidum teneris opus effluit eij,
 Tempore eo si odorata est, quo menstrua soluit.
 Multaque præterea languentia membra per artus
 Soluunt: atque animam labefactant sedibus intus.
 Denique si calidis etiam cunctere lauacris,
 Plenior & fueris folio in feruentis aquæ,
 Quàm facile in medio fit vti des sæpe ruinas?
 Carbonumque grauis vis, atque odor insinuatur
 Quàm facile in cerebrum, nisi aquam præcepimus antè?
 At cum membra hominis percepit feruida febris:
 Tum fit odor vini plagæ inactabilis instar.
 Nonne vides etiam terra quoque sulfur in ipsa
 Cignier? & tetro concrefcere odore bitumen?

Denique, vbi argenti venas, aurique sequuntur
 Terræ penitus scrutantes abdita ferro,
 Qualeis exspiret scaptésula subter odores?
 Quidve mali fit vt exhalent aurata metalla?
 Quas hominum reddunt facies? qualeisque colores?
 Nonne vides, audisve perire in tempore paruo
 Quam soleant? & quàm vitæ copia desit,
 Quos operæ in tali cohibet vis magna? necessest
 Hos igitur tellus omneis exastuet æstus:
 Exspirétque foras in aperta, promptaque cæli.

QVOD DIXI SÆPE] sup. lib. 2. ibi Nunc age iam deinceps cunctarum
 exordia verum Qualia sint, &cet. MVLTÀ HOMINI] ordo est, multa esse,
 quæ homini sint vitalia: & multa, quæ possint morbos incurrere, & mortem
 accelerare. OSTENDIMVS ANTE] lib. 4. ibi Nunc aliis alius cur sit ci-
 bus, vt videamus, &c. & lib. 5. ibi, neque sunt eadem iucunda per artus. Quippe vi-
 dere licet pinguescere sæpe cicuta, &c. DEINDE VIDERE LICET] hunc
 versum cura eo, qui deinceps sequitur profert Nonius in nomine spurcus.
 ACRITER INFESTO SENSU] lego acriter infestæ sensu, tametsi No-
 nius legat infestem sensum. ARBORIBVS PRIMVM CERTIS GRA-
 VIS] vt iuglandibus: de quibus sic Plin. lib. 17. cap. 12. Iam quædam umbra-
 rum proprietates. Iuglandium grauis, & noxia, etiam capiti humano, omnibusque iuxta
 satis, &c. & iuniperis. Virgil. Gallo. Iuniperi grauis umbra. EST ETIAM
 IN MAGNIS] quæ sit hæc arbor, & quo nomine appelletur, non legi, aut
 si quando legi, non memini. TERRIS EX] pro ex terris: ut asæph.
 MVLTÀ MODIS MVLTIS, &c.] ordo est, quod tellus gerit multa mul-
 tarum rerum semina multis modis permista, & ea discreta tradit. Itaque pu-
 tauit aliquando hos versus præposterè locatos, & cõuerso ordine legendos,
 hoc modo, Quod permista gerit, &c. Multa modis, &c. NOCTVRNVM QV-
 RECENTS, &c.] odor lucernæ modò extinctæ consopit, atque aded spiri-
 tum intercludit: denique (vt scribit Plin. lib. 7. cap. 7. plerunque abortus causa
 est. CONCIDERE VT] huius versus ita varia & multiplex scriptura est,
 ita absurda atque aded obscura sententia, vt verisimile sit nõ esse Lucretia-
 num. proponam igitur lectori scripturæ varietatem: hoc primum: deinde
 quid de hoc loco sentiam, dicam. Sic igitur habent quidam libri manuscr. in
 his Tethianus: Concideret & fumos qui morbo mittere sœuit: Vaticanus sic: Con-
 cidere & primos qui morbo mittere sœuit: Memmianus sic: Concideret vt pronos
 qui morbos mittere sœuit: cum quo consentiunt quidam vulgati: Lugdunenses
 & Florentini sic: Concideret vt pronos, qui morbos mittere sœuit: Parisienses sic:
 Concideret & primos qui morbos mittere sœuit: Aldini antiqui. sic: Concideret & pri-
 mos, qui morbo mittere sœuit. Iouian. Pontanus sic legebat: Concideret vt primos

qui morbo mittere suenit. ad oram codicis Memmiani sic emendatum est. *Concidere ut spumas qui morbos mittere suenit.* quidam amicus meus sic: *Conspicit spinus, qui morbos mittere suenit.* spinus autem lapidis genus est apud Theophr. Vides lector nihil esse certi, in quo insistere queas. Nunc quid sentiam de hoc loco, expectas ut dicam. delendum. nam neque Lucretianum esse arbitror, & ausim affirmare ex aliqua annotatiuncula ascripta natū. Sed si quæras quam potissimum harum scripturarum probem: nulla mihi probatur. est tamen aliqua species in hac, *Concidere, ut, spumas qui morbo mittere suenit.* quanquam agere spumas dicimus, non mittere. CASTOREO QVE GRA. VI] graue appellat castoreum propter odorem grauem. nam grauidæ mulieres castorei odore partum abiiciunt. Virgil. i. Georg. *virosa castorea* dicit ab eo quod est virus. dictum autē castoreum à castore, qui Latino nomine fiber appellatur. quem vulgò aiunt scientem quamobrem experatur, abscissis sibi testiculis, effugere è manibus insectantium: quam opinionē secutus etiā Cicero, *Redimunt se* (inquit) *ea parte corporis, propter quam maximè experantur.* Sed negat hoc *sexius medicina diligentissimus* (ut tradit Plin. lib. 32. cap. 3. *quia parui sint testiculi, & substricti, & spinæ adhaerentes, nec adimi sine vita animalis possint.* ET MANIB. NITID. &c.] opus muliebre, ut tela, & similia ad lanificium pertinentia. nitidum autem puto intelligendum, quod Homerus dicit *ἐανδύ, aut φανύβν.* EFFLVIT EI I] excidit ei de manibus. SI ODORATA EST] si o duæ syllabæ breues: quæ cum longa antecedente dactylum efficiant. QVO MENS TRVA SOLVIT] vel ex hoc loco refelluntur ii, qui in superiore versu legi volunt, *Castoreoque grauis, & per grauem, grauidam significari volunt.* Nam mulieres grauidæ menstrua non soluunt. MVLTA QVE PRAETER.] id est, & multæ res præterea soluunt membra, &c. DENIQVE SI IN CAL. ET. CYNCTERE LAVACRIS] cum in libris manuscriptis scriptum reperissem partim *cuncta relauaris*, partim *contere lauaris*: in Venetis præterea & Parisiens. *cum te relauaris*, ego Mureto approbato, atque ad eò auctore iam antea cum Romæ essem, *cunctere lauacris*, & in meis aduersariis reposueram, & in meo Lucretio emendatam. quam emendationem multò magis amplexus sum cum in libro Adr. Turnebi ita hunc versum reperi emendatum. docti quidam tamen ex hac antiqua scriptura coniciunt legendum *lauabris*. lauabrum autem dicunt esse nomen integrum à lauando: à quo sit diminutum *labrum*, vas in balneo, vbi lauabant. PLENIOR ET SIS IN SOLIO] solium vas in quo lauabant sedentes, atque idem fortasse quod labrum. IN MEDIO] solio. PRAECEPIMVS] antè hausimus, & bibimus. ANTE] antè quàm odor carbonum in cerebrum insinuari possit. AT CVM MEMBRA HOMINIS] vide obsecro te, lector, quot, & quætas huius loci corruptèdi ansas præbuerit vnius litteræ immutatio. Nam cum pro *febris*, imperiti illi librarij scripserint *feuris*, u, pro b. deinde ex *feuris* factum esset *seruis*: hinc natæ sunt tot & tam variæ scripturæ. alij enim sic corruperunt. *At cum membra minus pertexit feruida seruis*: & ita habent codices Paris. & Veneti antiquiores: alij, *At cum membra domas percepit feruida seruis*: & ita Florent. alij, *At cum membra domus percepit feruidus ignis*. quid multa? longum est ce-

terras

terras scripturas referre. Sententia autem eius, quam restitui, scripturæ hæc est. At cum homo febris affectus & correptus est, tum odor vini est illi tanquam plaga, seu ictus validissimus. confer cū hoc loco versus aliquot lib. 4. ab illo, *Quippe vbi cui febris belli superante coortast, &c.* MACTABILIS] quæ mactare possit. quidā libri, in his Parisienses habent, *manabilis*. NÓNNE VIDES ETIAM TERRA] ad hunc locum illustrandum multum confert quod ait Vitruuius lib. 8. cap. 7. his verbis. *In puteorum autem fossionibus non est contemnenda ratio: sed acuminibus, solletrâque magna naturales rerum rationes consideranda, quod habet multa, variâque terra in se genera. Est enim, vni reliquæ res, ex quattuor principiis composita. & primum est ipsa terrena, habetque ex huius more aquæ fonteis: item calores, vnde etiam sulphur, alumen, bitumen nascitur: ærisque spiritus immanis, qui cum graues per interuenia fistulosa terra perveniunt ad fossionem puteorum, & ibi homines offendunt fodientes, naturali vapore obturant in eorum naribus spiritus animalis: ita qui non celerius inde effugiunt, ibi interimuntur.* DENIQVE VBI ARGENTI] ordo verborum & sententia huius loci hæc est. denique nonne vides quales odores expiret scaptesula, vbi, seu in qua homines auri atque argenti venas sequuntur, terræ parteis abditas ac retrusas ferro scrutantes? SCAPTESVLA] scaptesulam (sic enim scribi debet) Pompeius Festus ait esse locum vnde argentum effoditur in Macedonia, à fodiendo dictum: nam *σκάπην* Græcè fodere dicitur: idemque hūc Lucretij versum profert. Ut autem notior sit huius vocabuli origo, scaptesula dicta est quasi *σκάπην ὄλην*, id est fossilis materia. mutata est enim aspirationis nota in f. scaptes hula, scaptesola, ut in f. sus, & super, &cet. S. V. B. T. E. R.] subter aduerbium est, vel subintellige terram. Sed quod hîc de metallorum, & fodinarum odoribus à Lucretio dicitur: sciendū est non vnum esse omnium metallorum odorem. nam odor auri igne calefacti gratus & suavis est: argenti minus gratus: æris & ferri spurcus & teter. Taleis igitur & singularum fodinarum odores esse credibile est. QVAS HOMINVM REDD.] quàm pallidas, & virideis, & exanguis? ut videantur mortui ambulare. DESIT, QVOS, &c.] desit iis, quos vis magna, id est necessitas, durum telum, & seruitus (erant enim olim serui pœnæ, damnati ad opus metalli) cohibet, & continet in tali opere. post vocem *magna*, interpunctionis nota scribenda est: nam quod vulgò ita legitur: *cohibet vis magna vacare*, peccatum est ab iis, qui non videntes, hanc partem vltimā versus, *necessēst*, referri & pertinere ad ea quæ sequuntur, nimium arroganter & confidēter deleta vera scriptura, substituerunt, verbū *vacare*. sic enim legitur in omnibus libris vulgatis, præter Venetos antiq. & Parisienses, *cohibet vis magna vacare*, planè incepte. NECESSĒST HOS IGITVR] id est necesse igitur est, ut terra hos odores omnes expiret foras in apertas & promtas celi parteis. Atque hæc est sola omnium auernorum causa.

Sic & auerna loca alitibus summittere debent
Mortiferam vim, de terra quæ surgit in auras,
Ut spatium cali quadam de parte venenet.

Quò simul ac primum pennis delata sit ales,
 Impediatur ibi cæco conrepta veneno,
 Et cadat è regione loci, quâ dirigit æstus.
 Quò cum conruit: hæc eadem vis illius æstus
 Reliquias vitæ membris ex omnibus aufert.
 Quippe etenim primò quasi quendam conciet æstum:
 Posterius fit, vti, cum iam cecidere veneni
 In fonteis ipsos, ibi sit quoque vitæ vomenda:
 Propterea quòd magna mali sit copia circum.
 Fit quoque, vt interdum vis hæc, atque æstus auerni
 Aëra, qui inter auis cunque est, terramque locatus,
 Discutiat, propè vti locus hinc linguatur inanis:
 Cuius vbi è regione loci venere volantes:
 Claudicat extemplò pennarum nifus inanis:
 Et conamen vtrinque alarum proditur omne.
 Hic, vbi nictari nequeunt, insisterè que alis.
 Scilicet in terram delabi pondere cogit
 Natura: & vacuum propè iam per inane iacentes,
 Dispergunt animas per caulas corporis omneis.

SIC ET AVERNA] Multis similibus collectis ac præpositis, ex quibus intelligere licet variis è rebus odores mitti, redit ad auerna: & ostendit, quernorum rationem in aquarum, aut terrarum odoribus, quæ in auras surgunt, esse positam. DIRIGIT] quidam lib. manuscripti habent *qua dirigit æstus*. VENENI IN FONT.] sic legèdum est. *cecidere* autem, *aves* scilicet. nam mutat numerum, cum antecedit vox *ales* numeri singul. FIT QUOQUE, VTI INTERDUM] potest etiã fieri, (inquit Lucretius) vt spiritus ex auernis efflatus aëra inter auis & terrã interpositum dimoueat, ac discutiat, & ita totũ illud spatium inane relinquatur. quo facto auis in eo inani spatio volare conantes, nõ habentes iam vbi nitantur, delabuntur in terrã, aut in aquã, eodẽmque tempore, quia aërem quẽ ducant, non habent, extinguantur atq; intereant. Sed quòd efficit terræ æstus, & ingès halitus, idẽ potest efficere etiã multorũ hominũ vox magnis lateribus profusa. quòd testatur Plutarc. in T. Flaminio: vbi narrat Macedonibus à Flaminio deuictis cũ præco Corinthios, Locros, Phocenses, Eubæos, Thessalos, ceteros, liberos, & à vèctigalibus pensitandis immuneis in stadio declarasset, tantũ clamorẽ Græcorum, imperatori Ro. gratias agentũ, atque inter se gratulantũ fuisse, vt corui interea è regione stadij volantes in medium theatrum exa-

nimes deciderint. cuius rei causam confert Plutarchus vel in aërem discissum: quia cum multus clamor & magnus profunditur, dissipatus, ac distractus aër volantibus auibus, vbi nitantur, atque insistant, præbere non potest. ita fit, vt decidant: vel in ietum ac plagam à clamore incussam: qua quasi transuerberatæ exanimantur: vel in aëris circumactionem & quasi vorticem, qualis in aquis & mari existere solet, salo vim & impetum de integro assumere, & amplificato. PENN. NIS. INAN.] nusquã niti possunt aëre discusso. inane enim nulli rei subsistit. *al. pennarũ. VTRINQ.]* à dextra & leua. PRODITVR] sic repositi quattuor codices manuscriptos secutus: in his Vaticanum, & Memmianum. sic supra vsurpauit: *Inclinata minent in eandem prodita partem:* & paullo post, *verumque sequatur prodita summa.* HIC VBI NICTARI NEQUEVNT] Pompeij Festi testimonium atque auctoritatem secutus sic excudendum curavi: qui in verbo *nictari* profert hũc versum, docetque *nictare* esse oculorum & aliorum membrorum nifus sæpe aliquid conari, vt iam antè ex eo retulimus sup. Nõ celabo lectorem tamen, in omnibus libris manuscriptis & vulgatis, quos quidem viderim, legi *nixari*. quam scripturam si quis magis probabit, non valde repugnabo. quin nisi me moueret Festi auctoritas, *nixari* retinuissẽ. est enim verbum à nitendo deductum: quòd huic loco magnopere conuenit. nam & supra tertio abhinc versu, *nifum pennarum* dixit, & Virgil. lib. 4. *Æneid.* sic locutus est: *Hic primum paribus nitens Cyllenius alis Constitit.*

Frigidior porrò in puteis æstate fit humor:
 Arescit quia terra calore, & semina siqua
 Fortè vaporis habet, propè dimittit in auras.
 Quo magis est igitur tellus affecta calore:
 Hoc fit frigidior, qui in terrã st abditus, humor.
 Frigore cum premitur porrò omnis terra, coitque,
 Et quasi concrescit: fit scilicet, vt coeundo
 Exprimat in puteos, si quem gerit ipsa calorem.
 Esse apud Ammonis fanum fons luce diurna
 Frigidus, at calidus nocturno tempore fertur.
 Hunc homines fontem nimis admirantur, & acri
 Sole putant subter terras feruescere raptim,
 Nox vbi terribili terras caligine texit.
 Quòd nimis à vera st longè ratione remotum.
 Quippe vbi sol nudum contrectans corpus aquai,
 Non quierit calidum supera de reddere parte,
 Cum superum lumen tanto seruore fruatur,

Pura tenet, ut Parisiensis; alij *Pura*, ut Veneti recentiores, & Florent. & Basil. alij *Par tenet*, ut cod. Memmianus; alij *Pura tenet*, ut Vatic. & Bertin. ego enim cum ex hac varietate scripturae mendis suspicio mihi esset iniecta, & iam antea huius loci sententia non satis explicata videretur: ex antiqua scriptura *Para tenet*, feci *Rara tenet*: cuius sententia est in promptu. hoc enim dicit, eam terram, qua hunc fontem circumplectitur, esse rariorem cetera terra, multaque ignis semina in se continere: atque hac ignis semina iccirco aquae corpori esse vicina. Itaque nocturno frigore hanc terram compressam & contractam, quae alioqui sua natura rara est, ignis semina in se inclusa in fontem exprimere: quibus fons coalescat. QVAE CAL. FACIUNT LATIUS TACTUM, ATQUE SAPIREM] id est, quae faciunt, ut huius fontis aqua sit tactu, & gustatu calida: quod est consentaneum cum iis quae paulo ante ex Arriano retuli. Sic autem habent libri omnes, quos quidem viderim. Sed Beda legit hoc loco *Quae calidum faciunt aqua tactum*, & cetera. docens vocalem alioqui breuem, quae littera q. iuncta cum vocali u. & deinceps qualibet alia vocali exciperetur, produci licere, ut hic a Lucretio producitur. OBORTIS] cod. Florent. habet, obortus: manuscripti autem nonnulli, abortus: quae vitiosa scriptura fortasse confirmat Florentinam. RVRVS IN ANT. RED. PR.] Jordo est, primordia ignis redeunt in antiquas sedeis, nempe in terram. PRAETEREA SOLIS] aliam rationem affert. PROPTEREA FIT, VTI, QVAE] profert hunc versum cum duobus deinceps sequentibus Prisc. sed duos proximos paulo aliter, quam vulgo leguntur, ut iam dicemus. QVIN SAepe GEL.] vulgati ferè omnes praeter Parisiensis & Venetos antiqui, habent, cum saepe gelum manu scripti tres, quasi saepe gel. quibuscum congruunt Paris. & Veneti antiqui quo modo legit & Priscian. si illo loco emendatus est: alij scripti, partim quia saepe gelum, partim quia saepe gelum: quod postremum, ut omnium optimum, secutus sum: quanquam illud, cum saepe gel. non improbo. MITTIT] sic legitur apud Priscianum, & ita habent codices Veneti antiquiores, & Parisiensis, & tres manuscripti. Memmianus autem *Mitti*, quod deprauatum esse ex recto *mittit* vel cæcus videat. *mittit* autem positum pro dimittit, seu omittit. NODOSQUE RELAXAT] sic legitur etiam apud Prisc. & ita habent omnes ferè vulgati, praeter Ald. antiqui. in quibus legitur: *nonosque vel*: & ita scriptum est in Vaticana membrana. in duobus aliis libris manuscriptis, *venasque*: quibuscum consentiunt libri Florentini: in Memmiano *nubisque*. quae scripturae omnes sine dubio sunt corruptae.

*Frigidus est etiam fons, supra quam sita saepe
Stupa iacit flammis concepto prorinus igni,
Tedaque consimili ratione accensa per vndas
Conlucet, quocumque natans impellitur auris:
Nimirum quia sunt in aqua permulta vaporis
Semina, de terraque necesse st funditus ipsa*

*Ignis corpora per totum consurgere fontem,
Et simul exspirare foras, exireque in auras,
Non tam viua tamen, calidus queat ut fieri fons.
Praeterea dispersa foras erumpere cogit
Vis per aquam subito, sursumque ea conciliari:
Quod genus endo mari spirat fons dulcis aquarum
Qui scaturit & salsas circum se dimouet vndas.
Et multus alius praebet regionibus aquor
Vtilitatem opportunam sitientibus nautis,
Quod dulces inter salsas interuomit vndas:
Sic igitur per eum possunt erumpere fontem,
Et scaturire illa foras in stupam semina: quod cum
Conueniunt: aut cum tediae corpori adhaerent:
Ardescunt facile extemplo: quia multa quoque in se
Semina habent ignis stupae, tediaeque tenentes.
Nonne vides etiam nocturna ad lumina lychnum
Nuper ubi extinctum admoueas, accendier ante,
Quam tetigit flammam: tediaeque pari ratione?
Multaque praeterea prius ipso tacta vapore
Eminus ardescunt, quam comminus imbuat ignis.
Hoc igitur fieri quoque in illo fonte putandum st.*

FRIGIDVS EST ETIAM FON.S] Talis fons est in Epiro, non longe à Dodonæi Iouis templo, ut testatur Mela lib. 2. his verbis. *Et fons idem sacer, quod cum sit frigidus, & immersas facies, sicut ceteri, extinguat: ubi sine igne procul admouentur, accendit.* de eodem fonte Plin. lib. 2. cap. 103. *In Dodone Iouis fons cum sit gelidus, & immersas facies extinguit: si extinctae admoueantur, accendit. Idem meridie semper deficit. qua de causa anapaomemnon vocant.* DE TERRA QVAE NECESS EST] Etiam Aristoteles lib. 2. μεταρ. testatur in terra vim ignis inesse, his verbis. εἰς δὲ πολλὰ χεῖ κρήναι καὶ πρὸς ματα ποταμῶν παρὰ δαπέδον ἔχοντα χυμῶς. ὃν παύτην εἰπατέον πλεῖστον εἶναι, ἢ ἐγγιστοὺς ἢ δυνάμει πλεονεξίας καὶ ὁμοῦ ὅδ' ἢ γὰρ, τὰ μέλλοντα ἢ ἴστων παρὰ δαπέδον λαμβάνει μορφὰς καὶ χροῖας καὶ χυμῶν. id est sunt autem multis locis fontes & flumini omnis generis saporibus praediti, quorum omnium causa ei quae inest, aut innascitur in terra ignis potestati ascribenda est. terra enim dum vritur magis & minus omnis generis formas & colorum & saporum sumit. PER TOTVM CONSVRGERE FONTEM] sic habent omnes libri & manuscripti, & vulgati praeter Lugdunen-

seis, in quibus legitur, *consistere fontem.* [CONGREGARI] cogi, congregari.
 QVOD GENVS] cuius generis. ENDO MARI] id est in mari. secutus
 autem sum codicem Memmii, licet & legere *Indu mari.* nam *indu* etiam in
 significat. sic sup. lib. 2. *quis habere profundi Indu manu validas potis est moderat-*
ter habenas? vulgata autem lectio, *Inde mari,* corrupta, & vitiosa est. FONS
 DVLCIS AQVAI] fortasse ut *Arethusa:* quæ tamen non in mari, sed in
 insula est. M. Tull. de signis. *In hac insula extrema est fons aquæ dulcis, cui no-*
men Arethusa est. Plin. lib. 2. cap. 101. *Quidam fontes odio maris ipsi subeunt ve-*
da, sicut Arethusa fons Syracusanus, in quo redduntur iacta in Alpheum. huc per-
 tinet illud Virgil. Gallo. *Sic tibi cum fluctus subter labere Sicanos, Doris amarâ*
suam non intermisceat undam. SCAPI] a verbo scato. is. ut lib. 5. *Et partim*
plano scatere, atque erumpere campo. QVOD CVM CONV.] ad quam stupam
 cum semina ignis cõveniunt, &c. AVT CVM TEDA CORP. ADH.]
 sic restitui librorum manuscriptor. vestigia secutus. ARDESCVNT] stup-
 pa & teta. TEDA QVÆ TENENTES] teta habent tenentes, sic dictum
 ut illud sup. lib. 1. *Amplexi quod habent peruersè prima vias ad quicquid locum le-*
ge, si tibi commodum est, quæ annotavi. NONNE VIDES ETIAM]
 argumentum à simili, quò utitur & Arist. lib. 1. meteor. ut mox dicemus.
 NOCT. AD LVM. LYCHNVM.] omnes lib. vulg. habent, *noct. ad lum. li-*
num, præter Parisiensis: in quibus impressum est, *lychnum,* quæ scriptura
 reperitur in codice Memmiano: reperitur & in libris Basilienfisibus ad mar-
 ginem ascripta. in Fethiano autem & Faern. manuscriptis *licnum,* ex qua
 scriptura legendum aliquando putavi *lignum.* Nam etiam *lignum* paullo ante
 extinctum, si ad lumen nocturnum admoueat, cõtinuò denuò accen-
 ditur. Cum alias autè ob causas *lignum* mihi magis placet, quàm *linum,* tum
 propterea quia etiam supra lib. 2. ignem è ligno & teta factum, seu ortum
 conuictè posuit, ibi *Noster hic è lignis ortus, tetaque creatus,* de illa autem, quam
 dixi reperiri in libris Parisiensibus, quid dicam, nescio. Nam ut eam impro-
 bem, facit quòd *lychnus,* & nocturnum lumen si quid inter se differat, dif-
 ferunt ut species, & genus. Propemodum igitur simile est ac si ita loqueret-
 ur, *Nonne vides vbi lychnum nuper extinctum ad lychnum admoueas,*
 illum antè accendi, quàm flammam tetigit? Rursum ut eam probem, facit
 Aristoteles, qui lib. 1. meteor. eo loco, vbi disputat de stellis cælum per-
 currètibis, tali utitur similitudine. *ἡ τροφή οὐκ ἐστὶν ἰσότης ἀπὸ τοῦ πύρου ὅτι τὸ τοῦτο*
ἔχει τὴν ἀπὸ τοῦ πυροῦ ἀπὸ τῆς ἀπὸ τοῦ πυροῦ ἀπὸ τῆς ἀπὸ τοῦ πυροῦ ἀπὸ τῆς ἀπὸ τοῦ πυροῦ, &c. id
 est dubitare autè possit quispiam vtrum quẽadmodũ exhalatio sicca lychni
 subiecta, à superna flamma, lychnum inferiorem accendit, &c. has igitur
 scripturas consideret lector eruditus, & quam iudicabit optimam, eam
 sequatur. IMBVA TIGENS] tralatio est à succis & odoribus ad ignem.

Quod superest, agere incipiam, quo fœdere fiat
Natura lapis hic ut ferrum ducere possit.
Quem magnetæ vocant patrio de nomine Gray,
Magnetum quia sit patriis in finibus ortus.

Hunc

Hunc homines lapidem mirantur: quippe catenam
Sæpe ex annellis reddit pendentibus ex se:
Quinque etenim licet interdum pluresque videre
Ordine demissos leuibis iactarier auris,
Vnus vbi ex vno dependet subter adharrens:
Ex alióque alius lapidis vim, vinclaque noscit:
Vsque adeò permanenter vis perualet eius.
Hoc genus in rebus firmandum est multa prius, quàm
Ipsius reirationem reddere possis:
Et nimium longis ambagibus est adeundum:
Quo magis attentas aureis, animumque reposco.
Principio omnibus à rebus quas cunq; videmus,
Perpetuò fluere, ac miti fateare necesse est
Corpora, quæ feriant oculos, visumque laceasant:
Perpetuòque fluant certis ab rebus abortu:
Frigus ut à fluuiis, calor à sole, æstus ab undis
Aequoris, exesor mœrorum littora propter:
Nec varij cessant sonitus manare per auras.
Denique in os falsi venit humor sæpe saporis,
Cum mare versamur propter: dilutæque contra
Cum tuimur misceri absinthia, tangit amaror.
Vsque adeò omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur, & in cunctas dimittitur vndique partes.
Nec mora, nec requies inter datur vlla fluendi,
Perpetuò quoniam sentimus, & omnia semper
Cernere, odorari licet, ex audire sonorem.

QVOD SUPEREST, AGERE INCIP.] Nunc differere incipit de
 lapidis eius, quem & Magnetem, & Heraclium, & sideritiin appellant, natu-
 ra. Magnes autem appellatus est vel ab inuentore, quod à Nicanro tradi-
 tum est, ut auctor est Plinius, vel à Magnesia terra, in qua primùm inuentus
 est: quam sententiam sequitur noster Lucretius. Gerit hic lapis ferri impo-
 liti similitudinem, & in metallis ferrariis plerunq; inuenitur: non tamen
 in omnibus, immò ne in multis quidem, sed in valde paucis. Cum sit au-
 tem huius lapidis hæc natura, ut ferrum attrahat: multi philosophi rationem

quæ fuerunt. Thales (vt scribit Arist. lib. 1. de animo, eò putauit Magnetem anima quadam esse præditum, quod vim mouendi, & alliciendi ferri haberet. Plato in Timæo ait, vim inesse in Magnete nō attrahendi ferri, sed propellendi aëris: inesse & in ferro, sed imbecilliorē. ita ne spatium inane relinquantur, ferrum propulso à Magnete aëre, continuo in locum ab aëre vacuum succedere. quæ ratio congrueret cum ratione Lucretij, nisi de inani Plato & Epicurus inter se discrepant. QVIPPE CATENAM SAEPE EX ANELLIS, &c.] totus hic locus quanuis non admodū obfcurus, illustrabitur tamen verbis Platonis in Ione non longè à principio. Videtur enim Lucretius cum hos, versus scriberet, verba illa Platonis spectasse. sic autem ille. Δείξαι δὲ δύναμιν ἢ σὺ κενεῖ, ὡς περ ἐστὶ λίθος, ἢν Εὐερίπιδος ἠὲ μάλιστα ἀνόμασεν, οἱ δὲ πολλοὶ ἠεὶ κλειαν. ἢ δὲ αὐτὴ ἢ λίθος ἢ μόνον αὐτῶν πᾶς δακτυλίος αἰεὶ τῶν σιδηρῶν, ἀλλὰ ἢ δὲ δύναμιν ἐπίδησι τοῖς δακτυλίοις, ὡς ἐ δυνάμει τῶν το ποιεῖν, ὅσῳ ἢ λίθος, ἀλλὰ ἢ γρη δακτυλίος. ὡς ἐνίοτε δρμαδος μακρῶς πάγυ σιδηρείων δακτυλίων ἐξ ἀλλήλων ἦρτη. πᾶσι δὲ τούτοις ἐξ ἐκείνης τῆς λίθου ἢ δύναμιν αὐτῆς. id est, diuina autē vis est, quæ te mouet, quemadmodum in eo lapide, quem Euripides quidem Magnetin nominauit, plerique autem Heracleum. hic enim lapis non solum ipsos annulos ferreos attrahit, verum etiam eam vim inserit annulis, per quam idem quod lapis ipse, possint efficere, nempe alios annulos ducere: ita vt interdum longa admodum series, longaque catena annulorum ferreorum inter se apta & connexa sit. his autem omnibus ex illo lapide vis ac potestas insita pendet. ORDINE DEMISSO] sic legi debet, non ordine demisso. LEV. IACT. AVRIS.] secutus sum libros manu scriptos: in his Tethianum, & Memmianum: quibuscum congruunt vulgati Florētini. ceteri habent leuibus iact. dāmis. quam scripturam nullo modo probare possum. PERMANENTER] id est] eo modo, vt permānet, & perueniat ad multas res ferreas. HOC GENVS IN REBUS] in rebus huius generis. FIRMANDVM EST M.] id est] multa firmanda sunt, vel multa firmare oportet, vt supra lib. I. LONGIS AMBAGIBVS] longis circuituionibus rerum ac verborum. Virg. Georg. 2. non hic te carmine flecto, Atque per ambages, & longa exorſa tenebo. PRINCIP. OMM. A. R. Q. VID. FER P.] sic fere sup. lib. 4. Quare etiam atque etiam minima hac fateare necesse est Corpora, quæ feriant oculos, visumque laceſſant, &c. ibi enim duodecim versus, qui hic deinceps sequuntur, sine vlla fere varietate positi sunt. EXESOR MOERORVM] sic legi debet: & ita scriptum repetitur in quattuor libris manu scriptis, & aliquot vulgatis, mæroxum autem positum pro minorum, & pro u. vt à pœna, punire, seu puniri, à Pœnis, Punicus, a, um. de quo sup. lib. 4. vbi hi versus iam antè positi sunt, vt dixi. CVM TVLMVR MISQ.] hunc versum profert Priscianus lib. 8.

Nunc, omnes repetam quàm raro corpore sunt res, Comemorare, quod in primo quoque carmine claret. Quippe etenim, quâquam multas hoc pertinet ad res Noscere, cum primis hanc ad rem protinus ipsam,

Qua de differere aggredior, firmare necesse est, Nil esse in promotu, nisi mistum corpus inani. Principio fit, vt in speluncis saxa superna Sudent humore, & guttis manantibus stillent. Manat item nobis è toto corpore sudor: Crescit barba, pilique per omnia membra, per artus: Diditur in venas cibus omneis, auget, alitque Corporis extremas quoque partes, vnguiculósque. Frigus item transire per æs, calidumque vaporem Sentimus, sentimus item transire per aurum, Atque per argentum, cum pocula plena tenemus. Denique per dissepta domorum saxea voces Peruolitant, permanat odos, frigusque, vaporsque Ignis: quin ferri quoque vim penetrare sœnit, Vndique quâ circum corpus lorica coërcet, Morbida vis, quâcunque extrinsecus insinuatur. Et tempestates terra, caloque coortæ E' celo emota, terraque repente faceſſunt, Quandoquidem nihil est non raro corpore nexum.

QVOD IN PRIMO Q. CARM.] primo libro. ibi enim de inani disputauit. DIDITVR IN VEN.] dissipatur, dispergitur, ac distribuitur, à verbo dido. is. dididi, diditum. malim autem legi *Diditur*, vt sit hæc sententia: cibus in venas omneis diditus auget, alitque etiam extremas partes corporis. quanquam si *diditur* legas, eadem fere sententia erit. cum hoc loco congruit ille lib. I. *Dissipat in corpus sese cibus omne animantium.* CVM POCVLA PL. TEN.] sic sup. lib. I. *Permanat calor argenti, penetratque frigus.* Quando utrunque, manu retinentes pocula rate, Sensimus infuso lympharum rore superne. PER DISSEPTA DOMORVM] lib. I. *Transit enim fulmen cali per septa domorum, Clamor vt, ac voces.* PERMANAT ODOS, FRIGVSQVE, VAPO'SQVE] sic legendum, & ita legit Nonius Marcellus, neque aliter habent libri manuscr. VAPO'SQVE IGNIS] & calor ignis. QVIN FERRI QVOQVE VIM] id est] ferrum. SVEVIT, VNDIQVE QVA] sic & distinguendum, & legendum, *sœnit* autem nempe *morbida vis.* QVA' CIRCVM CORPVS LOR. COERCET] penetrare (inquã) sœnit vis morbida ferrum eâ parte, quâ parte lorica corpus vndique circum coërcet. id est] morbus etiam loricatorum tentat, & corripit: neque lorica, quæ totum hominis corpus tegit, & circumdat, arceat vim & causam morbi ex-

ternam potest, quominus in corpus penetrat. Secutus autem sum codices Florentinos. Nam ceteri vulgati partim habent, quæ circum colli lorica coheret: partim quæ circum colli lorica cohercet, manuscripti autem partim quæ circum colli lorica cohercet, ut Tethianus: partim quæ circum colli lorica cohercet, ut Vaticanus: partim quæ circum colli lorica cohercet, ut Memmianus: partim quæ circum corpus lorica cohercet, ut Faern. Neque verò mihi placet cuiusdam amici mei quavis doctis, sententia: qui censet legendum quæ circum collo lorica coheret. nam lorica non solet, collum tegere, neque undique & omni ex parte (id est enim circum) collo coherere, sed pectus, ventrem, & latera operire. M. Tull. orat. pro Mur. *Descendi in campum cum fortissimo presidio fortissimorum virorum, & cum illa lata, insignique lorica, non quæ me tegeat: etenim sciebam Catilinam non latera, aut ventrem, sed caput, & collum solere petere, &c.* MORB. VIS QVAE QVONIAM VE EXTR.] Cum à duobus libris manu scriptis abesse animaduertissem vocem, simul, atque in eis ita scriptum reperissem, *Morbida vis que cum extr.* orta mihi continuo suspicio est, eam particulam esse inculcatam ad versum mutilatum supplendum, cum à Lucretio scriptum esset *Morbida vis, quacunque extrinsecus insin.* idèò autem addidit, *quacunque extrinsecus insinatur*, ut quæ ex caelo corrupto nascitur: quia interdum morbi oriuntur intrinsecus: ut, ex vitioso corporis habitu, aut immoderatis animi affectibus. E CAELO EMOTAE, TERRA QVE REPENTE FAC.] sic hunc versum restitui, cum in codice Tethiano ita scriptum reperissem, *In caelo, terraque remote successunt.* facile enim suspicatus sum primum à librario factum esse ex *emotae, remote*, deinde propter vocum similitudinem, omissam esse vocem *repente*: atque ita ordinem, & casum vocabulorum esse immutatum, postremò additam vocem, *iure*, ad versum perficiendum. emouere autem est extra mouere, & eiicere, atque expellere. Virgil. lib. 6. *His dictis curae emota.* Horat. od. xv. lib. 4. *emouit que culpas, Et veteres renouavit artes.* FACIES VNT] discedunt. M. Tull. lib. i. de legib. *paulisper successant, rogemus, idem in Hortens. successant igitur omnes, qui docere nihil possunt, quo melius sapientibus que viuamus.* Plautus Rud. *siquidem sis pudicus, hinc successas.* QVANDO QVIDEM NIL EST NON R. C.] hæc ratio valet ad ea omnia, quæ proximè dixit, nihil esse factum, aut genitum, quod non sit raro corpore connexum, quod docuit lib. i. ibi. *Nec tamen undique corporea stipata tenentur Omnia naturæ: nanque est in rebus inane.* & ibi. *Est igitur nimirum id quod ratione sagaci Querimus, admistum rebus, quod inane vocamus.*

*Huc accedit, uti non omnia, quæ iaciuntur
Corpora cunque ab rebus, eodem prædita sensu,
Atque eodem pacto rebus sint omnibus apta.
Principio terram solexcoquit, & facti are:
At glaciem dissoluit, & altis montibus alte
Exstructas ninguens radis tabescere cogit.
Denique cera liquefit in eius postea vapore.*

*Ignis item liquidum facit æs, aurumque resoluit:
At coria, & carnem trahit, & conducit in vnum.
Humor aquæ porrò ferrum condurat ab igni:
At coria, & carnem mollit durata calore.
Barbigeras oleaster eò iuuat vsque capellas,
Diffluat ambrosia quasi verò, & nectare tinctus:
At nihil est homini, fronde hac quod amarius extet.
Denique amaracinum fugit at sus, & timet omne
Vnguentum. nam setigeris subus acre venenum est,
Quod nos interdum tanquam recreare videtur.
At contra nobis cœnum teterrima cum sit
Spurcitiæ, eadem subus hæc res munda videtur,
Insatiabiliter toti ut voluantur ibidem.
Hoc etiam superest, ipsa quàm dicere de re
Aggredior, quod dicendum prius esse videtur.
Multa foramina cum variis sint reddita rebus,
Disimili inter se natura prædita debent
Esse, & habere suam naturam quæque, viasque.
Quippe etenim varij sensus animantibus insunt,
Quorum quisque suam propriè rem percipit in se.
Nam penetrare aliò sonitus, aliòque saporem
Cernimus è succis, aliò nidoris odores.
Præterea manare aliud per saxa videtur:
Atque aliud per ligna, aliud transire per aurum:
Argentòque foras aliud, vitròque meare.
Nam fluere hæc species, illàc calor ire videtur:
Atque aliis aliud citius transmittere eadem.
Scilicet id fieri cogit natura viarum
Multi modis varians, ut paullo ostendimus antè,
Propter dissimilem naturam, textaque rerum.
Quapropter bene ubi hæc confirmata, atque locata
Omnia constiterint nobis præposta, parata:
Quod superest, facile hinc ratio reddetur: & omnis*

Causa patefiet, quæ ferri pelliciat vim.

HVC ACCEDIT, VTI NON] adde (inquit) quòd non æquè omnia corpora, quæ ex rebus omnibus fluunt, rebus omnibus apta sunt, neque res omnes pereque in res omnes vim suam expromunt, atque explicant. ET FACIT ARE] *ἀφασποδὴ*. facit are, pro arefacit. ET ALTE EXSTRVCTAS] id est & exaggeratas, & ita cōfertas, densas. NINGVEIS] niueis, sup. eod. lib. *albas descendere niueis Tabificis subigit radios*. TABESCERE] liquefcere, *τῆκε*. sic sup. *radios solis tabificos dixit*, quia niueis liquefaciant. DENIQUE CERA] hac tota de re lege Aristot. lib. 4. meteor. LIQVESCIT] quidam libri manuscripti habent *liquefit*. CONDVCT IN VN.] *συνάγει εἰς ἓν*. sic sup. lib. 1. & *partes conducere in vnum*. FERRVM CONDV RAT AB IGNI] ferrum candens, & igni calefactū aqua condurat. Ita fit *σῶμα*, id est acies (inquit Aristotel. lib. 4. meteor. cap. 6.) subsidit enim, & expurgatur fex, & scoria. Quo sapius autem aurum igni mollium in aquam frigidam coniicitur, & refrigeratur, eo fit purius, ac solidius: atq; ex tali ferro fit acies. BARBIG. OLEASTER EO IVVAT] capræ enim delectantur frōdibus amaris, vt salicibus. Virgilius Tityro. *Florentem cythi sum, & salices carpentis amaras*. Oleastri autem frondes amaræ sunt, idem Virgil. Georg. 2. *Infelix superat foliis oleaster amaris*. cum hoc loco conferre proderit cum qui est lib. 4. *Præterea nobis veratrum est acre venenum, At capris adipis, & coturnicibus auget*. DIFFLVAT] sic legendum, non *effluat*. AT NIHIL ET HOM. FR. HAC QVOD AMARIVS EXTET] fecutus sum scripturæ veteris, quamvis corruptæ, vestigia. sic enim habent libri manuscripti nonnulli. *At nihil est homini quod maius fronte at extet*: alij sic: *Quo nihil est homini quod amarum frondeat extet*. Memmianus sic: *At nihil est homini quod mari frondeat ac extet*. Vulgati autem aliquot hoc modo, *Qua nihil est homini quod amarum frondeat aquæ*. Parisienses & Veneti antiq. & Florent. sic habent planè vt nos excudendum curauimus. quidam hunc versum nō putant esse Lucretianum. AMARACINVM] vnguentum ex amaraco. ET TIMET OMNE VNGVENT.] Itaque sic dici solet, sui gratius esse, & suavius olere cœnum, quàm vnguentum. NAM SETIGERIS] lib. 5. *Setigerisque pares subibus*. & Virgil. lib. 7. *Setigerisque sues, atque in præsepibus vrsi*. TANQVAM RECREARE] *εἰκόνη*. quasi reficere. AT CONTRA COENVM] hunc versum cum eo, qui deinceps sequitur, profert Nonius, in nomine *spurcitiæ*. EADEM SVBVS HAEC RES MVNDA VID.] magna est etiam hoc loco librorum manuscriptor. varietas ac dissensio, alij enim sic habent, *eadem subus hæc munda videtur*. cui scripturæ deest syllaba ad versus perfectionem. alij sic: *eadem subus hæc immunda videtur*. ex qua facta est hæc vulgata, quæ reperitur in libris Parisiensibus, & Florentinis, *eadem subibus hæc munda videtur*. nam alij vulgati habent: *eadem subibus hæc munda videtur*. ego vel sic, vt excudendum curavi, à Lucretio scriptum esse arbitror, vel sic, *eadem subus res hæc munda videtur*. Quòd autem ad huius loci sententiam attinet, *Suum generi* (inquit Plin. lib. 8. cap. 51.) *in luto volutatio grata. Animalium* (inquit idem ille) *hoc maxime brutum. Itaque animam ei pro sale datam non illepi-*

de existimabant. quod & M. Tull. retulit lib. 5. de finib. & Varro lib. 2. de re rust. Idem Plin. *In luto suum requies est, vt in luuacro, hominum*. eodem pertinet illud Horat. epist. secunda lib. 1. *Vixisset canis immundus, vel amica luto sus*. VOLVANTVR] ex quo volutabrum. Virgil. Georg. 3. *Sape volutabris pulsos siluestribus apros Latratu turbabis agēs*. HOC ETIAM SVPER EST] aliud postremò præponit antequàm de Magnetis natura disputet, & prius quàm quamobrem ferrum attrahit, rationem afferat, nempe de variis variarum rerum viis ac foraminibus: quorum foraminum varietas & dissimilitudo oritur ex primorum corporum dissimilitudine, vt docet lib. 4. ibi. *Nunc alius alius cur fit cibus, vt videamus, Expediam, &c.* cui loco iunge & ea quæ disputantur lib. 2. ibi. *Perfacile est iam animi ratione exsoluere nobis, Quare fulmineus multo penetratius ignis, &c.* QVIPPE ETENIM VARI SENSVS, &c.] cum hoc loco confer eum qui est lib. 2. ibi. *Hac igitur variis debent constare figuris. Nidor enim penetrat, quæ succus non it in artus: Succus item seorsum, & verū sapor insinuat* Sensibus, vt noscat primis differre figuris, &c. & eū qui est lib. 4. ibi. *Nunc age quo pacto naveis adiectus odoris Tangat, agam, &c.* NAM PENETRARE ALIO SONITVS] sic lib. 2. *Præterea lumen per cornu trāsfit, at imber Respuir, quare? &c.* & lib. 4. *Quod superest, non est mirandum qua ratione, &c.* totumque aded locum legito, vbi de vocis, succorū, & odoris ratione differit. NAM FLVERE HAC SPECIES] nam per vitrū simulacra transcunt, per aurum & argentum calor. quanquam ne Lucretius quidem negauerit etiam per vitrum calorem permanare. PRÆPOSTA] præposita, & vt vulgus loquitur, præmissa.

*Principio, fluere è lapide hoc permulta necesse est
Semina, siue æstum, qui discutit aëra plagis:
Inter qui lapidem, ferrumque est cunque locatus.
Hoc vbi inanitur spatium, multusque vacesit
In medio locus, ex templo primordia ferri
In vacuum prolapsa cadunt coniuncta, sit utq;
Annulus ipse sequatur, eátque ita corpore toto.
Nec res vlla magis primoribus ex elementis
Indupedita suis arte connexa coheret,
Quam validi ferri natura frigidus horror.
Quo minus est mirum, quod paullo diximus antè,
Corpora si nequeunt de ferro plura coorta
In vacuum ferri, quin annulus ipse sequatur:
Quod facit, & sequitur donec pervenit ad ipsum
Iam lapidem, cæcisque in eo compagibus hæsit.*

*Hoc fit item cunctas in parteis: vnde vacescit
 Cunque locus, siue ex transuerso, siue supernè,
 Corpora continuò in vacuum vicina feruntur.
 Quippe agitantur enim plâgis aliunde, nec ipsa
 Sponte sua sursum possunt consurgere in auras.
 Huc accedit item, quare queat id magis esse,
 Hæc quoque res adiumento, motûque inuatur,
 Quod simul à fronte est annelli rarior aër
 Factus, in anitûsque locus magis, ac vacuatus:
 Continuò fit, vti qui post est cunque locatus
 Aër, à tergo quasi prouehat, atque propellat.
 Semper enim circumpositus res verberat aër.
 Sed tali fit vti propellat tempore ferrum,
 Parte quod ex vna spatium vacat, & capit in se.
 Hic vbi, quem memoro, per crebra foramina ferri est
 Pronas ad parteis subtiliter insinuatus:
 Trudit, & impellit quasi nauim, velâque ventus.
 Denique res omnes debent in corpore habere
 Aëra, quandoquidem raro sunt corpore, & aër
 Omnibus est rebus circumdatus, appositûsque.
 Hic igitur, penitus qui in ferro est abditus aër,
 Sollicito motu semper iactatur, eoque
 Verberat anellum dubio procul, & ciet intus
 Scilicet: atque eodem fertur, quod præcipit auit
 Iam semel: & quamquam in partem conamina sumsit.*

PRINCIPIO FLVERE] Nunc orditur rationem reddere quam obré
 magnes ferrum attrahat. INTER QVI LAPIDEM, &c.] ordo. quicun-
 que inter lapidem, & ferrum locatus est. VACEFIT] sic habent omnes
 libri vulgati, quos quidem viderim, & manuscripti, præter Vaticanum, in
 quo scriptum est, vacescit. IN VACVVM PROLAPSA CADVNT
 CONIUNCTA, FIT VTI QVE, &c.] secutus sum codices aliquot manu-
 scripti. & vulgatos. ordo autem & sententia verborum hæc est. ex templo
 primordia inter se cõiuncta in locum vacuum prolapsa cadunt, & fit, vt &
 ipse annulus sequatur, & eat totus. alij libri habent *In vas prolapsa cadunt cõ-
 iuncta, fit vti, &c.* NEC RES VLLA] hunc locum sic explico. Nulla
 enim

enim res est, cuius partes ita sint inter se colligatæ, atque connexæ, vt sunt
 primordia ferri. Cum igitur omnibus ex rebus minutissima corpora fluât,
 vt antea demonstratum est, non est mirum, si, posteaquam semel ex annu-
 lo ferreo plura ferri corpora prima per spatium illud, quod est inter magne-
 tem & anulum interiectum, à magnetis seminibus exinanitum, ad ma-
 gnetem affluere cœperunt, totus continuò annulus, totòque corpore sub-
 sequatur. Sed videtur legendum. Nam *res nulla magis, &c.* INDVPE[ITA]
 impedita, implicata. QVOD FACIT] nempe sequitur sua corpuscula ex
 se executia in vacuum, &c. QVAM VALIDI FERRI N.] id est quàm
 ferrum. COMPAGIBVS] vinculis, seu commissuris, seu iuncturis. Virg.
 lib. I. *Aeneid. diræ ferro, & compagibus arctis clauduntur belli portæ.* HOC FIT
 ITEM] duo libri manuscripti habent, *Hoc fit idem.* quam lectionem æquè
 probò. SIVE SUPERNE] siue ex loco superno magnes locum vacuum
 reddat, aëre plagis discusso. CORPORA CONTINUÒ] statim prima fer-
 ri corpora feruntur in locum vacuum, & ita sursum feruntur: quod fit præ-
 ter corporum naturam, cum sit eorum proprium deorsum moueri. VICI-
 NA] vicina ferri corpora dixit, fortasse vt ferrum magneti vicinum intelli-
 gamus. NEC IPSA SPONTE SVA SVRSVM, &c.] nam contrâ spõ-
 te sua corpora omnia deorsum feruntur. QVOD SIMVL A' FRONTE]
 sic habet cod. Vaticanus, quocum congruunt vulgati, Veneti antiq. & Pa-
 risienses: quæ lectio perspicuè recta est. simul autem, id est simul atque, vel
 simul vt. SEMPER ENIM CIRCVM POS.] sup. lib. 4. *Principio ex-
 terna corpus de parte necessum est, Aëris quoniam vicinum tangitur auris, Turdier,
 atque eius crebro pulsariet icu.* ET CAPIT IN SE] & spatium vacuum, seu
 locus ille à magnete vacuatus, capit, id est recipit in se ferrum. HIC VBI
 QVEM MEMORO, &c.] ordo verborum, & sententia est. vbi hic aër, què
 tibi cõmemoro, insinuatus est per crebra foramina ferri in pronas, & iam
 inclinatas eius parteis, vel, vt habent alij libri in his Memmianus, in paruas
 eius parteis, id est, in eius primordia: trudit & impellit ferrum, tanquam vē-
 tus nauim, & vela: vel, vt videtur legendum, *quasi ventus, velâque nauim,* sub-
 intell. impellunt. PRONAS AD PARTEIS] sic habent omnes, quos
 quidem viderim, vulgati codices. nonnulli manuscripti *prauas*, planè men-
 dosè: Memmianus autem *paruas*. QVASI NAVIM, VELA QVE] vsus
 est eodem simili sup. lib. 4. vbi querit, quì passus proferre possimus, ibi, *Cor-
 pus vti, vt nauis, velis, ventòque feratur.* ex quo loco, si quis eum attentè confi-
 deret, videtur hic legendum, *quasi ventus, velâque nauim.* SOLLICITO
 MOTV] sic & sup. lib. I. *motum sollicitum* appellauit ibi: *Non tam sollicito mo-
 tu priuata carerent, &c.* SCILICET, ATQVE EODEM] in voce eodem,
 e, & o, pro vna syllaba habentur. quidam tamen legunt, *atque illò fertur.* ET
 PARTEM IN QVAM QVAM, &c.] id est, & in quacunque partem cona-
 tū cundi sum sit. Sic autè restitui tum lectionis varietate commotus, tū vul-
 gata lectione offensus. Nam alij habet *vacuam in partem*, alij *partem in vacuâ*,
 alij *parte in vacue*, alij *parte in cacue*, planè mendosè.

Fit quoque, vt à lapide hoc ferri natura recedat

*Interdum fugere, atque sequi consueta vicissim.
 Exsultare etiam Samothracia ferrea vidi,
 Et ramenta simul ferri furere intus abenis
 In scaphis, lapis hic magnes cum subditus esset:
 Usque adeo fugere à saxo gestire videtur
 Aere interposito, & discordia tanta creatur:
 Propterea quia nimirum prius aestus ubi aris
 Percepit, ferrique vias possedit apertas:
 Posterior lapidis venit aestus: & omnia plena
 Inuenit in ferro: neque habet quæ tranet, ut antè.
 Cogitur offensare igitur, pulsareque fluctu
 Ferrea texta suo: quo pacto respuit ab se,
 Atque per æs agitatur, sine eo quæ sæpe resorbet.
 Illud in his rebus mirari mitte, quod aestus
 Non valet è lapide hoc alias impellere item res.
 Pondere enim fretæ partim stant: quod genus aurum:
 Ac partim, raro quia sunt cum corpore, ut aestus
 Peruolet intactus, nequeunt impellier usquam:
 Ligneæ materies in quo genere esse videtur.
 Inter utrasque igitur ferri natura locata
 Aeris: ubi accepit quædam corpuscula, tum fit,
 Impellant ut eam Magnesi semina saxi.*

FIT QVOQUE UT A LAP.] Fit etiam (inquit) ut ferrum ab hoc la-
 pide refugiat, consuetum modò sequi, modò fugere: sequi quidem nulla re
 inter lapidem & ferrum interposita: fugere autè ære interposito. SAMO-
 THRACIA F.] ferreos annulos à Samothracia, ubi primùm fieri cœpti
 sunt, dictos. IN SCAPHIS] in vasis amplis. VIDETUR] ferrum. DIS-
 CORD. TANTA CR.] inter ferrum & magnetem. PERCEPIT] Sic
 habent libri omnes vulgati. *percepit* autem interpretor occupavit, inuasit,
 nempe vias apertas: quo verbo sæpe alibi utitur, ut lib. 3. princ. *His tibi me
 rebus quædam diuina voluptas Percipit, atque horror.* ibid. paullo post. *ita Perci-
 pit humanos odium.* Sed scripturam veterem, quæ reperitur in tribus lib. ma-
 nu scriptis, reiciendam esse non puto, *Præcepit, Præcepit* autem, id est præ-
 occupavit. neque iccirco minus probanda est, quòd antecedit aduerbium
 prius. sæpe enim hoc pleonasmò utuntur scriptores. PLENA] ab æris

æstu occupata. PULSARE QVE FLUCTV] id est suo motu, suaque agi-
 ratione, seu suo æstu. tralatio est. Sed videtur legendum *fluctu*, non *fluctu*.
fluctus autem à verbo *fligo*. quo & antè vsus est lib. 2. *Obuia cum fluxere, sit ut
 diuersa repente, &c.* Virg. lib. 9. *cauæque Dant sonitum fluctu galeæ.* QVO PA-
 CTO] id est, qua ratione magnes respuit à se ferrea texta, seu ferrum: vel,
 quo fit, ut magnes ferrum à se reiiciat, ac repellat. FERREA TEXTA] id
 est ferreos textus, & ferrum ipsum arctissimè contextum. Idem lib. 5. *Pro-
 pter dissimilem naturam, textaque rerum.* Virgil. 8. *Æncid. & clypei non enarrabi-
 le textum.* Catull. Epithalam. Pelci & Thet. *Pinea coniungens inflexa texta cari-
 na.* AT QVE PER AES AGITAT] id est per vas æreum texta ferrea
 agitatur. SINE EO QVÆ SÆPE RES.] quæ texta ferri magnes sæpe
 resorbet sine eo ære: id est, quando æs non interponitur. ALIAS ITEM
 RES] alias quàm ferrum. QVOD GENVS] cuius generis. VT AESTVS]
 magnetis. IMP. VT EAM MAGNESI SEMINA SAXI] mirè etiã
 hic locus deprauatus est in omnibus libris. Nam manuscripti quidem ha-
 bent partim *Magnesi flamine saxa*, partim *magnesi flumina saxa*, partim *magne-
 tis semina saxi*. vulgati partim cum aliquibus ex manuscript. consentiunt,
 partim habent *magnesi flumine saxa*. ego probabilem scripturam reposui. li-
 cet & legere *magnesi flumina saxi*: ut *flumina* intelligamus primordia à ma-
 gnete fluentia.

*Nec tamen hæc ita sunt aliarum rerum aliena,
 Ut mihi multa parum genere ex hoc suppeditentur,
 Quæ memorare queam inter se singulariter apta.
 Saxa vides primùm sola coalescere calce:
 Glutine materies taurino iungitur vna,
 Ut vitio venæ tabularum sapius hiscant,
 Quàm laxare queant compages taurea vincla.
 Vitigeni latices in aquâ fontibus audent
 Misceri, cum pix nequeat grauis, & leue oliuum.
 Purpureusque colos conchilij iungitur vna
 Corpore cum lana, dirimi qui non queat vnquam,
 Non, si Neptuni fluctu renouare operam des:
 Non, mare si totum velit eluere omnibus vndis.
 Denique res auro argentum concopulat vna,
 Aeri que æs plumbo fit uti iungatur ab albo.
 Cetera iam quàm multa licet reperire? quid ergo?
 Nec tibi tam longis opus est ambagibus usquam:*

Nec me tam multam hic operam consumere par est:
 Sed breuiter paucis restat comprehendere multa.
 Quorum ita textura ceciderunt mutua contra,
 Ut caua conueniant plenis hæc illius, illa
 Huiusque: inter se iunctura horum optima constat.
 Est etiam, quasi ut anellis, hamisque plicata
 Inter se quadam possint coplata teneri:
 Quod magis in lapide hoc fieri, ferroque videtur.

NEC TAMEN HÆC] quæ de magnetis & ferri cōiunctione, & quasi cognatione diximus. ALIARVM RERVM ALIENA] aliena iunctum cum generandi casu, vt sup. lib. 3. Aut quia non veniunt omnino aliena solutis. & sup. hoc cod. lib. princip. alienaque pacis eorum. COOLESCERE,] cōcre- scere, & conglutinari. coalescere autem legendum, non vt vulgus putat, coa- lescere. MATERIES] lignum. TAVRINO] ex auribus, & genitalibus tauri: quod tradidit Plin. lib. 28. cap. 17. QVAM LAXARE QVEANT COMPAGES] commissuras, & coniunctiones. Virgil. lib. 1. Æneid. laxis la- terum compagibus omnes Accipiunt inimicum imbrem. TAVREA VINCLA] vincula ex glutine taurino. VITIGENI LATICES] vina. lib. 5. princip. Libèrque liquoris Vitigeni laticem mortalibus instituisse. ARDENT] tralatio. sic in fr. A pedibusque minutatim succedere frigus Non dubitabat, vbi tamen Aurat. legit Indubitabat, vt suo loco dicemus. ET LEVE OL.] leue dixit oleum, quia nõ subsidit, immo extat, & super insidet humoribus omnibus. MER- GITVR VNA CORPORE CVM L.] sic habent nonnulli libri manu- scripti, quibuscum consentiunt vulgati Parisienses, & Veneti antiq. nisi qd. habent vno corpore cum lana: alij iungitur vna corpore c. l. RENOVARE] lana ad suum candorem reuocare, ac restituere. OMNIBVS VNDIS] Virg. Georg. 1. Teque sibi generum Teibys emat omnibus vndis. Catull. in Gell. Suscipit ò Gelli, quantum non vltima Teibys, Non genitor nympharum abluat Oceanus. DE- NIQVE RES AVRO ARG. CONCOPLAT V.] secutus sum treis lib. manuscriptos Vatic. Teth. Faern. Nam Memmianus habet Denique non auro arum copulat vna. vulgati autem alij, Denique res auro argentum copulat vna: alij Denique res auro fit vt aurum copulet vna: quam postremam scripturam factam esse puto ex alia item corrupta. Denique res auro aurum copulat vna. Planè in hoc versu heret: nec quam potissimum scripturam sequar, video, nisi eam quam excudendam curavi. Si quis autem quærit quæ sit ea res, qua aurum argento, aut alij metallo agglutinetur, puto esse chrysolitam, id est auri gluten: quod quomodo fiat, discite ex Plin. lib. 33. cap. 5. AERI QVE ABS PLUMBO FIT] sic restitui cum reperissem scriptum in libris ma- nuscriptis partim Aereaque res: partim Aer. aque: in vulgatis autem partim Aes aque plumbo, partim Aer aque nec plumbo. Aes autem æri conferruminari plumbo candido, quod vulgo stannum esse putant, & ita appellant, notum

est. Plumbum candidum commemorat & Casar. lib. 5. de bello Gallico. Utuntur autem Britanni nummo aere, aut annulis ferreis ad certum pondus exami- natis pro nummo. Nasctur ibi plumbum album in mediterraneis regionibus: in mari- timis ferrum: sed eius exigua est copia. QVID ERGO?] quasi dicat, num me iccirco hoc loco referre oportet? MYTYA] mutuo, vt saepe alias. HÆC ILLIVS ILLA, HVIVS QVE] hæc plena illius cauis: illaque caua huius plenis conueniant. INTER SE IUNCTVRA HORVM OPT.] sic le- gendum. ordo enim est. Horum inter se iunctura est optima, quorum ita textura ceciderunt mutuo, vt & illius caua huius plenis, & illius plena hu- ius cauis conueniant. EST ETIAM] Alia ratio quam obrem quadam magis inter se coherere possint. Fieri enim potest (inquit) vt quadam possint inter se compacta coherescere, quasi quibusdam anellis, id est paruis an- gulis, hamisque implicata, atque inflexa. anellis autem restitui, à codice Va ticano admonitus, in quo scriptum est ancillis. qua voce vsus est & lib. 2. Sed magis anellis paulo profertur, & qua Tiullare, &c. COPLATA] sic le- gendum puto: quam scripturam quidam vel non intelligentes, vel insolentem iudicantes, compacta reposuerunt. coplata autem dictum pro copulata, vt vinculum, seclum, periculum, &c.

Nunc, ratio quæ sic morbis, aut vnde repente
 Mortiferam possit cladem constare coorta
 Morbida vis hominum generi, pecudumque cateruis,
 Expediam, primum multarum semina rerum
 Esse supra docui, quæ sint vitalia nobis:
 Et contra, quæ sint morbo, mortisque necesse sit
 Multa volare: ea cum casu sunt fortè coorta,
 Et perturbantur celum: fit morbidus aer.
 Atque ea vis omnis morborum, pestilentisque
 Aut extrinsecus, vt nubes, nebulæque superne
 Per celum veniunt, aut ipsa saepe coorta
 De terra surgunt, vbi putrorem humida nacta sit,
 Intempestiuus pluuiisque & solibus iccta.
 Nonne vides etiam cali nouitate, & aquarum
 Tentari, procul à patria quicumque, domoque
 Adueniunt: ideo quia longe discrepat aer.
 Nam quid Britannum celum differre putamus,
 Et quod in Aegyptio sit, quæ mundi claudicat axis?
 Quidve quod in ponto sit differre à Galibus, atque

Usque ad nigra virum, percoctaque saecula calore?
 Quae cum quattuor inter se diuersa videmus
 Quattuor a ventis, & cali partibus esse,
 Tum color, & facies hominum distare videntur
 Largiter, & morbi generatum saecula tenere.
 Est elephas morbus, qui propter flumina Nili
 Gignitur Aegypto in media, neque praeter ea usquam.
 Attide tentantur gressus, oculique in Achaia
 Finibus: inde alius alius locus est inimicus
 Partibus, ac membris, varius concinnat id aër.
 Proinde ubi se caelum, quod nobis forte alienum est,
 Commouet, atque aër inimicus serpere coepit:
 Ut nebula, ac nubes, paulatim repit, & omne
 Quae graditur, conturbat, & immutare coactat.
 Fit quoque, ut, in nostrum cum venit denique caelum:
 Corrumpat, reddatque sui simile, atque alienum.
 Haec igitur subito cladés noua, pestilensque
 Aut in aquas cadit, aut fruges perdidit in ipsas,
 Aut alios hominum pastus, pecudumque cibatus:
 Aut etiam suspensa manet vis aëre in ipso.
 Et cum spiranteis mistas hinc ducimus auras,
 Illa quoque in corpus pariter sordere necesse est.
 Consimili ratione venit bubus quoque saepe
 Pestilias, etiam pecuis balantibus aegror.
 Nec refert vtrum nos in loca deueniamus
 Nobis aduersa, & cali mutemus amictum:
 An caelum nobis vltro natura corruptum
 Deferat, aut aliquid, quod non consueuimus vti,
 Quod nos aduentu possit tentare recenti.

NVNC, RATIO QVAE] Nunc rationem morborum explicare incipit. deinde pulcherrimam pestis illius, quae temporibus belli Peloponnesiaci Athenis acertime fuit, descriptionem ex Thucydidi lib. 2, expressam proponet. s v p r a d o c v i] lib. 4. ibi Nunc alius alius cur sit cibus, &c. &

lib. 4. ibi Quippe videre licet pinguescere saepe cicuta, &c. & hoc eodem lib. ibi principio hoc dico, quod dixi saepe quoque ante, In terra, &c. ET CONTRA QVAE SINT, &c.] ordo est. Et contra necesse est multa semina volare, quae sint morbo, & morti, id est quae sint morbida, & mortifera. MORBIDVS AER] vobis dicitur aër. AVT EXTRINSECVS, VT NVBES] morbus (inquit) aut extrinsecus oritur, verbi gratia, ex terris longinquis ac remotis vëtis insalubribus, qui per loca morbosa spirantes caelum nostrum, vnde animam ducimus, corrumpunt aut ex iis terris, in quibus commoramur. Sed videtur hæc partitio valde angusta, & ieiuna esse. Quid enim dicemus de iis morbis, qui nascuntur ex copia, luxu, & cruditate? ex intemperantia? ex cibis insalubribus? ex immoderatis animorū affectibus? ex animi aegritudine ac merore? VBI PVTRORĒ] sic legendum, nō putorē. nam putor aliud est, q̄ putror, quemadmodū aliud est putere, aliud putrere, seu putrescere. sic lib. 2. Quippe videre licet vinas existere vermis Stercore de tetro putorē cum sibi nacta est Intempēstius ex imbribus humida tellus. QVIA LONGE DISCREPAT AER] hanc lectionem potius secutus sum, quam illam alteram, quia longe discrepant res, non eò solum, quod magis cum sententia huius loci cōsentanea est, verum etiam quod nata videtur esse ex antiqua scriptura deprauata. sic enim habent libri aliquot manuscripti, in his Vatican. quia longe discrepat aëres. NAM QVID BRITANNVM] Britanni, omnium mortalium proximi sunt Septentrionibus, iis tamen exceptis, qui Thulea incolunt. Virgil. Tity. Et penitus toto diffusos orbe Britannos. Idem Georg. 1. tibi seruiat vltima Thule. docti quidam, in his Petrus Paschalius historicus Regius amicus meus, hoc loco legendum censent; Britannium caelum, non vt habent lib. vulgati, Britannis caelum: quibus assentior. sententia autem huius loci hæc est. quid, aut quantum (inquit) putamus differre caelum Britannicum à caelo Aegypcio? quid caelum, quod est in Ponto Euxino, & ad illam orbis terrarum partem à caelo Gaditano? sumit Lucretius quatuor orbis terrarum loca maxime nota, & insignia: quae téporibus illis maxime inter se distare putabantur: duo à septentrionibus ad Austrum, Britanniam, & Aegyptum: quae est distantia latitudinis: duo ab ortu solis ad occasum, Pontum & Gadeis, quae distantia est longitudinis. QVA M VN DI CL.] id est qua parte axis, siue polus Arcticus, qui nobis sublimis semper apparet, illis est depressus: seu qua parte mundus inclinatus est ad oram nobis ignotam, q̄ Greci ἀπὸξονα vocant axi nostro contrariam. Est autem hæc pars meridionalis, seu Australis. QVID VE QVOD IN PONTOS T] aut quid putamus differre caelum Ponti, qui ad orientem spectat, à Gaditum caelo? quae distantia longitudinis est. Gades, insula & oppidum, quae ab Oceano alluuntur: à quibus fretum Gaditanū dictum est: quo Lybia ab Europa diuiditur. M. Tull. lib. 3. de nat. deor. Quid Oceani seruoro illis in locis constantius, Europam, Libyamque rapax vbi diuidit vnda? AT QVE VS QVE AD N.] à Gadibus, atque ab ea ora, quae porrigitur & pertinet ad Mauritaniam, seu potius ad Aethiopiam usque? Sunt enim Aethiopes nonnulli Oceano finitimi, vt restatur & Homer. lib. 1. Iliad. Ζεὺς δὲ ἐπὶ Δαναῶν μετ' ἀμύμονας ἀϊδιότμος & δὲ ἐπὶ μετὰ δ' αἵτα: Ζεὺς δ' ἀμύμονας ἐπὶ τῷ. QV A T

TYORIA VENTIS, ET CAELI PART.] Britannia ab Aquilone, & à Septentrionibus, Ægyptij à meridie & Austro: Põici à Subsólano seu Euro, & Oriente, Gaditani à Fauonio & Occidete. ET MORBI GENER.] & morbi videntur generatim nationes ipsas infestas habere. EST ELEPHAS MORB.] hunc morbũ *ἐλεφαντίαση* vocant Græci: de quo lege Cornel. Celsum lib.3. cap.25. ATTIDENTENT.] in Attica tentantur pedes. Athenienses podagra magna ex parte laborant. OCVLIQVE IN ACH. FINIB.] Achiui solent oculorum dolore affici, seu ex oculis laborare. CONCINNAT.] efficit, vt sæpe alibi. COACTAT.] cogit. PERSIDIT.] sic legendum, non *presidit*. CONSIM. RAT. V. BVB.] Virgil. lib.2. Georg. *Nec tam creber agens hiemem ruit aquore turbo, Quam multa pecudum pestes: nec singula morbi Corpora corripunt, sed tota aestiua repente, &c.* ETIAM PECVIS BALANTIBVS AEGRO R.] Cum in libris manuscriptis ita scriptum reperissem: *etiam pigris balatibus agror:* in vulgatis autem plerisque *pecudum balatibus agris:* in nonnullis *pecudum talaribus agris:* primum facile sensi in hoc loco mendum subesse: deinde continuo conieci sic esse legendum: *pecuis balantibus agror.* Pecua autem dixerunt antiqui pro pecudibus: unde res pecuaria. Iam *agror* etiam morbum corporis interdum significat. NOBIS ADVERSA] id est nobis inimica, & infesta. *adversa* autem esse legendum, non *diuersa*, euincunt libri veteres, in quibus partim planè hoc modo scriptum est: partim *ad diuersa*, quanquam defendi fortasse potest lectio vulgata, *Nobis diuersa*, pro à nobis diuersa: id est in quibus non consueuimus commorari. ET CAELI MUTEMVS AMICTVM] id est cælum mutemus, cælum autem, id est aërem, quo videmur amicti, quia nos ambit vndique. Iouianus Pontan. hunc versum sic legebat: *Nobis aduersa, & cælum mutemus amicum.* ego lectionem receptam retinendam cenfeo. AN CAELVM NOBIS VLTRO NATVRA CORVPTVM DEF.] secutus sum vestigia veteris scripturæ: sic enim habet codex Vaticanus, *An cælum nobis vitro natura corruptum*, vnico r. Tethianus autem & Memmianus, & Faërn. *An cæl. nobis vitio, (aut vitro) natura corruptum.* ex vitro igitur feci *ultro*, quod reperitur tamen in codicibus Vicet. & Paris. Veneti antiq. porò habent *intro natura corruptum*. *ultro* autem interpretor sine aliqua manifesta causa. iam *corruptum* vno r. aut sine n. scriptum est, propter versum, pro *corruptum*, aut *corruptum*, atque ita legit Pierius ad illum Virgil. versum lib.1. *Æneid. leuâque Serestum.* Non celabo lectorem tamen Ioanni Colombino populari meo viro docto videri hoc loco legendum *An cælum nobis vitro natura inimicum Deferat.* putat enim ille primò inimicum scriptum esse à Lucretio: deinde studiosum aliquem Lucretij lectorem huius vocis interpretandæ causa, ascripsisse ad oram libri *corruptum*: postremò imperitum librarium, qui ex illo exemplari, Lucretium describeret, eiecit vera voce, *inimicum*, substituisse *corruptum*: Si cui igitur hæc amici mei coniectura, erudita præsertim, atque ingeniosa placebit, gaudebo. Interea hoc quoque lectorem scire velim, hæc, quam excudendam curavi, scripturam ordine tantum duarum vocum & numero litterarũ in voce *corruptum*, à Parisiensis discrepare. sic enim habent codices Paris. *An cælum nobis natura vitro corruptum*, quam

quam lectionem nonnulli probant, vt sit versus totus ex spondeis constans: quibuscum non pugnabo.

*Hæc ratio quondam morborum, & mortifer aestus,
Finibus Cæcropiis funestos reddidit agros:
Vastauitque vias, exhausit ciuibus urbem.
Nam penitus veniens Ægypti è finibus Orcus,
Aëra permensus multum, camposque natanteis,
Incubuit tandem populo Pandionis: omnes
Inde, cateruatim morbo, mortique dabantur.
Principiò caput incensum feruore gerebant:
Et duplicis oculos suffusa luce rubenteis.
Sudabant etiam fauces intrinsecus atro
Sanguine, & vlceribus vocis via septa coibat:
Atque animi interpretis manabat lingua cruore,
Debilitata malis, motu grauis, aspera tactu.
Inde vbi per fauceis pectus compleerat, & ipsum
Morbida vis in cor mæstum confluxerat agris:
Omnia tum verò vitæ claustra lababant.
Spiritus ore foras tetrum voluebat odorem,
Rancida quo perolent proiecta cadauera ritu:
Atque animi prorsum vires totius, & omne
Languerat corpus leti iam limine in ipso.
Intolerabilibusque malis erat anxius angor
Adsiduè comes, & gemitu commista querela.
Singultusque frequens noctem persæpe, diemque
Conripere adsiduè nervos, & membra coactans,
Dissoluebat eos defessos antè, fatigans.*

HÆC RATIO QVONDAM] Nunc incipit pestem illam Atheniensem describere. Videtur autem Virgilius lib.3. Georg. hunc locum adumbrasse teste Macrobl. lib.6. Saturn. his versibus. *Hic quondam morbo cæli miseranda coorta est Tempestas, totòque autumnu incanduit aestu. Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum: Corruptique lacus: infecit pabula tabo. Nec via mortis erat simplex: sed vbi ignea venis Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus, Rursus abundabat fluidus liquor, &c.* MORTIFER AESTVS] sic habent omnes lib. vulgati. sed tres manuscripti *mortifer æ.* ex quo legendũ videtur *mortifer aër.*

FINIBV' CECROPIIS] finibus Articis. sic autem esse legendū probāt libri veteres. Iam Cecrops Atheniēsum rex fuit. NAM PENITVS VENIENS AEGYPTI E' FINIBVS] Ab hoc loco Thucydidis verba cum Lucretianis conferre incipiamus. sic igitur ille libro secundo. ἠ' ῥέλιτο δ' τὸ μὲν πρῶτον, ὡς λέγειται, ἐξ αἰθιόπιας τῆς ἑσπέρης αἰγυπτιῶν ἢ ἐξ αἰγυπτιῶν καὶ λυβύων κατέβη, καὶ ἐς τὴν βασιλικὴν γῆν τῶν ποταμῶν. ἐς δὲ τὴν αἰθιοπείαν πόλιν ἐξαιπυαίως ἐπέπεσε. id est initium autem fecit primū, vt aiunt, ex Aethiopia ea qua est supra Aegyptum: deinde etiam in Aegyptum, & Libyam descendit, atque in magnam regis Persarum ditionis partem. tūm autem in Atheniensium urbem repente inuasit. CAMPOS QVE NATANTEIS] matia, & lacus. supra eod. lib. & liquidam molem, campōsque natanteis. INCVBVIT TANDEM] Thucyd. ἐπέπεσε, id est incidit, seu potius incurrit, atque irruit. PANDIONIS] Pandion Athenarum rex, Philomela, & Procnae pater. PRINCIPIO CAPVT INCENS. FER.] Thucyd. πρῶτον μὲν τῆς κεφαλῆς δέμα ἰσχυρόν, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἐρυθρίατα, καὶ φλόγῳσι ἐλάμβανε: id est primū quidem capitis feruores acres & validi, & oculorum rubores, & inflammatio eos corripiebat. SVDABANT ETIAM FAUCES] Thucyd. καὶ τὰ ἔντος, ἢ τὸ φάρυγξ, καὶ ἡ γλῶσσα, ἐνδὺς αἶμα τῶν ἦν. id est & interna, & fauces, & lingua continuò cruenta erant, seu cruore manabant. INDE, VBI PER FAUCES, &c.] hic locus non ita propè accedit ad Thucydidis verba: non tamen à sentētia ipsa longè admodum discedit. sic enim ille: καὶ ἐν τῷ ἑσπέρῳ κατέβηθεν ἐς τὰ εἴδη δ' πύργος μετὰ βηχῶς ἰσχυρόν. καὶ ὅποτε ἐς τὴν καρδίαν ἐπέπεσε, αἰεστὸν ἦν αὐτῶν, καὶ ἀποκαθάρσεις χολῆς παύσαι, οὔτοι ἰατρῶν ὄνομασθεῖσιν εἶσιν, ἐπέπεσαν. id est & non longo post temporis interuallo dolor in pectora descendebat cum tūsi vehemēti: & vbi in corde, seu stomacho hæserat, cum ipsum torquebat, tūm purgationes bilis omnes, qua à medicis nominatæ sunt, consequēbatur. VITAI CLAVSTRA] nihil muto. verum tamen cod. Vatican. habet vitalia claustra lababant. SPIRITVS ORE FORAS] Thucyd. καὶ πνεῦμα ἀστον, καὶ δυσὼδες ἀφίει: id est & spiritus absurdus, & teter, & grauis odoris edebatur. INTOLERABILIBVS QVE MALIS, &c.] videtur pluribus verbis expressisse quod dixit Thucyd. breuius. καὶ αὐτὰ μετὰ πλαιτωρείας μεγάλης. id est & ea magno cū cruciatu corporis, animiq; afflictatione. SINGVLTVS QVE FREQVENS] Thucyd. ἀλύγξτε τοῖς πλείοσιν ἐπέπεσε καὶ ἰσχυρῶν ἐπιδιδύσαι ἰσχυρόν: id est, & singultus pluribus accidebat inanis conuulsionem membrorum validum afferens. COACTANS] cogēs: vt sup. & immutare coactat. DEFESSOS ANTE, FATIGANS.] fatigans eos, qui iam antè vi ipsius morbi defessi erant.

*Nec nimio cuiquam posses ardore tueri.
Corporis in summo summam feruescere partem:
Sed potius tepidum manibus proponere tactum:
Et simul vlcibus quasi inustus omne rubere
Corpus, vt est, per membra sacer cum diditur ignis.
Intima pars hominum verò flagrabat ad ossa.*

► *Flagrabat stomacho flamma, vt fornacibus, intus.
Nil adeò posset cuiquam leue, tenuēque membris
Vertere in vtilitatem: ad ventum, & frigora semper:
In fluuios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum iacentes corpus in vndas:
Multi præcipites lymphis putealibus altè
Incidērunt ipso venientes ore patente.
In sedabiliter sitis arida corpora mersans
Aequabat multum paruis humoribus imbrem.
Nec requies erat vlla mali: defessa iacebant
Corpora: mussabat tacito medicina timore.
Quippe patentia cum totas ardentia nocteis
Lumina versarent oculorum expertia somno.
Multaque præterea mortis tum signa dabantur.
Perturbata animi mens in mærore, metūque:
Triste supercilium, furiosus voltus, & acer:
Sollicitæ porrò, plenæque sonoribus aures:
Creber spiritus, aut ingens, raròque coortus:
Sudorisque madens per collum splendidus humor:
Tenuia sputa, minuta, croci continctæ colore,
Salsaque, per fauceis raucas vix edita tuissi.
In manibus verò trahier nerui, & tremere artus:
A pedibusque minutatim succedere frigus
Non dubitabat: item ad supremum denique tempus
Compressæ nares, nasi primoris acumen
Tenue, cauati oculi, caua tempora, frigida pellis,
Duræque: inhorrebat victum: frons tenta minebat.
Nec nimio rigida post strati morte iacebant:
Octauoque ferè candenti lumine solis,
Aut etiam nona reddebant lampade vitam.
Quorum si quis (vt est) vitarat funera leti
Vlcibus tetris, & nigra prolunie alui:
Posterius tamen hunc tabes, letūmque manebat:*

Aut etiam multus capitis cum saepe dolore
 Corruptus sanguis plenis ex naribus ibat.
 Huc hominis totæ vires, corpūsque fluebat.
 Profluvium porrò qui tetri sanguinis acre
 Exierat, tamen in nervos huic morbus, & artus
 Ibat, & in parteis genitales corporis ipsas.
 Et grauiter partim metuentes limina leti
 Viuebant ferro priuati parte virili:
 Et manibus sine nonnulli, pedibūsque manebant
 In vita tamen, & perdebant lumina partim:
 Usque adeo mortis metus his inceserat acer.
 Atque etiam quosdam cepere obliuia rerum
 Cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsi.

NEC NIMIO CUIQVAM] Thucyd. ἡ τὸ μὲν ἐξωθεν ἀπομυζῶσθαι, εὖ ἄραν θερμὸν ἦν, ἕτερον χλωρὸν, ἀλλ' ἑκάστηρον, &c. id est, & corporis quidem extremitas non erat admodum tactu calida, neque pallida, aut viridis, sed subrubra. ET SIMVL VLGERIBVS, &c.] Thucyd. φλυκτάνεις μικρῆς ἢ ἑλκυσσιν ἐξινθηκός: id est pustulis paruis, & vlceribus efflorescens. INTIMA PARS HOMINVM] τὰ δὲ ἐντὸς ἕως ἐκείνου, ὅτε, &c. internæ autem partes ita flagrant, &c. NIL ADEO POSSET QUIQVAM, &c.] sic flagrabat (inquit) pars hominum intima, vt nullum quantumuis leue, ac tenue vestimentum posset membrīs vertere in vtilitatem, id est, afferre vtilitatem, seu esse vtilitati. hanc esse huius loci sententiam licet ex Thucydide intelligere. sic enim ille. τὸ δὲ ἐντὸς ἕως ἐκείνου, ὅτε μὴτε τὸν πάμπαν λεπτῶν ἡματιῶν ἢ σινδονῶν τὰς ἐπιβολὰς, μὴτε ἄλλοτι, ἢ γυμνῶν ἀνέχεσθαι: id est, intimæ autem partes ita flagrant, vt neque tenuissimarum vestium, & linteorū iniectiones, neque aliud quicquam, præter nuditatem, sustinere possent. Vertere in vtilitatem, sic dictum vt à T. Livio, vertere in perniciem. sic enim loquuntur Latini. hæc res tibi male vertat, & bene vertat, & in perniciem, seu in vtilitatem vertat: in quibus generibus, verbum vertat, est absolutum. AD VENTVM, AD FRIG. s.] huius loci hæc sententia est. ad ventum, & ad frigora semper membra dabant: atque dum frigus captabāt, partim se in fluuios coniciebant, partim in puteos præcipites cadebant. IN FLVVIOS PARTIM GELIDOS] id est, alij in fluuios gelidos se coniciebant. Thucyd. ἢ διὰ τὰ ἀνέως ἕδωξεν ἢ ἰσχυρῶς ἀντιπρὸς ἰππῆων, ἢ πολλοί, &c. & libentissimè in aquam frigidam se ipsos coniciebant. LYMPHIS PUTEALIBVS] Thucyd. ἢ εἰς φρέατα, τῆ δὲ ἢ ἀπὸ πύθων σινδωνῶν. id est, & in puteos multi se præcipites egerunt inexplabili siti cruciati. quidā libri vulgati habent Nymphis putealibus. IN SED, SITIS AR. CORP. M. ABQ. M. P. H.] id

est, tanta erat eorū sitis, vt multa aquæ, & humoris copia epota, nihilo plus valeretur ad sitim sedandam, quàm aqua modica: vel sic sitis ingens, & infedabilis efficiebat, vt magna aquæ copia, aqua modica videretur. Atque hæc esse huius loci sententiam, verba Thucydides ostendunt. ἢ ἐν τῷ ὁμοίῳ μὲν εἰσὶν εὖ καὶ τότε πλέον, ἢ ἑλασσον ποτὸν: id est, tantundè eis proderat liberalior, & parcius potus ad sitim sedandam. NEC REQUIES ERAT VLLA MALLI] Thucyd. ἢ ἢ ἀποεία τῶ μὴ ἰσχυρῶς: id est, & quietis adempta facultas. Omnino non videntur hîc idem dicere Thucydides, & Lucret. Macrobius lib. 6. Saturn. hunc versum profert cum eo qui deinceps sequitur, & confert cum Virgilianis, vt diximus. MVSSABA T] Mussare (inquit Nonius) est depressa voce loqui, quod celari velis. Varro putat mussare dictum à littera μ, quia muti ne μ quidem pronūciare possunt. Virg. lib. 12. mussat rex ipse Latinus. significat igitur Lucretius ita nouum, & inuētatum morbi genus fuisse, vt medicis nihil excogitare possent, quod ad eum leuādum valeretur. quod dicitur planius infra. Nec ratio remedi communis certa dabatur. LVMINA VERS. OC. EXP.] Thucy. ἢ ἢ ἀγρυπνία ἐπέκειτο διὰ παντός. & perpetua vigilia vigeabant. expertia somno dixit, vt supra lib. 2. Ipsa sua per se sponte omnia Diis agere expers. QVIPPE PATENTIA CVM T. ARD. N.] quippe cum (inquit) nocteis totas insomneis ducerent. MULTAQVE PRÆTEREA] hæc quæ deinceps sequuntur ab hoc versu vsque ad eum, cuius principium est, O Stauoque ferè, &c. non sunt apud Thucyd. sed probabile est ea Lucretium sumisse à medicis, vt ab Hippocrate in prognost. ANIMI MENS] lib. 4. Mens animi vigilat. PLENÆQUE SON.] tinnitus aurium. CREBER SPIR. AVTING. V.] Hippocr. progn. πῦμα πυκνὸν ἐντὸς ἐν πόνον σημαίνει, ἢ φλεγμονὴν ἐν τοῖσιν ἐκτὸς τῶν φρενῶν χωρεῖται: μέγα δὲ ἀναπνεύμενον διὰ πολλὰ χροῖα πνεύφρα σὺν δυνάμει, &c. id est, spiritus creber dolorem, aut inflammationem significat: magnus autem, & longo interuallo coortus dementiam declarat. SVDORISQVE MADENS] sudores frigidi per caput, & collum sunt letales, vt licet ex Hippocr. intelligere in prognost. TENVIA SPVTA, MIN. CR. C.] Hippocr. ibidem. πύλον ξανθὸν ἐντὸς, ἢ πυρρὸν, ἢ πολλὸν βήχας παρὲς χρόν, ἢ μὴ ἰσχυρῶς συμμιμνησθῶν χροῖον γίνεται. id est, sputum flauum, aut rufum, aut quod multam tussim præbeat, & minutum, neque admodū concretum, deterius est. CONTINGTA] sic legendum, non contacta, sic enim loquitur lib. 2. Ex ineunte æuo nullo contingta colore. contingta autem croci colore, id est crocei coloris. IN MANIB. TRAHIER NERVI, &c.] id est in manibus verò nerui contrahebantur, & tremebant artus: seu nerui contrahi, & artus tremere non dubitabant. Licet etiam sic legere, nerui trahier, tremere artus ἀσσωδέως. SVCCEDERE] sursum ire, vt sup. eod. lib. An simulac nubes succedere, ipse in eas tum Descendit, &c. NON DVBITABA T] audebat, ἐτόλμα. tralatio est. sic sup. eod. lib. Vitigeni latices in aqua fontibus audent misceri, &c. & lib. 4. Non dubitant transire sequenti concita plaga. Sed Io. Auratus collega meus vir ingenio, & doctrina præstans, existimat hoc loco legend. Endobitabat, id est incipiebat. endoitium enim initium & ingressum significat: vel Indibitabat. AD SVPR. DENIQ. T.] vsque ad diem mortis. NASI PRIM. A. T.] Hippocr. ibid. ἢ ἢ ἕξαια, id est, nasus a-

cutus. CAVATI OCULI] Hippocr. ὀφθαλμοὶ κοῖλοι. CAVA TEMPO-
RA] Hippocr. κρόταφοι συμπεπλωμένοι, id est tempora contracta, aut coëuntia.
FRIGIDA PELLIS; DURA QVE, &c.] Hippocr. ἡ τὸ δέρμα τὸ πρὸς τὸ
μέτωπον, σκληρὸν τε, ἢ πυρρὸν τε, ἢ κρφαλέον ἔον. & pellis fronti circumdata,
dura & extenta, & arida. INHORREBAT RICTVM] sic excudendum
curavi, veteris scripturæ vestigia secutus. rictum autem vsurpatum esse à
veteribus in neutro genere testatur Nonius Marcellus. & supra idem Lu-
cretius vsurpauit lib. 5. cum primum magna Moloßium Mollia ricta fremunt, &c.
FONS TENTA MINEBAT] sic esse legendum euincunt verba illa Hip-
pocratis, quæ paullo antè protuli. Δέρμα τὸ πρὸς τὸ μέτωπον, σκληρὸν τε ἢ πυρρὸν
ταύρον, ἢ κρφαλέον ἔον. id est pellis fronti circumiecta dura, & tenta, & sicca.
minebat autem, id est imminebat, simplex pro composito: vt supra eod. lib.
Inclinata minent in eandem prodita partem. NEC NIMIO RIG. PÒST
STRATI M.] secutus sum vestigia scripturæ veteris, tamen corruptæ: at-
que iis ducibus ad veræ lectionis cubile (nisi fallor) peruëni. habent autem
lib. veteres partim post artus morte iacebant: & ita cod. Veneti antiqui, & Pa-
ris. partim post arti. alij vulgati prostrati. sententia autem plana est. nec nimio,
id est nec multo admodum post, rigida morte strati iacebant. OCTAVO-
QVE FERÈ] id est & octavo ferè, aut nonò postquam ægrotare ceperat,
die, moriebantur. Thucyd. ὅτε ἢ διεφθείροντο οἱ πλείστοι ἐναπύοι, ἢ ἐξεδύοντο, &c.
id est, Itaque aut interibant plurimi nono, & septimo die, &c. QVORVM
SI QVIS, (VT EST) VITARAT] Thucyd. ἢ εἰ διαφύγουν, ὀπκιπόντος τῆς
νοσήματος ἐς τὴν κοιλίαν, ἢ ἐλκώσεως τε αὐτῆς ἰσχυρῶς ἐγγίσησθαι, ἢ διαφύλακτος αὐτῆς ἀκρά-
τεια ὀππιπέσης, οἱ πολλοὶ ὑπέρον διὰ τὴν ἀδύνησαν διεφθείροντο: id est, aut si effugif-
ferat, multi cum descēdisset morbus in aluum, simulque profluuium immo-
deratum accessisset, posterius propter infirmitatem interibāt. VLCE-
RVS TETRIS] sic restitui Thucydidem secutus. sic enim ille ἐλκώσεως τε
ἰσχυρῶς ἐγγίσησθαι, &c. quæ verba supra interpretati sumus. (VT EST)] vt
est aliquis, vel vt sunt aliqui, qui effugerunt: vel, vt verum est, aliquos effu-
gisse. AVT ETIAM MVLTVS] hæc obscurius videntur ex Thucyd.
expressa. sic enim ille. ἢ διεξίει γὰρ διὰ πύλιν τὸ σῶματος ἀνοήθην ἀσθενήσαντων τὸ ἐν τῇ
κεφαλῇ τὸ πρὸς τὸν ἰσχυρῶς κερκόν, id est, peragrabat enim huius mali vis totum cor-
pus superne exorsa, & in capite primum sedem naeta. PLENIS EXNA-
RIVS] sic legi debet, nō vt est in codicibus vulgatis, expletis. nisi quis ma-
lit legi pletis ex naribus, vt intelligam? pletas nareis cōpletas à verbo pleo. es.
PROFLVIVM PORRÒ QVI] ordo est, qui porrò exierat, id est effu-
gerat, & vitauerat profluuium acre, seu vehemens sanguinis, huic tamen
morbus ibat, atque crumpebat in neruos, & artus & parteis ipsas genita-
leis: id est gignendi vim habentibus. verbum exierat iunxit cum accusandi ca-
su, vt paucis versibus post. Aut procul absiliebat, vt acrem exiret odorem: & lib.
5. Nam transuersa feros exhibant dentis adactus Iumenta. sic Horat. iunxit cum
eodem casu verbum euagari od. 15. lib. 4. & ordinem Rectum euaganti syena li-
centie Iniecit. nunc ad Thucyd. sic igitur ille. ἢ εἴπῃ ἐν τῶν μεγίστων φειγόντων, τῶν
γε ἀκρωτηρίων ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἐπυσήμανε, &c. id est & si quis ex maximis illis mor-
bi doloribus incolumis, & victor discessisset: at extremorum ipsius mem-

brorum obsepsio magnas superesse morbi reliquias significabat, &c. TA-
MEN IN NERVOS HVIC M.] Thucyd. κατέσκηψε γὰρ καὶ ἐς αἰδοῖα, ἢ ἐς
ἄκρας χεῖρας, ἢ πόδας. id est impetum enim faciebat in parteis genitales, &
manus, & pedes. ET GRAVITER PARTIM, &c.] id est & metuentes
mortem, partim viuebant sine parte virili, partim sine manibus, partim sine
pedibus. Thucyd. ἢ πολλοὶ στελεσιόωντο τὰ τῶν διέφρων, id est & multi his cor-
poris partibus priuati mortem effugiebant. NON NVLLI] partim. ET
PERDEBANT LVMINA PARTIM] Thucyd. εἶσι δ' οἱ ἐν τῶν ὀφθαλμῶν,
id est, sunt & qui oculis priuati manebāt in vita. VS QVE ADEÒ MORT-
MET. HIS INCESSE- RAT ACER.] sic videtur hic versus restitui pos-
se leui immutatione facta, nempe ex incusserrat, (quo modo habent libri om-
nes & manuscr. & typis excusi,) facto incesserat: quod probabat Auratus. sic
sup. eod. lib. vel grauis ignis Impetus incessit. Sed si liceret, malim ita reponi,
nimirum verbis in suum ordinem restitutis. Vsq̄ueaded incussus mortis metus
his erat acer. vsqueaded acer (inquit ὀπφονημα πικρὸς) his erat incussus: id est in-
iectus mortis metus: vsque ad acriter mortem extimescebat. ATQVE
ETIAM QVOSDAM C. OBL.] Thucyd. τὸν δὲ ἢ λήθῃ ἐλάμβανε παρὰ τὴν
αἰσθητικὴν τῶν πόντων ὁμοίως, ἢ ἠγρόνησαν σφῶς τε αὐτῶν, ἢ τὸν ὀππιπέσης, id est non-
nullos autem cum è morbo conualuissent, & è lecto surrexissent, statim
omnium peræquè rerum obliuio capiebat, necnō & seipsos & familiareis,
ac necessarios suos ignorabant.

Multaque humi cum inhumata iacerent corpora supra
Corporibus: tamen alituum genus, atque ferarum
Aut procul absiliebat, vt acrem exiret odorem:
Aut, vbi gustarat, languebat morte propinqua.
Nec tamen omnino temerè illis solibus vlla
Comparebat auis, nec noctibus sacra ferarum
Exibant siluis: languebant pleraque morbo,
Et moriebantur: cum primis fida canum vis
Strata viis animam ponebat in omnibus agram.
Extorquebat enim vitam vis morbida membris.
Incomitata rapi certabant funera vasta:
Nec ratio remedi communis certa dabatur.
Nam quod aliis dederat, vitaleis aëris auras
Voluere in ore licere, & cali templam tueri:
Hoc aliis erat exitio, letumque parabat.
Illud in his rebus miserandum, & magnopere vnum
Aerumnabile erat, quod vbi se quisque videbat.

*Implicitum morbo, morti damnatus ut esset:
 Deficiens animo mæsto cum corde iacebat,
 Funera respectans animam & mittebat ibidem.
 Idq; vel in primis cumulabat funere funus:
 Quippe etenim nullo cessabant tempore apisci
 Ex aliis alios auidi contagia morbi.
 Nam quicunque suos fugitabant visere ad ægros,
 Vitæ nimium cupidi, mortisque timentes:
 Pœnibat paullo pòst turpi morte, malâque
 Desertos, opis experteis incuria mactans,
 Lanigeras tanquam pecudes, & buccera secla.
 Qui fuerant autem præstò, contagibus ibant,
 Atque labore, pudor quem tum cogebat obire,
 Blandâque lassorum vox mista voce querela.
 Optimus hoc leti genus ergo quisque subibat.
 Inq; aliis alium populum sepelire suorum
 Certantes, lacrymis lasi, luctûque redibant.
 Inde bonam partem in lectum marore dabantur:
 Nec poterat quisquam reperiri, quem neque morbus,
 Nec mors, nec luctus tentaret tempore tali.*

INHVMATA] ἕταρα, seu ἕδαπᾶ, insepulta. IACERENT SVPRACORPOR.] id est cum corpora subiacerent corporibus, vt intelligamus verbum cõpositum esse diuifum. TAMEN ALITVVM GEN.] Thucyd. τὰ γὰρ ὄρνεα, καὶ τὰ ἐλάττω δὴ ἀνθρώπων ἀπέται, πολλὰ δὲ ἀτάφων γίγνομ' ἡ δὲ πρῶτη, ἢ γυναικῶν διφθεύουσι: id est aues enim & quadrupedes, quæ carnē humanam tangunt, cum multa corpora iacerent insepulta, aut ad ea non accedebant, aut si gustarant, interibant. VT ACREM EXIRET OD.] sic restitui reclamantibus libris omnibus. exiret odorem enim dixit, pro effugeret, vt supra docuimus. sic & Proper. lib. 3. eleg. 3. Cūque suos sineis altum nō exeat æquor. ILLIS SOLIBVS] Sic habent quattuor libri manuscripti. quibuscū congruunt vulgati, Veneti antiq. & Paris. solibus autem interpretor, diebus. ceteri tamen vulgati habent, sedibus, & ita videtur legisse Macrobi. lib. 6. Saturn. Sed ego exempla Macrobij corrupta esse puto. Thucyd. τῶν μὲν ποικίλων ὀρίθων ὀπίλειαι σφίσι ἐχέμετο, καὶ ἐχέμετο, ἢ τε ἀλλῶς, ἢ περὶ τοιοῦτον οὐδέν. id est talium quidem auium pœnuria manifesta erat, neque alibi comparebant, neque circa villa talia cadauera. NEC NOCTIV'] sic restitui secutus obscura antiquæ scripturæ vestigia. Nam libri manuscripti habent partim

tim, nec noctis, partim nec noctis, quibuscum cõsentiunt nōnulli vulgati. Sententia autem huius loci plana est. Non temerè (inquit) id est non fere, seu rarò admodum illis solibus: id est illis diebus, & sole lucente auis vlla comparebat, nec illis noctibus: feræ exibant è siluis. CVM PRIM. FID. C.] Thucyd. οἱ δὲ κύνες μᾶλλον ἀδηνῆ παρῆγον τὸ ἀποβαίνοντος διὰ τὸ σιωδὶ αὐτῶν. id est canes autem propter contubernij, & victus societatem sensum mali ingruentis magis præbebant. Lucret. lib. 5. Et leuisomma canum fido cum pectore corda. INCOMITATA RAPI] rapiabantur funera, non solleni more, & pompa ducebantur: non enim propinqui, neque amici suorum corpora ad rogam prosequēbantur: sed aut passim insepulta iacere patiebantur, aut in alienum rogam temere cõiciebant. incomitata, id est non comitata παιδιτικῶς. NEC RATIO REM. COMM.] Thucyd. Ἐθνησκον δὲ οἱ μὲν ἀμελείᾳ, οἱ δὲ καὶ πᾶσι δεσποπυόωροι. ἔντε ἔδδ' ἐν χετῆσιν ἰάμα, ὡς εἴπειν, δ, π. χ. ἢ πρῶσφῆσεν τας ἀφελείν: id est moriebantur autem alij incuria, alij etiam cum studiose curarentur. nullumque ferè certum fuit remedium, quod adhibitum profuerit. NAM QVOD ALIIS DEDERAT] Thucyd. τὸ γὰρ τῶ σιωδὶ γὰρ, ἀλλῶν τῶ τὸ βλάττει: id est nam quod alicui profuerat, hoc aliis nocēbat, in voce aliis, quæ est in hoc versu, duæ vocales. i. i. habentur pro vna syllaba. quidā libri tamen habent ali in numero singulari vnico i. à recto alis. Quod igitur aliis, aut alij dederat licere, τὸ ἐξείναι, id est licētiām, seu, vt liceret voluere in ore vitaleis auras, hoc est animam è cælo ducere, & spirare, & cælum aspiciere, hoc erat aliis exitio. ET CAELI TEMPLA TVERI] Virgil. lib. 4. Æneid. tædet cæli conuexa tueri. ILLVD IN HIS R. MIS. &c.] δεινότατων δὲ πάντων καὶ τῶ χεκού ἢ τε ἀδυσία, ὅποτε πρῶ αἰδοῖτο χέμων: πρῶ γὰρ τὸ ἀλέπισον εὐδὸς τρεπόμενοι τῆ γνώμῃ πολλῶ μᾶλλον περιέγοντο σφῶς αὐτοὺς, καὶ ἐν ἀντίχον: καὶ ὅτι ἔτερος παρ' ἑτέρου δεσποπίας, ἀναπληρώμενοι, ὡς περὶ τὰ πρῶβᾶτα ἔθνησκον: καὶ τὸν πλείστον φθόρον τῶ τὸ ἀπέπειν: id est omnium autem malorum hoc erat grauissimum, & maxime horrendum, & quod simulatque aliquis se à morbo correptum esse sentiebat, de sua salute desperabat, animumque despondebat: (omni enim spe salutis orbari multo magis sese proiiciebāt, ac negligebāt, neque durabāt, aut resistebant:) & quod alter ab alterius curatione malum contrahentes, tanquam pecudes, moriebantur. atque hoc quàm plurimis interitum afferebat. hanc Thucydidis sententiam octo versibus expressit Lucret. quod ostendemus minutatim. AERVMNABILE] ærumnosum. QVOD VBI SE QVISQVE VIDEB. IMPL. M.] Thucyd. ὅποτε πρῶ αἰδοῖτο χέμων, id est vbi se morbo implicitum, atque impeditum sentiret. DEFICIENS ANIMO M. C. IC.] Thucyd. ἀδυσία, animi contractio, & desperatio. QUIPPE ETENIM, &c.] ordo est. Quippe etenim contagia morbi auidi non cessabant alios ex aliis apisci: id est adipisci, & corripere. Thucyd. ἔτερος ἀφ' ἑτέρου δεσποπίας, ἀναπληρώμενοι: alter ab alterius curatione morbum cõtrahentes. ID QVE VEL IN PR.] Thucyd. καὶ τὸν πλείστον φθόρον τῶ τὸ ἀπέπειν: id est; atque hoc plurimam stragem edebat. NAM QVIC. SVOS FVG.] hunc locum (absit verbo inuidia) felicissime restitui. nam cum in duobus libris manuscriptis ita scriptum reperissem, fugitabāt vt se redat ægros: in aliis viscere ad ægros: in vno visere ad ægros, ego visere

re ad aegros reposui, coniecturā meam approbantibus Adriano Turnebo, Io. Aurato, & multis aliis viris doctis. Ne cui autem insolens videatur, ita loqui, *visere ad aegros*, proferā aliquot ex bonis scriptoribus exempla. Lucrēt. lib. 5. *Propterea sit, vi hac ad signum quodque reuerti Mobilis videatur, ad hanc quia signa reuifunt.* Terent. Adelph. Hera, ego hinc ad hos prouifam. Idem Hecyra. *nostra illico it visere ad eam.* Plaut. Captiuus. *Postremò Hecio, si parua iniuriando st fides, Vise ad portum.* A. Gell. cap. vlt. lib. 13. *Cum valebo ab oculis, reuife ad me.* Idem lib. 2. cap. 26. *Phauiorinus philosophus cum ad M. Frontonem consularē pedibus aegrum viseret, &c.* Huius autem loci hæc sententia, & hic ordo verborum est. Nam quicumque fugitabat visere ad amicos, & propinquos suos aegros, dum nimium sunt vitæ cupidī, mortisque timentes, hos incuria mactans paulo post pœnibat, id est puniebat, seu punibat turpi morte, malaque, desertos, atque opis experteis. Thucyd. *Εἴτε γὰρ ἐν δήλοιον δεδότες ἀλλήλοις προσέγγαι, ἀπὸ δεινότητος ἔρημοι, καὶ δίκαιοι πολλὰ αἰ ἐμενέουσιν ἀποεἶα, τὰ δὲ ἀεσταῖον σπυτος, &c.* id est nā siue noluisent metu deterriti se mutuò iniusere, deserti peribant, multaque domus exinanitæ atque exhaustæ sunt inopia hominum, qui curaret, &c. **PŒNIBAT**] id est punibat. huius loci restitutionē debemus Adriano Turnebo: qui cum animaduertisset in libris manuscriptis esse scriptum, *pœnibus at*, valde *εὐσώχως pœnibat* legendum esse vidit. *pœnibat* autem dictum pro punibat, æ pro ū. more veteribus vsitato. sic à Pœnis. Afris Puniceus, a. um. pœna, punio. muri, & mœri. de quib. supra ibi, *exesor mœrorum.* **L ANIGER. T ANQ. PEC.**] Thucyd. *Ἵππες τὰ πρὸς βλάστη ἐδυσκοον.* id est tanquam pecudes moriebantur. Admonet me hic locus, vt Florentis Christiani Aurelianensis, iuuenis perquam eruditi coniecturā, quam mecum nuper communicauit, de Plinij verbis, quæ leguntur lib. 7. cap. 2. referam. Sic autem Plinius. *In eadem Africa familias quasdam effascinantium Ifgonus & Nymphodorus esse tradunt: quarum laudatione intereant probata, crescant arbores, emoriantur infantes.* Quòd igitur quidā docti viri putant probata Græcam vocem esse, pro pecudibus, aut ouibus à Plin. positam, iuuenis ille acerrimo ingenio præditus arbitratur hæc Plinij verba esse corrupta, legēdumque hoc modo *interea probata arefcent arbores.* probatas autem arbores intelligit, quæ in aquis non putruerint. Sic enim Theophrast. *λέγεται δὲ ἐν διασπυτικῆς ἐν ὕδατι.* Sed Adrianus Turnebus apud Plin. nihil mutandum putat: sicque Plinij verba explicat, *intereant probata*: id est ea quæ laudata ab illis familiis fuerint. profertque in hanc sententiā Virgilij versus ex Melibœo. *Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.* **QVI FVERANT AVTEM PR.]** Thucyd. *εἴτε προσέτοιον, διεφθείροντο:* id est siue ad suos accederent, interibant. **CONTAGLEVS IBANT.]** id est contagis obibant, seu interibant. *ibant, ὄχοντο.* sic sup. lib. 3. *cernimus ire.* **PVDOR QVEM TVM]** quem laborem tum cogebat obire, id est adire, seu subire pudor. Thucyd. *ἀσχῶν γὰρ ἠφείδου σφῶν αὐτῶν εἰσόντες παρὰ τοῦ φίλου:* id est pudore enim affecti sibi haudquaquam parcebant, ad amicos suos adeuntes. **BLANDIA QVE LASSORVM, &c.]** & quem laborem cogebat subire vox blanda agrorum cum querela coniuncta. Thucyd. *ἐπεὶ δὲ τὰς ἐλοφρύσεις τῶν ἀποτογομεθίων, τελευτῶντες καὶ οἱ δίκαιοι ἐξέλεγον, ἴσθη τὸ πολλὸν κακοῦ πρὸς*

κακοῦ id est nam & querelis percuntium tandem etiam propinqui & domesticū succumbebant, ac cedebant, mali magnitudine victi. **OPTIMVS HOC LETI GENVS]** *καὶ μέγιστα οἱ ἀρετῆς μετὰ ποιοῦντων.* id est, maximèque peribant viri boni, & virtutis studio dediti. **INQVE ALIIS ALIVM POPVLVM]** id est & cum certarent, ac contēderent suorum mortuorum turbam in alia familia, vel inter dissimilis tribus, aut municipij homines sepelire, &cet. populum fortasse dixit, quem Græci *δήμον* appellant. **INDE BONAM PARTEM]** cum in libris manusc. scriptum reperissem *Inde bonam partem*, & ita habeant cod. Parisiens. hanc lectionem potius, quàm vulgatā, bona ex parte, secutus sum. quæ substituta videtur ab iis, qui verā non intelligerent. Atqui sic loquuntur boni scriptores. Lucrēt. sup. lib. 3. *Non minimam partem mortis formidine aluntur:* & M. Tull. offic. 1. *Maximam partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur nonnulli, &c.* **INLECTVM]** quidam libri manuscripti habent *in lectum*: quidam *in iectum*: quod videtur deprauatū ex vera lectione in lectum: vulgati in letum: quos non sum secutus, dabantur in lectum autem, id est vt loquitur Horat. affligebantur lecto, quod est decumbere in lecto cogebantur.

*Præterea iam pastor, & armentarius omnis,
Et robustus item curui moderator aratri,
Languiebant: penitusque casis contrusa iacebant
Corpora, paupertate & morbo dedita morti.
Exanimis pueris super exanimata parentum
Corpora nonnunquam posses, retróque videre
Matribus, & patribus natos super edere vitam.
Nec minimum partim ex agris agroris in urbem
Confluxit, languens quem contulit agricolarum
Copia, conueniens ex omni morbida parti.
Omnia complebant loca, tectaque: quo mage eos tum
Confertos ita acervatim mors accumulabat.
Multa siti prostrata viam per, próque voluta
Corpora silanos ad aquarum strata iacebant
Interclusa anima nimia ab dulcedine aqua.
Multaque per populi passim loca promta, viasque
Languida semianimo tum corpore membra videres,
Horrida pædore, & pannis cooperta perire
Corporis inluuie: pellis super ossibus vna,
Ulceribus tetris propè iam, sordisque sepulta.*


dele utrum sit.

NVS TETRIS] ordo & sententia est, propemodum iam sepulta, nempe
 pellis, tetris vlceribus, & sorde seu fordi, sepulta id est cooperta, & obdu-
 cta. sic autem excudendum curavi, non *sepultis*, secutus codicum manuscri-
 ptorum auctoritatem. præterea *vlceribus* reposui, admonitus à duobus co-
 dicibus. item manuscriptis, in quibus scriptum reperi *vlceribus*, suspicatus à li-
 brariis ita scriptum esse pro vlceribus i prol. sed non displicet mihi A. Dr.
 Turnebi coniectura, & sententia, qui seruata vulgata scriptura, in voce *se-
 pultis*, reliqua sic legit, *Vlceribus cæcis prope iam, sordisque sepultis*, atque hunc
 versum sic explicat, *Vlceribus iam propè cæcis, id est aspectum fugientibus*
 & non apparentibus propter squallorem, & sordē, & illuuiem. verba enim
 quæ subsequuntur, *sordisque sepultis*, declarant vocem *cæcis*. cæcis (inquit) id
 est sorde, & squallore sepultis, & coopertis. coniecturam Turnebi adiuuat
 codices Veneti antiq. in quibus legitur *Vlceribus cæcis, &c.* OMNIA DE-
 NIQVE SANCTA] Thucyd. πᾶτε ἱερεῖ ἐν οἷς ἐσηκηντο, νεκρῶν πλέα ἦν αὐτῆ ἐνα-
 ποθησίουτων, id est, & templa Deorum, in quibus tabernacula collocarant,
 cadaveribus erāt referta, cū ibi immoreretur. MANEBANT] διετέλου, vt
 supra. HOSPIT. LOCA QVAE] quæ loca ædituentes, id est, æditui, seu
 æditimi, complebant hospitibus, id est rusticis, & agricolis, & πῶν ἐκ πῶν δή-
 μων, id est hominibus vicinis, seu ex oppidis Atticis. A. Gellius lib. 12. cap.
 10. profert hunc locum his verbis. *Titus autē Lucretius in carmine suo pro ædi-
 tuis ædituenteis appellat. onerat à que passim Cuncta cadaveribus caelestum templa ma-
 nebant. Hospitiibus loca qua complebant ædituenteis.* NEC IAM RELIGIO
 DIVINA] Thucyd. ἱερῶν θείων, οἱ ἀποκαταστάσεις ἔχοντες, οὐκ ἔτι γίνονται, ἐς
 ὀλίγον ἔτι ἐτέρον το ἱερῶν, καὶ ὁσίων ὁμοίως, id est, nam cum vis mali esset immo-
 derata, & vim intolerabilem afferret, homines non habentes quid agerent,
 aut quò se verterent, templa deorum, & pietatem peræquè negligere cœ-
 perunt. NEC MOS ILLE SEPULTVRAE, &c.] Thucyd. νόμοι τε πάν-
 τες συνέταρσαν, οἱς ἔχοντο πρὸς τὰς ἐπιτάφιας: id est, & leges omnes,
 quibus antea in sepulturis utebantur, perturbatæ fuerunt. QVO PRIVS
 HIC POPVLVS] cod. Memmianus habet, *Quo prius hic populus, &c.* quam
 scripturam probo. Ceteri partim *vt prius*: partim *vt prius*. prius autem legen-
 dum, non, vt in vulgatis, *prius*: idque ex Thucydidis verbis intelligere licet,
 οἱς πρὸς τὰς ἐπιτάφιας: quibus prius utebantur. PERTVRBATVS ENIM
 TOTVS TREPIDABAT] sic habent libri manuscr. non, vt vulgati, *repe-
 dabat*. CONSORTEM] aliàs *cognatum*. ET PAVPERTAS HOR-
 RIDA] Thucyd. καὶ πολλοὶ ἐς ἀναρχώτερας θήκας ἐτέροντο πάντες τῶν ἐπιτηδείων, id
 est & multi ad sepulchra impudentia conuersi sunt, facultatum pænuria.
 NANQVE SVOS CONSANG. ALROG. &c.] huius loci sententia
 hæc est. nam suos consanguineos locabant cum ingēti clamore super alie-
 na rogorum exstructa: id est super eos rogos exstructos, qui erant alieni: id
 est non sui. *aliena rogorum* autem sic dictum, vt illa, *sepia domorum, strata via-
 rum, aperta viarum, structa saxorum*, & similia apud eundem: & illa *υπαγεγυμ,*
αματα κυρτων, & similia apud Horatium: quæ notauimus in comm. Horat.
 Huius loci sentētiā paullo quidem aliam, sed tamen his verbis exprimit
 Thucyd. ἐπὶ πύρρῃς καὶ ἀλλοτρίαις φθάσαντες τὸν νόμον οἱ μὲν ἐπιτάφιας τὸν ἑαυτῶν

νεκρῶν, ὑφ' ἡπιῶν: οἱ δὲ κμοιὸν ἄλλα αὐτῶν ἐπιβαλόντες ἀπήσαν: id est, Nā in rogam
 alienum eos anteuertentes, qui exstruxerant, alij suum mortuum impone-
 bant, faciesque subdebāt: alij cum alius mortuus combureretur, suo in super
 iniecto discedebant. Quidam tamen hunc Lucretij locum sic explicant:
 namque super suos consanguineos, (rogis scilicet impositos) locabant *alie-
 na rogorum*: id est res à rogis alienas: id est, quæ non solent in rogam conici.
 ego priorem explicationem magis probo, quia cum verbis & sententia
 Thucydidis magis mihi congruere videtur. SVBDEBANTQVE FA-
 CEIS] subiciebant facies rogis. Thucyd. ὑφ' ἡπιῶν. QVAM CORPORA
 DESERERENTVR] quidam legendum censent: *quam vt corpora dese-
 rentur*.

F I N I S.





PHILIPPVS GALTERVS
ROVILLIVS TYPOGRAPHVS,

LECTORI S. D.

Hoc plerunque fieri videmus, lector humanissime, ut quorum maiores, aut propinqui aliqua ex arte, ac virtute laudem sint consecuti, ij vel ab ipsa natura impulsivi, vel suo iudicio adducti, vel exemplo illorum excitati in eodem genere laudis præstare, atque excellere conentur. Itaque cum ego animaduertentem prudentissimum & diligentissimum virum Guilielmum Rouillium auunculum meum, apud quem fui à puero educatus, & quo magistro artem typographicam didici, ex hac arte & quæstum fecisse iustissimū, atque honestissimum, & laudem inuenisse maximam: primū Lutetiæ eius iussu annos aliquot consumsi in distractione, & permutatione variorum, & à variis officinis professorum librorum: deinde existimaui mihi aliquando tandem alienorum vendendorum, & cauponandi finem esse faciendum, atque officinam in hac vrbe instituendam, aut certe conducendam: ex qua officina libri meo nomine impressi in manus hominum peruenirent, ut vno tempore, vnâque opera & rem facerem, & Reip. prodessem, & mihi laudem ac bonam famam apud bonos, doctosque compararem. Quo consilio capto cum mecum ipse quærerē, vnde potissimū ordirer, cuiusque scriptoris editione abs te, lector, gratiam inire possem, cupiens in aliquo nobili scriptore meæ industriæ specimen tibi dare, opportunè à quibusdam meis amicis certior factus sum, T. Lucretium Carum poëtam grauissimum, & ornatissimum, Latinique sermonis auctorem purissimum, & probatissimum à D. Lambino Græcarum litterarum doctore Regio, (de cuius viri doctrina, & eloquentia nihil me attinet dicere, cum & ex viua ipsius voce, & ex scriptis in lucē editis sit omnibus gentibus ab humanitate non alienis notissima,) locis pæne innumeris ex fide exemplorum manuscriptorum esse emendatum, & scholiis doctissimis, atque vtilissimis illustratum. Quod

statim vt cognoui, D. Lambinum adiui, ab eóq; per eam, quam habet erga auunculum meum Gulielmum Rouillium beneuolentiam, petiui, vt eius Lucretij, quem ab eo emendatum esse audiuissem, imprimédi mihi negotium daret. quod ab eo statim pro eius singulari cùm humanitate erga omneis, tum præcipua erga me liberalitate impetraui. Ita factum est, vt, quod tota mente expetueram, omnibúsq; ominibus, ac precibus exoptaueram, ab optimo, & elegantissimo poëta mei conatus in hac vrbe initium facere mihi licuerit. Qua in re quantam diligentiam adhibuerim, prædicare non est meum. tu ipse legendo cognosces. Veruntamen non ero vsque eò impudens, vt negare velim ab operis, & iis qui typos construunt, aliquot esse peccata, aut certe errata commissa: quæ nemo est tam Lynceus, qui vitare possit. Nam & D. Lambinus ipse ea folia, quæ periculi faciendi gratia imprimuntur, quotidie fere recognouit, errataque operarum ad oras foliorũ ascripsit, vt operarij, quem admodum admoniti essent, ea corrigerent: & ego omni studio eadem folia relegi, ac cum exemplari manu D. Lambini scripto diligenter cõtuli, errataque, que Lambinum fugerant. (nam ferè fit, vt eos, qui quippiam scripserunt, operarum errata fallãt, neque ita citò ab iis animaduertantur, vt ab aliis) nō pauca deprehendi. nihilominus tamen remanserunt in his exemplis pauca quædam errata, quæ vel me quoque fugerunt, vel cum essent à me animaduersa & calamo emendata, ab operariis tamen non sunt ex præscripto meo restituta. Horum igitur errorum emendationes paginis & versibus seu lineis indicatis, ad calcem libri ponendas curauimus, vt tu lector eas secutus, sine magno labore singula errata suis locis corrigere posses. Quòd si hanc nostri huius Lucretij editionem tibi probari sentiemus: animos nobis augebis, alacritatẽque adferes plura in posterum tempus & maiora conandi, quæ & tibi grata, & Reipub. utilia esse possint. Vale.

Errata sic emendanda.

Pagina 3. lineæ ⁶ dictam esse apud p. ead. li. r. ἰδύσθαι. pag. 4. lin. 20. *initium* retinui, pag. 6. lin. 4. longum est hyperbatum, p. ead. li. 22. *αἰὲν ἄχρους Ἀφροδίτης* pag. 7. lin. 33. ce pro u, vt à Pœnis pag. 9. lin. 19. Bertiniano pag. 11. lin. 24. *inritat* pro *inritauit* pag. 15. lin. 10. *Te prima* pag. 17. lin. 36. *calitum commixta* pag. 19. lin. 12. & lib. 4. *Tum mihi* ibid. lin. 17. versus Virg. lib. ibid. lin. 40. illustranti, amicitia, & ex pag. 21. lin. 37. cuiusque & corpora pag. 24. lin. 19. *tralatio* à vitibus. pag. 31. lin. 21. *Conripiunt, rapidòque* pag. 32. lin. 14. *Incidit, aut* pag. 33. lin. 41. *Sæpe salutantum* pag. 34. lin. 28. *superbis Manè saluantum* pag. 46. lin. 2. in qua *m* non eliditur pag. 49. lin. 21. *arūna grauescit*, pag. 52. lin. 21. *præbeat corporibus*: pag. 57. lin. 9. *corpori inesse*: pag. 60. lin. 2. *præfiniet vlla*. pag. 62. lin. 33. *Læguidior porrò* pag. 63. lin. 41 *Carpebant hyali saturo* pag. 68. lin. 9. *animi quicquam ratione* pag. 70. lin. 34. *quantæ quondam* pag. 71. lin. 39. quòd iam primordia pag. 72. lin. 19. *ardor cum rore* pag. 77. lin. 35. *secari posse: pariter atque* pag. 84. lin. 19. *Τὴν μεδ- πων ἔπειτα πρὸς ἐπὶ πρὸς ἀνιδύσθαι*. pag. 88. lin. 20. in quos *elisum* est, pag. 92. li. 17 *κατ' ἀλλήλοισιν πρὸς* ibid. lin. 29. *ζωπυροῦ* apud pag. 96. lin. 33. *bibent, etc.* ibid. lin. 35. *ἀναπνοῦ* pag. 99. lin. 13. *vberrate hausta*, ibid. lin. 97. *in quo disputatur de primorum* pag. 101. lin. 21. ὑπὸ σέγγη. ead. ἀκῆσσι pag. 102. lin. 17. à corpore sciunctus fruatur, &c. pag. 103. lin. 22. *Non sit thesauris*, pag. 106. lin. 23. *ἀγῶ- νος λαμπρὰ δέχεται* pag. 107. li. 27. *Ὅν τέλει Ἀσυόχεια* pag. 111. lin. 16. hoc modo iactantur, & vagantur, pag. 112. lin. 15. *prædita sint prima* pag. 113. lin. 41. in omnibũ rebus pag. 116. lin. 31. *cum perbibetur*. ibid. lin. 31. *ea, quæ moueantur, &c.* pag. 127. lin. 35. *Qualia sint, & quàm* pag. 133. lin. 13. *Sardoam degustarim, ore* ibid. li. 24. *Et cycuca mele, Phæbeaque* ibi. lin. 36. *vertatur in e locum* pag. 134. lin. 26. *gelidamque pruinã*, pag. 136. lin. 3. *γαργαλίξεν*. *tralatio*. pag. 138. lin. 42. *marini, &c.* pag. 149. lin. 2. *Berecinthia*. *Arnob.* ibi. lin. 44. *anti- quam scripturam probo*. pag. 151. lin. 16. vt docet Eustathius, est nō libèter, pag. 160. lin. 14. *Splendentis Pario* pag. 162. lin. 1. si enumerem lectionis pag. 163. lin. 3. *imitante pyropo*. pag. 168. lin. 3. *Tum porro quid id est*, pag. 176. lin. 18. *flumina, solem* pag. 180. lin. 2. *frustraque coacta*, pag. 187. lin. 9. *quidam vir doctus* ibid. lin. 41. *quoad satis est nat. non.* pag. 194. lin. 17. de animæ at- que animi pag. 200. lin. 11. *MOLLI C.S.*] pag. 216. lin. 38. *corpus nostrum constat.* pag. 222. lin. 29. quòd plerunque solet pag. 226. lin. 1. *fateare ne- cesse est.* pag. 227. li. 2. *OBBRVTE SCAT*] pag. 230. li. 6. *λυομένων τῶν ὄλων* pag. 232. lin. 2. *loqui volebant*: ibid. lin. 30. vt in quibusdam manuscr. pag. 248. lin. 11. *sentire possit*. Id igitur pag. 249. lin. 20. *Μουῖος ἔπειξ* ibid. lin. 22. *πειλί- λαι* ibid. *Quid mortem, etc.* pag. 250. lin. 37. *REPENTIA NOSTRA*] pag. 253. lin. 12. *extiturus esset*, ibid. lin. 20. *ἀνάτος ἀδείατος* pag. 257. lin. 22. *tum non longè aberrant* pag. 273. lin. 25. *proprie ac præcipuè tua:* pag. 274. lin. 11. *scdò quidem, quippe temporibus, quominus* ibid. lin. 14. *à me potestas, optiòq; eligendè* pag. 276. lin. 1. *Sponte sua volitent* ibid. lin. 35. *VLTRO CITRÓ- QVE*] lib. manuscr. habent *Ultroque, citroque.* pag. 278. lin. 21. *exire coortæ.* pag. 279. lin. 42. *NAM CERTE IACI, ATQVE*] pag. 283. lin. 1. *O D O*

REM EXSPIRANT] sic sæpe l. pag. 288. lin. 26. Cū tuimur misceri abf.
 pag. 297. lin. 27. quæ sunt in luce, tuemur, pag. 302. lin. 11. qua impulsa est,
 pag. 304. lin. 11. in aduersam, & superiorem pag. 306. lin. 38. positum esse ab
 antiquis, pro pag. 311. lin. 15. parietes ædificiorum dirigēdos. pag. 321. li. 14.
 ex seminibus dissimilibus, pag. 323. lin. 28. propter exhalationes alimenti
 pag. 325. lin. 7. Videntur enim gallorum alę noctem suo compl. vel galli ipsi
 suarum alarum pag. 331. lin. 5. semotæ fuerint, longēque pag. 335. lin. 37. &
illum Effugere errorem, vitæque pag. 338. lin. 26. Atque gubernaculum pag.
 343. linea 19. aëris externi tutiores, pag. 344. linea 1. docti tribrachum
 pag. 345. lin. 33. Tam magis in somnis pag. 357. lin. 38. *tantum Meliten sum*
vestium, &c. pag. 361. lin. 34. & pinguntur & finguntur. pag. 373. lin. 31. *aliis*
tuis infinitis laudibus, pag. 381. lin. 11. vt sit hic ordo. pag. 382. lin. 19. delendā
 præpositionem *m.* pag. 389. lin. 39. *Nec crepitacillis opus est,* pag. 391. lin. 29.
 PRAETEREA P. P. S. QVO DCVN QVE] pag. 397. lin. 31. *αἰτῆ πνεύμα-*
των pag. 402. lin. 5. & perplexa, coibant, pag. 411. li. 3. *malet librant pro deli-*
brant, ibi. lin. 5. decorticatum. dele *quodd.* pag. 427. li. 26. inoleuissent, iustū
 ibid. lin. 28. omnis generis animalium pag. 434. lin. 26. *Res sic quæque suo*
 pag. 444. lin. 18. faucibus tenerè admotis pag. 446. li. 31. *Qui pote plus, vrget,*
 pag. 447. lin. 33. homines pertæsum vi colere pag. 448. lin. 13. legibus, &
 iuribus. pag. 456. lin. 24. *καὶ ἴσως* pag. 471. lin. 33. diis indigna putando, pag.
 474. lin. 16. præmonstra eam calcem, vel currenti præmonstra spatium.
 pag. 478. lin. 3. *Absiduusque geli casus* pag. 479. lin. 3. *terimus, manare calorem.*
 pag. 481. lin. 31. *ingratis,* &c. pag. 487. lin. 26. *Hoc fit item.* pag. 506. lin. 32.
καὶ πλεον τόπον. pag. 508. lin. 22. Vt tempestates pluu. pag. 515. lin. 5. ipsa sua
 vi. pag. 516. lin. 16. ad oram libri pag. 518. lin. 5. atq; aspera odore. pag. 521.
 lin. 4. *febris bili superante* pag. 526. lin. 2. ego cum ex hac varietate pag. 534.
 lin. 39. *eadem subus hæc incunda* pag. 540. lin. 19. A V D E N T] tralatio.

Omissum pag. 166. lin. 7. ibi, omnis odoris expers. sic Plato Tim. *ὅδ' ἐν πῶν-
 των ἐν τῆς εἰδὸν εἶναι χρεὼν τὸ τὰ πῶντα ἐν διεξόδῳ ἐν αὐτῶ ἴσιν, καὶ δὴ ἄρ' ἀπὸ τῶ ἀλείμ-
 ματα ὁποῖα ἐν αὐτῶν, τὰ διεξόδῳ ἔχου τὰς δόμους,* &c. id est Quapropter & omniū
 formarū expers esse oportet id quod omnia in se genera recepturum est,
 quemadmodū qui versantur in cōfectione vnguentorū, aut liquidorū odo-
 ratorum, ea liquida quæ suauis odores receptura sunt, dant operam vt sint
 omnis odoris expertia, &c. pag. 156. lin. 28. ibi, iri confido. Sed Adr. Tur-
 nebus, cuius sententiam meæ semper anteponendam putauī, legit *atque mi-*
care: & *micare* interpretatur, *moueri.* pag. 217. lin. vlt. adde T V D I T A N -
 T I A] id est, tundētia, vt suprā lib. 2. *Nec tuditantia rem cessant,* &c. pag. 260.
 lin. 16. post hæc verba *hoc genus omne:* nisi quis dicat *barde* potius esse legen-
 dum, vt intelligamus eum, qui cum sit miser, & egens, mortem tamen gra-
 uiter lamentetur, à natura bardum: id est stultum appellari: quæ sententia
 magis huic loco quadraret. Iam quod ad Horatium attinet, Adr. Turnebus,
 putat lectionem vulgatam esse retinendam *balatrones.* Ait enim balatronē
 dici à baratro, seu baratrone propter affinitatem liquidarum l. & r. vt palma
 à parma dicta est. pag. 364. lin. 23. ibi. tractant. vel lege *retractat,* vt sub-
 intell. *natura illorum animalium.*

